









ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXX—MDCCCXXI.

VOL. IV.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS
ANNI QUARTI

INDE A DIE II. A. NONAS OCTOBRIS ANNI MDCCCXX. AD DIEM I. A. IDUS OCT. MDCCCXXI,

HENRICO FERD. DECOSTER,

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

ATQUE

FRANC. JOSEPHO ADELMANN,

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

LOVANII,

APUD P. J. DE MAT, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.

MDCCCXXII.

INDEX

EORUM QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

I.

NOMINA PROFESSORUM

ET LECTORUM

QUI A DIE II. OCT. MDCCCXX AD DIEM I. OCT. MDCCCXXI

IN ACADEMIA LOVANIENSI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

I.

NOMINA
PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI INDE A DIE II OCT. MDCCCXX AD DIEM I OCT. MDCCCXXI

IN ACADEMIA LOVANIENSI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

Rector Magnificus.

H. Ferd. DECOSTER.

Senatus Academici Graphiarius.

Fr. Jos. ADELMANN.

Juris Professores.

H. F. Decoster,
J. P. De Bruyn,
F. M. Birnbaum, } Ordinarii.

Philosophiæ Theoreticæ et Literarum Humaniorum Professores.

F. J. Dumbeck,
J. B. Liebaert,
A. Ten Broecke Hoekstra,
G. J. Bekker, } Ordinarii.

Medicinæ Professores.

F. J. Harbaur,
G. J. Van Gobbelschroy,
C. F. Jacmart,
} Ordinarii.

J. M. Baud, Professor Extraordinarius, Decreto Regio 11 Aug. 1820, Ordinarius nominatus.

A. Van Solingen, Prof. Extraordinarius.

J. M. Zinkgraeff, Professor Honorarius, Nosocomii Militaris, cum Academiâ Decreto Regio 20 Martii 1817 conjuncti.

Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Professores.

F. J. Goebel,
J. F. Sentelet,
J. B. Van Mons,
F. J. Adelmann,
} Ordinarii.

Medicinæ Doctores, qui in Nosocomio Militari docuerunt.

J. J. Molitor, Rei Medicæ Inspector Militaris.
Van Onsenoort, Primarius Chirurgus.
Colson, Chirurgus Secundus.
De Courtray, Pharmaceuta.

Lector Literarum Gallicarum.

J. Jacotot.

II.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE II. OCTOB. MDCCCXX AD DIEM I. OCTOB. MDCCCXXI

HABITARUM.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE II OCT. MDCCCXX AD DIEM I OCT. MDCCCXXI

HABITARUM.

TEMPORE HIBERNO.

LECTIONES JURIDICAE.

Jus Civile Hodiernum, sexies per septimanam, H. F. Decoster, horâ IX, docuit.

Jus Publicum, idem, bis per septimanam, horâ III.

Institutiones, quater per septimanam, J. P. De Bruyn, horâ III.

Pandectas, sexies per septimanam, idem, horâ X.

Jus Criminale Hodiernum, quater per septimanam, F. M. Birnbaum, horâ VIII.

Jus Naturæ et Gentium, præmissâ Encyclopædia Juris, quater per septimanam, idem, horâ XI.

LECTIONES PHILOSOPHO-LITERARIAE.

Historiam Universalem Antiquam (ducibus Tabulis Ethnographico-Periodico-Synchronisticis), præmissâ introductione (juxta Dialogos suos, qui Κλειώ inscribuntur) narravit F. J. DUMBECK, ter per septimanam, horâ IV.

Antiquitates Romanas, IDEM, ter per septimanam explanavit, horâ V.

Historiam Europæ Politicam, IDEM, ter per septimanam, horâ V, tradidit.

Logicam et Metaphysicam, illam ter, hanc bis per septimanam, docuit J. B. LIEBAERT, horâ IX.

Historiam Philosophiæ, IDEM, bis per septimanam, horâ II.

Linguæ Belgicæ Grammaticam, Gallice, et *Ovidii Fastorum Librum I,* Belgice, explicavit observationibusque philologicis illustravit A. TEN BROECKE HOEKSTRA, ter per septimanam, horâ II.

Historiam Patriæ enarravit IDEM, ter per septimanam, eâdem horâ.

Lectiones de Stilo Linguæ Belgicæ habendas IDEM indixit.

Odysseæ Libros XIV, XV et XVI, bis per septimanam, explanavit G. J. BEKKER, horâ X.

Ciceronis Tusculanas Disputationes, ter per septimanam, interpretatus est IDEM, horâ III, simulque *Exercitationes Latine Scribendi ac Disputandi* instituit.

Qui in Græcis literis aliquantum jam profecerant iis IDEM explicavit *Locos Herodoti* ac *Thucydidis selectos* (ad Wytten-

bachii Selecta Principum Historicorum, Amstelodami 1808), bis per septimanam.

Antiquitates Græcas enarravit IDEM, binis septimanæ diebus.

LECTIONES MEDICAE.

F. J. HARBAUR, rei medicæ militaris terrâ marique regendæ causâ, e cathedrâ avocatus.

Physiologiam et *Pathologiam*, illam ter, hanc bis per septimanam, G. J. VAN GOBBELSCHROY explicavit, horâ XI.

Exercitationibus Clinicis in Nosocomio Civili præfuit, et tirones ad Praxim Clinicam instituit C. F. JACMART, omnibus diebus, horâ IX.

Initia Institutionum Clinicarum (secundum JOH. VALENT. ab HILDENBRAND, a se iterum edita), explicavit IDEM, ter per septimanam, horâ II.

Diæteticæ præcepta exposuit IDEM, bis per septimanam, eâdem horâ.

Lectiones Chirurgico-Practicas et *Praxim Obstetriciam*, in Nosocomio Civili quotidie, horâ VIII, habuit J. M. BAUD.

Anatomiam, quinquies per septimanam IDEM tradidit, horâ III.

Therapiam Generalem et *Specialem*, nec non *Pathologiam Specialem* J. M. ZINKGRAEFF, in Generali Nosocomio Militari, quater per septimanam, docuit.

Artem Obstetriciam et *Morbos* tam *Gravidarum*, quam *Puerperarum* explanavit A. VAN SOLINGEN, ter per septimanam, horâ II.

Praxi Clinicæ præfuit IDEM, quoties puerperæ in eodem decubuerunt. *Exercitationes* dein *Clinicas*, in Nosocomio Obstetricio instituit.

In Nosocomio Militari *Exercitationibus Clinicis* quotidie præfuit *Medicinæque* præcepta, præsertim ad Militum morbos applicanda, item *Morborum Veneriorum* et *Asphyxiarum*, doctrinam tradidit J. J. MOLITOR.

De Oculorum Morbis et de *Chirurgiâ* tractavit Alumnosque ad *Praxim Chirurgiæ* instituit VAN ONSENOORT.

Anatomiæ et *Physiologiæ Elementa* exposuit COLSON.

Pharmacologiam Militarem atque *Toxicologiam* explicuit DE COURTRAY.

LECTIONES PHYSICO-MATHEMATICAE.

Elementa Matheseos Puræ F. J. GOEBEL demonstravit, quinis septimanæ diebus, horâ VIII.

Methodum Resolvendorum Problematum, quæ *Geometriam* spectant, IDEM publice ostendit, semel per septimanam, eâdem horâ.

Lectiones de *Principiis Calculi Differentialis* et *Integralis* æque ac de *Astronomiâ Mathematicâ* indixit IDEM, sexies per septimanam, horâ III.

Physicam Generalem et *OEconomiam Ruralem*, illam ter, hanc bis per septimanam, tractavit J. F. SENTELET.

Chymiam Generalem et Specialem, ter per septimanam, docuit J. B. VAN MONS, horâ X.

Materiam Pharmaceuticam et Pharmaciam Practicam IDEM, bis per septimanam, eâdem horâ.

Præterea IDEM, *Lectiones* de *OEconomiæ Ruralis* parte, quæ *Rem Hortensem* spectat, linguâ vernaculâ habere in se recepit.

Zoologiam et Mineralogiam, ut et *Anatomen Comparatam* F. J. ADELMANN, quater per septimanam tradidit, horâ IX.

Botanicam et Physiologiam Plantarum, IDEM exposuit, ter per septimanam, horâ II.

TEMPORE AESTIVO.

LECTIONES JURIDICAE.

Jus Civile Hodiernum et Jus Publicum, H. F. DECOSTER;

Pandectas et Institutiones, J. B. DE BRUYN;

Jus Criminale Hodiernum, F. M. BIRNBAUM, continuaverunt.

Practicam Juris et Diplomaticam, illam bis, hanc semel per septimanam, docuit H. F. DECOSTER, horâ IV.

Historiam Juris, finito *Jure Naturæ et Gentium,* explicuit F. M. BIRNBAUM, ter per septimanam, horâ XI.

Ad suas quisque prælectiones, tempore opportuno, *Exercitationes Disputatorias* instituit.

LECTIONES PHILOSOPHO-LITERARIAE.

Historiam Universalem, ter per septimanam, F. J. DUMBECK continuavit, horâ VI, matutinâ.

Logicam et Metaphysicam, illam ter, hanc bis per septimanam, J. B. LIEBAERT continuavit, horâ IX. Quibus finitis prælectionibus,

Disciplinam Moralem tradidit, iisdem horis.

Linguæ Belgicæ Grammaticam et *Historiam Patriæ* continuavit A. TEN BROECKE HOEKSTRA.

Scholas Homericas et *Antiquitates Græcas* G. J. BEKKER continuavit.

Psychologiam Empiricam F. J. DUMBECK binis septimanæ diebus explicuit Philologiæ studiosis, horâ VI matutinâ.

Sophoclis Œdipum Regem interpretatus est et in *Græce Scribendo* discipulos exercitavit G. J. BEKKER, bis per septimanam, horâ III.

Literas Gallicas, quater per septimanam, docuit J. JACOTOT, horâ V.

LECTIONES MEDICAE.

F. J. HARBAUR (nunc a nostrâ Academiâ jussu Regio ad res medicas terrâ marique gubernandas avocatus).

Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Civili, præfuit C. F. JACMART, ut tempore hiberno.

Physiologiam et Pathologiam, G. J. VAN GOBBELSCHROY;

Lectiones Chirurgico-Practicas, J. M. Baud continuavit.

Pharmacologiam et Medicinam Legalem, tam Medicæ, quam Juridicæ institutioni accommodatam, exposuit C. J. Jacmart, quater per septimanam, horâ II

Chirurgiam Theoreticam J. M. Baud tradidit, sexies per septimanam, horâ III.

Prælectiones Obstetricias A. Van Solingen habuit.

Auditoribus theoriæ peritis aditus ad *Institutiones Clinicas* fuit concessus.

Pathologiam Specialem et *Therapiam Specialem* continuavit J. M. Zinkgraeff.

Lectiones Medicæ, Chirurgiæ et Pharmaceuticæ, in Nosocomio Militari continuatæ sunt a Doctoribus Molitor, Van Onsenoort, Colson et De Courtray.

LECTIONES PHYSICO-MATHEMATICAE.

Matheseos Puræ Principia, F. J. Goebel;

Œconomiam Ruralem, J. F. Sentelet;

Chymiam Generalem et Specialem non minus atque *Materiam Pharmaceuticam;* porro *Pharmaciam Practicam* et *Œconomiæ Ruralis* partem, quæ *Rem Hortensem* spectat, J. B. Van Mons;

Zoologiam et Mineralogiam, F. J. Adelmann continuavere.

Lectiones de Geometriâ Analyticâ et *Astronomiâ*, quater per septimanam, indixit F. J. Goebel.

Physicam Specialem et Applicatam J. F. Sentelet, ter per septimanam docuit, horâ XI.

Botanicam exposuit F. J. Adelmann, ter per septimanam, horâ VI matutinâ.

III.

ACTA

IN SENATU ACADEMIÆ LOVANIENSIS

A DIE II. OCT. MDCCCXX. AD DIEM I. OCT. MDCCCXXI.

ACTA IN SENATU
ACADEMIÆ LOVANIENSIS

A DIE II. OCT. MDCCCXX AD DIEM I. OCT. MDCCCXXI.

I.

DIE XVI. OCTOBRIS MDCCCXX.

Recitatæ sunt literæ Curatorum scriptæ die XXIX. Septembr. h. a. quibus ad Senatum transmitterent exemplum Decreti Regis, d. d. XVI. Septembr. h. a. quo vir Doctissimus atque Expertissimus A. VAN SOLINGEN, A. L. M. Med. et Philos. Doctor, creatus est Professor Artis Obstetriciæ Extraordinarius.

II.

DIE VI. JUNII MDCCCXXI.

Rector Magnificus cum Senatu communicavit Decretum Regium, quo Dominus Nobilissimus DE SPOELBERCH, Vice-Comes et Consiliarius Curiæ Appellationis, inter Curatores Universitatis nostræ est receptus.

Eodem die a Senatu Academico nominati sunt sex Candidati, quorum nomina mitterentur ex lege ad Regem Augustissimum, ut ex iis Rectorem Magnificum anni proxime sequentis designaret.

III.

DIE XII. JULII.

Rector Magnificus cum Senatu communicavit Regium Decretum, quo Rector Academiæ Magnificus in annum proxime sequentem designabatur Vir Humanissimus G. J. BEKKER, cui de hoc honore a Collegis facta est gratulatio.

IV.

DIE XXVIII. JULII.

Nominati sunt a Senatu sex Candidati, e quibus in annum Academicum Actuarius a Curatoribus eligeretur.

V.

DIE VIII. OCTOBRIS.

Senatus Amplissimus habitus est, in quo Vir Clar. G. J. BEKKER, ab Augustissimo Rege Rector designatus, et FR. JOS. DUMBECK, Actuarius electus, secundum Legem Acad. jusjurandum dederunt.

Rectori electo ex ordine et lege Assessores adjuncti sunt,

Ex Ordine Medicorum, G. J. VAN GORBELSCHROY.
— ——— Juridico, F. M. BIRNBAUM.
— ——— Disc. Math. et Phys. F. J. ADELMANN,

Denique vero Rector Magnificus Vir Clarissimus H. F. DECOSTER, præsentibus Academiæ Curatoribus, Professoribus, Lectoribus et Studiosis, in Aula Academica Orationem publice habuit, et Victores Juvenes præmiis debitis ornavit, quum Judicia Facultatum ab Actuario prælecta essent. Quo peracto Vir Amplissimus Curatorum Præses concionem legitime dimisit.

IV.

JUDICIA

ORDINUM

UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

ET

PROGRAMMA QUAESTIONUM

PROPOSITARUM.

JUDICIA
ORDINUM
UNIVERSITATIS LOVANIENSIS
DE
COMMENTATIONIBUS
AD
QUAESTIONES
PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXX.
PROPOSITAS.

JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

Ad quæstionem :

« Ex juris publici principiis demonstretur, legem non verbis, sed voluntate, cujus verba signa sunt, constare. Dein variæ proponantur regulæ quæ, verbis dubiis, in investigandâ voluntate adhiberi possint; singulæque exemplis illustrentur. Tum doceatur, quomodo voluntas inveniatur, quatenus verba desint. Postea perpendatur, an etiam

tunc cum verba clara sunt, voluntatem aliunde quærere liceat. Denique exponatur quanti in jure civili hodierno interpretando valeant et emendationes quas codicis prima adumbratio gradatim subiit, donec tandem lex evaserit, et observationes curiarum, tribunorumque; item ea quæ in consilio sanctiori, cum singuli articuli perpenderentur, undique dicta sunt; et tandem orationes quas oratores seu consulum seu tribunorum in consilio legatorum populi habuerunt. »

tres commentationes Ordini fuerunt oblatæ, inscriptæ :

1. *Audere non dedecet.*

2. *Non quid dixeris, sed quid senseris, cogitandum. Scire leges, non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.*

3. *Nos poma natamus.*

Harum commentationum prima aliis præstare et præmio Regio digna judicata est. Aperta autem schedula nomen retulit

Petri Josephi Van der Ton, Antwerpiensis,

in nostrâ Academiâ Juris Candidati, superiori anno ab Ordine Philosophiæ et Literarum Humaniorum palmâ jam decorati. Qui, cum examen cum ipso institutum satis bene exantlasset, omnium consensu verus scriptionis auctor est habitus et victor renunciatus.

JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Ordo Philosophorum et Literatorum ad primam a se propositam quæstionem :

« Explicetur ratio *progressûs*, quem, fractam post Hispanorum septem in fœderatis Belgii regionibus potentiam summique imperii abdicationem, *lingua* fecerit *Belgica*, et prorsus exponatur causa *ejusdem idiomatis negligentiæ*, per totum Regiâ in Belgicâ domûs Austriacæ dominationis spatium, *recentissimam* usque ad omnium Belgarum sociale sub principis Arausiaci imperii pactum *reconciliationem.* »

nullam omnino accepit responsionem. Ad alteram vero:

« Ut disseratur *de Formis rerum publice gerendarum.* Eruatur nimirum ex imâ antiquitate primaria regiminis *origo* et *ratio*, *vis* et *usus;* deinde ejus per temporis decursum mutatamque civitatum indolem coorta *multiplicatio* et *abusus :* tum demonstretur *necessitas* formarum summæ rerum gerendæ atque *momentum* ad publicam prosperitatem *salutare.* Idcirco recenseantur et adcuratius explicentur *loci auctorum classici*, tam antiquiorum, quam recentiorum, qui vel proprios hujus argumenti libros in lucem ediderunt, vel datâ opportunitate in eam rem delapsi sententiam dixerunt. Quum denique jam putidum sit disceptare de *optimâ* regiminis formâ, diligenter inquiratur in id, quod seu *fructuosum* seu *vitiosum* in omnibus et singulis inveniatur : quapropter depingatur *civitatum natura*, quibus vel hæc vel alia videatur respondere : quem in finem proferatur in medium Libri III. Caput 80. *Historiarum Herodotearum*, atque *agatur judicium* de eo quod *verum*, quod sophisma sit in illâ procerum Persarum disputatione. Hæc autem omnia et quæque genuinis et lucu lentis exemplis ac testimoniis ex universo historiarum orbe depromptis comprobentur. »

duæ dissertationes sunt transmissæ, quarum prior Gallicis his verbis insignita:

Une bonne législation est le plus beau titre de gloire pour l'état qui la possède: elle vaut pour lui les plus brillantes conquêtes, puisqu'elle attire et réunit sous son égide tous ceux qui sont jaloux de partager ses précieux avantages.

duodeviginti tantum paginis formæ quartæ continetur tamque subito ac barbare est conscripta, ut de reprobandâ illâ ne punctum quidem temporis Ordo dubitaret. In altera autem, cui Lockiana hæc sententia præfixa est :

Partout où il y a un certain nombre de gens unis de telle sorte en société, que chacun d'eux ait renoncé à son pouvoir exécutif des lois de la nature, et l'ait remis au public, là, et là seulement, se trouve une société politique ou civile.

licet spissior sit et priore illâ multo diligentius elaborata, toties tamen auctor et a proposito argumento aberravit et in rerum dispositione turbavit, ut præmium ei itidem esse abjudicandum ab Ordine censeretur.

Ad tertiam denique quæstionem :

« Colligantur, disponantur et illustrentur Fragmenta *Chrysippi*, Philosophi Stoici, ita ut in exemplum sibi proponant discipuli præstantissimas illas commentationes, quæ in eodem genere a doctissimis *Wyttenbachianæ* disciplinæ alumnis exstant conscriptæ, ut *Mahnii* V. Cl. de *Aristoxeno*, *Bakii* V. Cl. de *Posidonio*, *Nieuwlandii* de *Musonio* et *Lyndenii* de *Panætio*. »

una solummodo scriptio est exhibita, cui hæc Senecæ verba inscribuntur:

Nos quoque apes debemus imitari et quæcumque ex diversâ lectione congessimus, separare. Melius enim distincta servantur.

Cui scriptioni, sive disponendi curam spectemus sive explicandi industriam criticamque maxime rationem, multa et ipsi ad perfectionem desunt, ut digna quidem illa haud videretur, quæ in egregiarum commentationum, quas in exemplum proposuerat Ordo, laudis societatem admittatur. Cum vero auctor plurima saltem Chrysippi fragmenta ex omni Veterum Scriptorum genere diligenter collegerit et in illustrandis illis accuratam hinc inde et exquisitam doctrinam expromserit, luculentamque insuper adjecerit de Chrysippi Vitâ ac Doctrinâ disputationem; utilissimam fore hanc commentationem iis judicavit Ordo, qui doctius aliquando in eodem argumento pertractando sint versaturi. Quâ ratione permotus et perpendens insuper temporis angustias, quibus inclusus fuit auctor, præmio ab Augustissimo Rege proposito eam esse ornandam existimavit. Schedulâ autem, quæ dissertationi adjecta erat, reseratâ et examine ad Codicis Academici art. CXLVI. instituto, apparuit, auctorem illius esse

Franciscum Nicolaum Gislenum Baguet, Nivellensem,

Philosophiæ et Literarum in hâc Academiâ Candidatum.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad quæstionem propositam, qua postulabatur :

« Functionis hepatis expositio; et quidem primo ex propriâ suâ constructione; deinde ex relatione suâ cum aliis corporis humani partibus, datâ simul explicatione utilitatis in œconomiâ animali illius quidem productionis, quam

bilem vocant, quamque multi adhuc, qui medicam artem tractant, inimicissimam generis humani materiam insequuntur. »

una tantum oblata est commentatio sequenti lemmate inscripta :

Duo viscera sunt, a quibus fere omne morborum chronicorum genus oritur, pulmo, a quo tabes; hepar, a quo innumerabiles lentique morbi.

Boerhavii. Prælect. Academic. cum not. Hall.
Amstelodami 1742, tom. III, p. 186.

quam doctrinæ nec non styli haud inculti momento palmâ dignissimam Ordo judicavit. Aperta autem schedulâ, legitimâque disquisitione institutâ, patuit diatribes auctorem esse

Antonium Josephum Nihoul, ex Saint-Germain, provinciæ Namurcensis, in hâc Academiâ Medicinæ Candidatum.

JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Ad Quæstionem Mathematicam :

« Datus sit radius sphæræ,... cui singula corpora solida, quorum hedræ *(faces latérales)* sunt polygona duplicis generis (triangula et quadrata, triangula et pentagona;...... quadrata et pentagona, quadrata et hexagona;.....) regularia, angulique solidi æquales vel symmetrici, inscripta sunt, quærantur valores generales qui præbent quantitatem 1 cujusvis ejusmodi corporis acierum *(côté* ou *arête);* 2 hedrarum; 3 superficierum *(surface);* 4 soliditatis; 5 radii

denique circuli qui circa singulam cujusvis corporis supra inventi hedram circumscribi potest. »

tres ad Ordinem commentationes sunt perlatæ, quarum duæ præsertim auctorum industriam et diligentiam testantur. Ejus vero commentationis in fronte lemma

Errare humanum

habentis auctor subtilitate, sagacitate eleganterque quæstionum analytice adgressus invento corporum semiregularium sphæræ inscriptorum numero valores pro acie, hedrâ, superficie, soliditate cujusvis polyedri obtenti, et pro quantitate radii circuli singulis hedris circumscribendi formulis generalibus ingeniosissime exhibuit, atque in toto negotio summam calculi atque Geometriæ eruditionem, dexteritatem, summumque studium præstitit. Itaque Ordo hanc commentationem laurea dignissimam judicavit.

Ad hanc proxime accedit inscripta,

Audere non dedecet.

Auctor sectionibus beneficio planorum, quæ per puncta divisionis aut acierum aut angulorum solidorum in duas vel tres partes invicem æquales, sunt acta egregia subtilitate et ingenio, invenit octo corpora et analyseos usu multa alia, quorum, quod dolet, plura sunt rejicienda ob angulos solidos conditioni problematis non convenientes. In formulas generales tantum pro duobus corporibus studio strenuo indagavit.

Auctor tertiæ commentationis symbolo inscriptæ,

Les vérités détachées, rassemblées et présentées sous la gradation naturelle du raisonnement, facilitent l'invention,

post prolixam introductionem, quâ methodum delineandorum corporum regularium juxta principia ab illustrissimo *Mongio* (par la géométrie descriptive) stabilita exponit, tandem ad rem trahitur, inventis sex corporibus generatim indicat, alia quoque corpora naturæ desideratæ exhiberi posse, e formulis nec elegantia, nec priorum studium perspiciuntur.

Apertâ schedulâ primæ commentationi *(errare humanum)* adjuncta nomen legebatur viri humanissimi

Henrici Josephi Kumps, ex *Isca superiori*, Ordinis Disciplinarum Mathem. et Phys. Universitatis Lovaniensis jam Candidati,

qui in examine deinceps instituto auctorem responsi verum sese probavit.

Ordo auctorem responsi cui verba, *Audere non dedecet*, adscripta sunt, publice invitavit, ut sibi nomen promulgandi potestas daretur. Quâ impetratâ veniâ schedulâque apertâ patuit, commentationis auctorem esse

Petrum Franciscum Wafelaer, *Machliniensem*, Juris Studiosum in Academiâ Lovaniensi.

Ad Quæstionem Physicam :

« Quæritur : 1° Quænam sint corpora permanenter aëriformia sive quæ gaza dicuntur; 2° quænam sint singuli usus et proprietates; 3° in quibus generatim differant a vaporibus. »

unicam commentationem Ordo accepit, cui palma tribuebatur. Inspectâ schedulâ, in fronte symbolum commentationis habente :

Quodcumque fluit de rebus id omne aeris in magnum fertur mare; qui nisi contra corpora retribuat rebus recreetque fluentis omnia jam resoluta forent. » *(Lucretius);*

apparuit nomen

Josephi Henrici Reypens, Lierani, in Academiâ Lovaniensi Medicinæ Studiosi

qui contra objectiones Ordinis professorum in examine instituto commentationem suam defendit, ita, ut nihil ambiguitatis remanserit quin censendus esset auctor; cui, quanquam ad Latinæ orationis puritatem plurima in ea desiderantur, ob singularem tamen quam in argumento ipso explicando auctor præstitit diligentiam, palmam esse tribuendam Ordo judicavit. Cæterum monendum esse videbatur, multo accuratius eum in parte Chymicâ esse versatum, quam in Physicâ, in qua elaborandâ si tam diligentem atque in illâ se præstitisset, vix quidquam in hâc scriptione deprehendi, quod merito reprehendatur.

Ad quæstionem Botanico-Chymicam:

« Petitur historia naturalis technica et chymica opii opiique succedaneorum. »

unica commentatio Ordini oblata est, cui symbolum:

Sed quæ (papaveris) species est alba, crepanti concolor argento, gaza resplendet agreste.

Rapini hortorum lib. I.

Resignata schedulâ Ordo scriptorem esse intellexit

P. J. Hensmans, Disciplinarum Math. et Phys. in Academiâ Lovaniensi Studiosum,

qui in examine instituto id præstitit, quo nemo ut dissertationis auctor esset dubitaverit.

Licet ex aliis scriptis plurima desumpserit hujus commentationis auctor, ea tamen rite explicavit et observationibus elucidavit. Permulta quidem quæ ad materiam bene illustrandam necessaria erant adferenda, omissa sunt. Sed ea in re dijudicandâ eo minus severos nos præstare existimavimus, quo latior est argumenti ambitus et quo difficiliora et sumptuosiora pericula, quæ plurima ab auctore ipso erant instituenda et aliis denuo instituendis confirmanda. Dolendum solummodo est, in citandis auctoribus parum diligentem eum fuisse et in ea dissertationis parte quæ ad Botanicam pertinet, multa quæ ad rem faciebant, omisisse et ea ipsa quæ ex hâc disciplinâ protulit, obiter tantum indicasse : quæ si uberius exposuisset, haud parum ornamenti huic commentationi accederet. Cæterum minime dubitavimus quin præmio proposito eam ornaremus.

QUAESTIONES

IN

ACADEMIA LOVANIENSI

ACADEMIARUM BELGICARUM CIVIBUS STUDIOSIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXII.

E DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI.

ART. 140-149,

PROPOSITÆ.

I. AB ORDINE JURECONSULTORUM.

Quæritur :

« Quænam sit differentia inter delicta dolosa et culposa; an ex principiis juris publici universalis civitati jus sit, culposa etiam delicta puniendi; et an Romani unquam et quo tempore in delicta culposa pœnam publicam statuerint? Colligantur deinde et explicentur singuli loci Codicis Pœnarum adhuc vigentis, quibus in delicta mere culposa pœna statuitur, indeque sistantur principia generalia, quæ legumlatores Gallici in illis locis sanciendis sunt secuti, et ex his regulæ deriventur in locis illis adplicandis a judicibus observandæ. Jam disquiratur an non de puniendâ culpâ

regulæ generales in Codice Pœnarum a legumlatore essent proponendæ, ac denique examinetur, quatenus hoc factum sit et in Codice Gallico, anni 1810, et in Codicibus Gallicis anterioribus, et in Codice Batavo, anni 1808, et in aliis. »

II. AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Cum ad duas has Quæstiones annis proxime elapsis propositas:

« Diligenter et accurate exponatur locus de *Errorum Fontibus,* copiosius præcipue eâ parte explicatâ, quæ est de *Opinionibus præjudicatis* (vulgo præjudiciis), indicenturque quænam adhibendæ sint errores undecumque ortos evitandi cautiones: idque eà ratione, ut Antiquorum et Recentiorum, qui idem argumentum attigerunt, placitis continuo inter se comparatis, suam ipse sententiam auctor adjiciat. »

et

« Disseratur de *formis rerum publice gerendarum:* et primum quidem ex imâ Antiquitate eruatur primaria regiminis *origo* et *ratio, vis* et *usus;* deinde ejus per temporis decursum mutatamque civitatum indolem coorta *multiplicatio* et *absus,* tum demonstretur *necessitas* formarum summæ rerum gerendæ atque *momentum* ad publicam pros peritatem *salutare.* Idcirco recenseantur et adcuratius explicentur *lovi auctorum classici,* tam antiquiorum quam recentiorum, qui vel proprios hujus argumenti libros in lucem ediderunt, vel datâ opportunitate in eam rem delapsi sententiam dixerunt. Quum denique jam putidum sit disceptare de *optimâ* regiminis formâ, diligenter inquiratur inid,

quod seu *fructuosum* seu *vitiosum* in omnibus et singulis inveniatur: quapropter depingatur *civitatum natura*, quibus vel hæc vel alia videatur respondere: quem in finem proferatur in medium Libri III. Caput 80. *Historiarum Herodotearum*, atque *agatur judicium* de eo quod *verum*, quod sophisma sit in illa procerum Persarum disputatione. Hæc autem omnia et quæque genuinis et luculentis exemplis ac testimoniis ex universo historiarum orbe depromtis comprobentur. »

nulla esset exhibita præmio digna commentatio, easdem in annum insequentem rursus esse proponendas hic Ordo existimavit: denuo autem postulat, ut

« Conscribatur Historia Senatus Romani; ita quidem ut, accurate fontibus undique excitatis, doceatur, quæ fuerit origo potestatis Senatoriæ, quæ ejus in rem Romanorum publicam omni tempore et sub qualibet reipublicæ (Regiæ, liberæ, Cæsareæ), formâ et vis et auctoritas, quæ hujus auctoritatis incrementa, vicissitudines, imminutio, interitus. »

III. AB ORDINE MEDICORUM.

« Proponatur diagnosis comparativa singulorum morborum, in organis internis pectoris sedem habentium, tam febrilium quam apyretorum. »

IV. AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

1. Postulatur methodus, qua, absque calculo differentiali et integrali, determinari possit superficies, sæclusâ basi, tam

5.

coni scaleni, cujus basis est circulus, quam coni pro basi ellipsin habentis, cujus vertex alterutri ellipesos axi perpendiculariter immineat. »

2. Referantur præcipua phænomena chymica quæ duplicem interpretationem theoreticam patiuntur, illustrendo processus in quibus phænomena quæsita locum habent. »

3. Definiatur nutritio corporum organicorum in genere comparetur que nutritionis processus vegetabilium cum illo animalium; exponatur deinde progrediens ejus in variis animalium classibus evolutio. »

Responsa, oratione Latinâ et manu alienâ nitide scribenda una cum schedulâ nomen auctoris occultante, cui eadem sit quæ responso inscriptio, ad virum clar. Senatus Academici pro anno proxime sequenti graphiarium *ante Calendas Junias* MDCCCXXII mittenda sunt, ut victores tempore per Decretum Regium fixo præmiis ornari possint.

LOVANII, Pridie Nonas Sextiles MDCCCXXI.

V.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE II. OCT. MDCCCXX AD DIEM I. OCT. MDCCCXXI.

PUBLICE DEFENSARUM.

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

A DIE II OCT. MDCCCXX AD DIEM I OCT. MDCCCXXI.

PUBLICE DEFENSARUM.

DISSERTATIONES JURIDICAE.

ANNO MDCCCXX DIE VII NOVEMBRIS

Th. J. Fr. Gislenus Diert-de-Kerckwerve, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralem *De Donationibus Inter Virum et Uxorem* publice defendit.

DIE XXIII NOVEMBRIS

L. Josephus Decodt, *Yprensis*, Dissertationem Inauguralem *De Absentiæ, quoad bona quæ absens tempore quo abesse in cœperit possidebat, effectibus* publice defendit.

DIE VII DECEMBRIS

A. Ludovicus Aelbrecht, *Lovaniensis,* Dissertationem Inauguralem *De Liberis Naturalibus* publice defendit.

DIE XI DECEMBRIS

C. Henricus Moris, *Lyranus,* Dissertationem Inauguralem *De Patria Potestate* publice defendit.

DIE XIX DECEMBRIS

F. Josephus Drugman, *Bruxellensis,* Dissertationem Inauguralem *De Immobilibus* publice defendit.

ANNO MDCCCXXI, DIE II JANUARII

Carolus Fletté de Flettenfeld, *Bruxellensis,* Dissertationem Inauguralem *De Hypothecis Conventionalibus* publice defendit.

DIE X JANUARII

J. Franciscus Josephus Cambier, *ex Dour in Hannoniâ,* Dissertationem Inauguralem *De Paternitate et Filiatione* publice defendit..

DIE XI JANUARII

Augustus Fontaine, *Binchiensis,* Dissertationem Inauguralem. *In Articulum Codicis Civilis Hodierni* 841 publice defendit.

DIE XVIII JANUARII

P. Emmanuel Vandenhecke, *Gandavensis,* Dissertationem Inauguralem *De Fidejussoribus et Mandatoribus* publice defendit.

DIE XXIII JANUARII

C. Fr. P. Gislenus Surmont, *Gandavensis*, Dissertationem Inauguralem *De Modis quibus Ususfructus constitui solet* publice defendit.

DIE XII MARTII

Stephanus Gadiot, *Mosæ-Trajectinus*, Dissertationem Inauguralem *De Usufructuarii Juribus* publice defendit.

DIE III APRILIS

Joannes Truyen, *ex Hoorebeke in Flandriâ Orientali*, Dissertationem Inauguralem *Quid Solvendum?* publice defendit.

DIE V APRILIS

Gast. Car. Ang. d'Auxy, *Montensis*, Dissertationem Inauguralem *De Formulis Donationum inter Vivos* publice defendit.

DIE X APRILIS

J. Fidelis Van Huele, *Brugensis*, Dissertationem Inauguralem *De Patriâ Potestate* publice defendit.

DIE XXVI MAII

Joh. Baptista Giet, *ex Eenaeme in Flandriâ Orientali*, Dissertationem Inauguralem *Ob quas Causas Matrimonia Rescinduntur?* publice defendit.

DIE XXX MAII

Lud. Paulus Beeckmann, *ex Lebbeke in Provinciâ Flandriæ Orientalis*, Dissertationem Inauguralem *De Morte Civili* publice defendit.

DIE IV JUNII

M. Eugenius Van Elewyck, *Lovaniensis*, Dissertationem Inauguralem *De Dominii Translatione* publice defendit.

DIE XXIII JUNII

Alexius Du Roy, *Athensis* , Dissertationem Inauguralem *De Jure Reversionis in Donationibus inter Vivos*, publice defendit.

DIE II AUGUSTI

Josephus Conard, *Antwerpiensis*, Dissertationem Inauguralem *De Testamentariis Executoribus* publice defendit.

DIE IV AUGUSTI

F. Adolphus Delfosse, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralem *De Modis quibus Filiatio Liberorum Legitimorum probetur* publice defendit.

DIE VI AUGUSTI

L. Jos. Arnoldus De Lacourt, *Sylvæducensis*, Dissertationem Inauguralem *Ad Art.* 843. *Cod. Civil.* publice defendit.

DIE VII AUGUSTI

Ludovicus Bourdeau, *ex Lessinia in Hannoniâ*, Dissertationem Inauguralem *De Reversione Legali* publice defendit.

DIE VIII AUGUSTI

R. J. Theodorus Hermans, *Diesthemiensis*, Dissertationem Inauguralem *De Contractu Societatis* publice defendit.

DIE IX AUGUSTI

Josephus Prevost, *ex Templeuwe in Hannoniâ*, Dissertationem Inauguralem *Ad Legem* 617 § *I et II Cod. Civ. Hod.* publice defendit.

DIE X AUGUSTI

Henricus Pletain, *Sonegiensis*, Dissertationem Inauguralem *De Rescindenda Divisione Hæreditatis* publice defendit.

DIE XI AUGUSTI

Franc. Emmanuel Jannes, *Diesthemiensis*, Dissertationem Inauguralem *De Novatione* publice defendit.

DIE XI AUGUSTI

Ludovicus Laloux, *Namurcensis*, Dissertationem Inauguralem *De Minoribus eorumque Privilegiis* publice defendit.

DISSERTATIONES MEDICAE.

ANNO MDCCCXX, DIE XI NOVEMBRIS

Eug. Josephus Carrette, *ex Rolleghem in Provinciâ Flandriæ Occidentalis*, Dissertationem Inauguralem *De Asphyxia Eejusque medendi Methodo* publice defendit.

DIE XVIII NOVEMBRIS

P. Henricus Daniels, *Sittardiensis*, Dissertationem Inauguralem *De Rheumatismo* publice defendit.

DIE XVI DECEMBRIS

LUD. AUGUSTINUS ARNAUTS, *ex Geet-Betz,* Dissertationem Inauguralem *De Nephritide* publice defendit.

ANNO MDCCCXXI, DIE IV JANUARII

FERD. ANTONIUS DA SYLVA, *Eboræ natus in Lusitaniâ, Institutionis Medicœ Parisiensis socius, etc.*, Dissertationem Inauguralem *De Morbo improprie Febre Biliosâ Essentiali vocato* publice defendit.

DIE XXVI JANUARII

JOH. JOSEPHUS GOOR, *Gelensis,* Dissertationem Inauguralem *De Rabie* publice defendit.

DIE XXIX JANUARII

M. JOSEPHUS COURTEHOUX, *ex Signy le Petit in Arduennorum Prœfecturâ in Galliâ,* Dissertationem Inauguralem *De Crisibus* publice defendit.

DIE XXXI JANUARII

BEN. JOSEPHUS AUDEVAL, *ex Wiers in Hannoniâ*, Dissertationem Inauguralem *De Febribus in genere* publice defendit.

DIE V FEBRUARII

THOMAS DODGSON, *Anglus, Collegii Regii Chirurgorum Londinensis Socius, etc,* Dissertationem Inauguralem *De Diaetâ* publice defendit.

DIE IX FEBRUARII

JOH. BAPTISTA VANDYCK, *ex Westerloo*, Dissertationem Inauguralem *De Apoplexiâ* publice defendit.

DIE XIV FEBRUARII

TH. JUL. CONSTANTIUS DONCKERWOLKE, *ex Wodecq in Hannoniâ*, Dissertationem Inauguralem *De Hydrope Abdominali seu Ascite* publice defendit.

DIE XII APRILIS

FLOR. PHIL. AUG. IOS. HELINDITCOLSON, *ex Nil-Saint-Martin in Provinciâ Brabantiæ Meridionalis*, Dissertationem Inauguralem *De Pubertate* publice defendit.

DIE VIII MAII

EM. JOSEPHUS RAYÉE, *e Capella Sancti Laurentii in Provinciâ Brabantiæ Meridionalis*, Dissertationem Inauguralem *De Sympathiâ seu Consensu Partium in genere* publice defendit.

DIE XXII MAII

EM. ALBERTUS LECLERCQ, *Binchiensis Hannomontanus*, Dissertationem Inauguralem *De Metritide Acutâ* publice defendit.

DIE XIII JUNII

LUD. JOS. BERNARDUS POLLENUS, *Bruxellensis*, Dissertationem Inauguralem *De Hæmoptysi* publice defendit.

DIE XXIV JULII

JO. BAPTISTA ENGLEBERT, *ex Enines in Provinciâ Brabantiæ Meridionalis*, Dissertationem Inauguralem *De Morbo improprie dicto Febre Putridâ aut Adynamicâ* publice defendit.

DIE XXVI JULII

EGID. PIUS VERBIST, *Gelensis*, Dissertationem Inauguralem *De Peripneumoniâ Chronicâ* publice defendit.

DIE VII AUGUSTI

Joh. Baptista Lievens, *Hoogstratanus*, Dissertationem Inauguralem *De Balneis* publice defendit.

DIE VIII AUGUSTI

Josephus Cocks, *Antwerpiensis*, Dissertationem Inauguralem *De Erysipelate* publice defendit.

VI.

ADRIANI VAN SOLINGEN

ORATIO

INAUGURALIS.

ADRIANI VAN SOLINGEN,

A. L. M. MED. ET PHILOS. DOCTORIS,

ORATIO INAUGURALIS

DE

ADMINICULORUM FERREORUM ABUSU PERNICIOSO, EORUMDEMQUE USU SALUBERRIMO, IN ARTE OBSTETRICIA FACTITANDA.

HABITA D. XVI JANUARII ANNI MDCCCXXI.

CUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

EXTRAORDINARIAM ARTIS OBSTETRICIÆ

PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

ORATIO INAUGURALIS.

AUDITORES CUJUSCUMQE LOCI ATQUE ORDINIS HONORATISSIMI!

Quicumque vel antiquissimarum vel recentiorum gentium annales pervolvat, hominum sortem complorat, animadvertens principes ac duces exercituum nomen sibi ac gloriam plerumque damno ac detrimento, nisi civium, generis certe humani quærere; nimirum videas illos id solum studentes, ut rerum gestarum splendore inclarescant, nullas non artes, nullum non genus tormentorum excogitare, copias et acies quam solertissime instructas adducere, ad necem, ad devastationem, ad omnis generis mala naturæ suæ sociis inferenda. Sed in exordio hujus orationis armorum bellique mentionem fieri miramini AA. HH. eoque magis cum exoptatissimæ pacis beneficio Musæ per Principem nostrum Sapientissimum, in hasce pristinas suas sedes restitutæ sint. Nos quoque de immani ista bellandi crudelitate non amplius loquemur; verumtamen animos vestros ad varias cum certaminum et laborum, tum etiam ferri armorumque imagines, denique ad genus prœlii longe diversum devocabimus, ubi salus et vita hominum quæritur, non cædes et exitium. Etenim videbitis naturam doloribus ac cruciatibus instructam prœ-

liam committere cum puerperis, quam debilissimi sexus partem æstumatissimam ut adjuvent atque tueantur solertissimi viri omnem ingenii vim artisque auxilia admovent et quasi in aciem producunt: quemadmodum post atrox sæpe prœlium bella componuntur, sic quoque gravis illa incitatio et congressus mulieris parturientis cum natura excipiuntur suavissima pace, quando mater lætissima, oculis gaudio splendentibus, pretiosissimum amoris pignus sinu complectitur; in eo etiam certaminum utrumque convenit ut artis ministri, qui puerperarum præsidium sustineant, etiam hoc prœlio insignibus facinoribus et nominis gloriæ nimium inserviant; qui haud cogitantes quam periculosum sit contra naturam depugnare, vim parent et ad ultimam dimicationem descendere audeant, cum cunctationem et prudentiam adhibere debuissent. Armati scilicet puerperæ laboranti auxilio veniunt, ut, partus ejectione accelerata, sibi victoriam maturent. Multa sæpe sunt, fateor, quæ invitent et vero alliciant artis nostræ peritos ad istam, quam dicimus, festinationem: magnum quippe et gratum est dolores mulieris misere jactatæ et luctantis adlata opera sedasse: gloriosum est partus non naturalis ac difficilioris, expediti nomen et gratiam meruisse: hac denique agendi ratione et tempori suo pepercisse et moræ tædium subterfugisse et famæ commodisque suis consuluisse, videtur hominis esse qui non stulte sapit. Mala, quæ ex hac properatione existant, si quis forte negare non nolit, idem tamen adminiculorum ferreorum utilitatem esse insignem contendat, cum in periculis futuris avertendis, tum etiam præsentibus superandis, ille hac in re me facile habebit adsentientem: quapropter ut in neutram partem, quantum fieri potest, peccaretur, operæ pretium fore existimavi, si adminiculorum istorum ferreorum usus

diligenter constitueretur, ut media illa ratio inter utrosque tam moræ quam festinationis fines posita omnibus magis clara et manifesta appareret. Itaque nihil neque ab hoc loco neque ab hujus diei solemnitate, qua hodie provinciam mihi delatam oratione rite suscepturus sum, alienum facturus mihi videor cum ex hoc loco dicendi materiem eligam; dicam igitur *De adminiculorum ferreorum abusu pernicioso, eorumdemque usu saluberrimo, in arte obstetricia factitanda.*

Nolite autem vereri ne in obstetricium illud instrumentorum armamentarium vos deducam aut cruentam illam ferramentorum vim inde proferam, et singulis ante oculos vobis constitutis, enucleate exponam de uncis, qua quique figura sint ac forma : de uteri speculis, de tollenonibus, ut istis caput extrahatur, de forcipum denique multitudine ; ut illæ sint deinceps mutatæ, emendatæ, acuminatis etiam cuspidibus instructæ. Ista disserere atque explicare in festo, si quod fuerit forte, Libitinæ, convenisset, non vero hocce die quo contra almæ Lucinæ sacra et virtutes celebrare magis deceret. His igitur omissis, ad argumenti nostri tractationem, accedemus, si prius vos quoque monuerim, neque cultrum anatomicum huc pertinere; quum enim de adminiculis ferreis, non vero de *encheiresibus* verba faciam, sectionis synchondroseos pubis et cæsareæ commentatio a proposito nostro prorsus est aliena.

Quandoquidem autem recentiorum sagacitas et solertia ex terrifico illo apparatu ferreo solam forcipem et vectim obstetricium retinuerunt et cætera omnia, ad vitam *et matris et embryonis* tuendam, sapientissime exterminarunt, omnium primum indagationi nostræ sese offert forceps obstetricia, quæ perverse intempestiveque, ut sæpenumero fit, adhibita

inutilis est atque noxia, ceterum, loco et ratione admota est præstantissima et salutifera.

Fundamenti instar nobis erit, quo omnis disputatio nostra innitetur, aurea illa lex artis obstetriciæ, qua omnibus, qui puerperis arte sua adsint, præcipitur ut cranium infantis, minimis, ut dicitur, diametris ad transitum se offerre oporteat: cuivis enim, vel artis nostræ imperitissimo, facile apparet spatium quodcumque eo expeditius vel re aliqua vel corpore transiri, quo minori illius mensura seu dimensione penetrare suscipiat. Verumtamen, ut capitis ille situs, de quo dicimus, obtineatur, forcipis auxilio neutiquam est utendum; sola enim *encheiresis* obstetricia, quæ sive manus, sive vectis aut conversionis ope peragitur, adhibenda est; atque hoc loco in primis memoranda mihi est pessima illa notionum perturbatio, quibus barbare quidem, sed ad verbum *inclavationem* seu *incarcerationem* capitis exprimimus; quæ profecto perturbatio per universum artis ambitum et inter omnes, qui partui præsint, adeo increbuit ut semper fere, in puerperio, ubi perversam capitis positionem offendant, has ita dictas *inclavationem* et *incarcerationem* somnient.

Luctuosissima illa notionum confusio eo magis dolenda est, quo dicta ista *inclavatio* rarius accidat, quin hodie adhuc cum retardatione capitis pessime usque confundatur: caput enim perverse positum forcipe extrahendum clamitant: extrahendum dicis, an potius evellendum; quod nullis scilicet carceribus inclusum, sed retardatum modo cum sit, propterea quod prævia pars capitis majori diametro offeratur, solertiores artis nostræ magistri commutandum et ad meliorem situm revocandum docent. Vacillat igitur vel potius falsa est illa

ratio, qua, licet nulla urgeant symptomata, ubicunque retardetur partus et dolores nisusque vel languescant vel subsidant, forcipem adhibendam fœtumque eliciendum asseverent, quo longius hoc facto aberrent a recto proposito, caput majori sua dimensione collocatum, apice vero cunei non prævio, comprimentes forcipe, apoplexiam efficiunt, et, non nisi summo materni corporis dilacerandi periculo, fœtum incautius extrahunt.

Roget fortasse aliquis, si jam tibi concedamus prius esse tentandum ut leviori opera restitutio illa capitis in meliorem situm perficiatur : quid, si labor iste non procedat, si frustra sit ? Contendo equidem restitutionem illam, de qua agitur, forcipis ope non tantum non esse faciendam, verum etiam peragi aut confici omnino non posse : itaque æquus ac peritus rerum arbiter nobis lubens adsentietur forcipis usum in puerperio, quando positione capitis majorem dimensionem præmittentis illud retardetur, prorsus esse condemnandam.

Minore damno peccant, sed peccant nihilominus graviter, qui in quolibet puerperio, quamvis optimum situm caput habeat, quotiescumque partus non procedat, verum moretur, mox forcipem in auxilium vocandam prædicent. Illos autem, qui eo consilio forcipem immitti velint ut minorem capitis circumferentiam complectantur, primum rogatos velim num, quo tempore cranium pelvim inferiorem aut nondum aut vixdum ingressum sit, statim de vera capitis positione tam certi sint quam qui certissimi ? Initio enim partus suturarum situm omnemque rationem indagare esse rem unam difficillimam, quis ignorat ? Itaque junioribus, usuque artis nostræ nondum adultis, hanc sive observationem sive normam esse

præscribendam statuo: abstineatur omnino forcipis usu, quamdiu, indagatione instituta quam accuratissime, cranii positio nondum satis sit cognita.

Quod si jam fingamus istis, quod fieri vix potest, optimam illam capitis positionem, minorem pelvim nondum ingressi, penitus cognitam esse et exploratam, tamen multæ sunt rationes eæque graves, quæ forcipem introduci vetent, quarum primam commemoro ipsam dolorum puerperii naturam et uterini ostii actionem et structuram.

Natura enim partus doloribus uteri ostium aperit ac dilatat, eoque fere toto extento ac deducto fœtus expellitur: ostio autem uterino non perfecte deducto si immittatur forceps, tantum abest ut ostium illud magis magisque aperiatur, ut multo magis stimulo non naturali lacessitum contrahatur et capite, forcipe prehenso et jamjam extrahendo, quam maxime renitatur.

Itaque nullus dubito quin omnes, quorum ingenia recto doctrinæ cultu sunt subacta, perversam hanc agendi rationem, utpote a benignissimo naturæ scopo prorsus alienam et dirissimis sequelis comitatam plane improbent atque rejiciant; quid autem pathologiæ, quid rei obstetriciæ peritis fœda, quæ inde enascuntur, mala commemorem? Novistis enim et plane perspectum habetis crudelem illum uteri spasmum, a stimulatione non naturali oriundum, qui parturientis nervos per omnem reliquam vitam miserrime sit perturbaturus: novistis exitiosam istam uteri inflammationem, ex eadem, quam diximus, caussa prognatam, mox ad gangrænam aut lentiori gradu ad scirrhos et carcinomata abituram: taceo alias ejusdem sci-

licet visceris procidentiam et inertiam, quæ alio loco amplum sed tetrum disserendi argumentum præbent.

Jam, quæso A. H. mente contemplemini artificiosissimam embryonis cranii galeam, maternæ pelvis cavo plane accommodatam et tenerrimis ossibus instructam, quæ ipso partu lente et pedetentim comprimuntur et coeunt, quibus rite perpensis ad Divinæ Sapientiæ admirationem abripimur; hæc autem si venerabundi expendimus, eximiam hujus structuræ præstantiam et salutiferam naturæ machinationem mox animadvertimus, quæ nihil per saltum agens, caput infantis ad pelvis cavum sensim sensimque accommodat et comminuit: itaque naturæ illi providæ refragantur, si qui celerius et uno impetu galeam illam comprimere instituant, quam violentiam apoplexia ne subsequatur omnino timendum est.

Muliebris etiam corporis claustra illa e quibus fœtus tandem, partu tantum non absoluto, erumpit, ligamentis firmissimis et *aponeurosibus* tenacissimis, quæ cranio lente et gradatim ampliantur et dilatantur, provide prudentissimeque summus rerum omnium fabricator munivit, ne deficientibus hisce stabiliminibus misera mulier per omne vitæ spatium, prolapsibus, herniis et cujusvis generis procidentiis teterrime excruciaretur. Tu vero, qui, nullis etiam urgentibus symptomatibus omnem partum, qui retardatur, forcipe absolvendum præcipis, tu firmissima hæcce muliebris corporis munimenta, nisi dilaceraturus, suo saltem privaturus stabilimento, harum calamitatum, quas recensere animus horret, auctor eris.

Ad hanc rationem cumulus accedit fatalis illa uteri inertia, quæ naturalis partus accelerationi crebro succedit; stimulante

enim embryone et turgentibus uteri fibris muscularibus, eodemque citissime et intempestive evacuato, mox deficit actio illa naturalis, quæ physice reactionis nomine insignitur; subsequitur uteri quies letifera, cum neque ad inane spatium sese contrahit neque partum secundum expellit, cujus cotyledones, si divaricantes forte sese uteri sinubus inseruerint eosque, residuis aliquot dolorum nixibus, deseruerint, misera mulier iterata syncope et immani sanguinis profluvio corripitur, quæ, nisi mox et quam celerrime præsentissimo huic periculo succurratur, una cum vita animam exspirat.

Neque est A. H. quod forte objiciatur idem illud adminiculum ferreum, quod acceleratione puerperii sanguinis profluvium excitat, ab artis nostræ præceptis tanquam optimum remedium præscribi ad profluvium illud sistendum: distinguendus est usus tempestivus ab intempestivo: distinguenda etiam uteri inertia ab utero non inerti; partu quippe nondum excusso et solutis aliquot placentæ *cotyledonibus*, si tetra hæmorrhagia prodeat, fœtum mox educendum esse et uterum, qui placentam jamjam expulsurus est, hac ratione ad contrahendi actionem excitari, nemo, nisi artis nostræ plane rudis, ignorat.

Siquis vero ulterius urgeat fieri posse ut subita illa embryonis et placentæ extractio, quæ sistendæ hæmorrhagiæ consilio instituitur, tristem istam uteri inertiam efficeret, ultro hoc concedimus: sed cogit et urget symptoma atrocissimum et letiferum, cui, cum quavis ratione occurrendum sit et spes præterea, usu confirmata, affulgeat fore ut, extractis fœtu et placenta, uterus sese contrahat, et mox aperti sinus comprimantur, anceps igitur hocce remedium omnino inter præsidia artis obstetriciæ salutifera et præstantissima referri oportet:

qui vero, nullis urgentibus symptomatibus, per accelerationem partus horrendam illam uteri paralysin ultro provocet, optabiles illas contractiones perturbat et maximo damno puerperæ avertit.

Siqui temere et audacter contendant se ab ista acceleratione puerperii nunquam quidquam mali expertos esse, tum profecto omnis disputatio ad finem perducta est: *Nil* enim *intra est oleam, nil extra est in nuce duri :* Neque necesse est ut asseverantur arguamus eos, ut nodum expediunt, falsa comminisci; constabit tamen per se veritas et in æternum integra conservabitur. Vos autem qui ubique per orbem pathologiæ studio operam datis, appello et testes invoco an non quæ disputata a nobis sunt et commemorata de diris casibus, intempestivum forcipis usum subsequentibus certis et immutabilibus naturæ legibus sint fundata.

Tacemus denique fœda incommoda illa, quæ diligenter celare solent miseræ mulieres, procidentias puta, hernias et dilacerationes, quibus omnibus cumulus accedit nervorum infirmitas eorumque aucta mobilitas, quæ mala, ut est mulierum patientia, sibi consciæ, tacite perdurant.

Quicumque autem non illotis, ut ajunt, manibus ad artis nostræ penetralia accedant, sed scientia præparati et instructi, forcipis obstetriciæ, divinitus nobis oblatæ, summam utilitatem et uberrimos fructus percipient. Hoc loco (nunc enim de recto ejusdem instrumenti usu agimus), memorandus est casus ille infestus quidem sed rarior, quem artis doctores *inclavationem* dicunt, et quæ, ut demonstravimus, a retardatione rite distinguenda est, quæque licet optima sit capitis

positio, exsistit a defectu convenientiæ inter mutuam cum capitis tum maternæ pelvis rationem, sive hæc rite constituta, sive rachitico malo est affecta. Hoc igitur casu omnes, quantumvis levi artis peritia tincti, facile perspiciunt forcipem esse egregie aptam ad caput minima diametro comprehendum.

Porro optimum præsidium in adminiculo hocce ferreo invenietur, quandocumque minima quidem capitis mensura prævia se offerat, sed illud cum pravis nihilominus maternæ pelvis dimensionibus conveniat: caput enim infantis, quod forcipe, secundum dispositionem, quam dicunt *longitudinalem*, transversa diametro prehenditur, sive cum antero-posteriori, sive cum transversa diametro isthmi superioris pelvis congruat, arcum quadraginta et quod excurrit, vel quadraginta quinque graduum feliciter efficiet, et in diagonales reducetur ; qua dispositionis mutatione rite peracta, embryo, ob imminentem forte compressionem, forcipis ope extrahatur (lente tamen et gradatim), nisi ob eamdem caussam, persistentibus in primis doloribus uterinis, expulsionem aliquamdiu naturæ viribus committas, non tamen soluta forcipe: ea enim est dolorum uterinorum datura, ut ad eumdem locum propulsiones suas pertinacissime dirigant, unde sane fit ut, soluta forcipe, expellendus embryo in priorem, eamdemque pravam dispositionem, nisi forcipe compescas, mox propellatur.

Illi denique qui mutuarum diametrorum dispositionem rite cognitam habent atque perspectam, ut unicum et ultimum præsidium, ad forcipem obstetriciam confugient, quando, maximis etiam cranii dimensionibus partui sese offerentibus, nulla spes apparet fore ut remotissimum occiput, sive manus, sive vectis ope inferiora versus adducatur; itaque instituatur

embryonis conversio; sed aquæ, cum jam dudum effluxerint et integumenta communia cranii in immanem molem tumuerint, manui obstetricantis, nimis tarde arcessiti, ultra pelvim inferiorem aditus non conceditur: in tali infortunio, ut aliquo saltem præsidio utamur, forceps, cujus usum majoribus diametris præviis, quam maxime improbavimus, introducatur oportet; non tamen ut caput educatur; per rerum enim naturam fieri haud quaquam potest ut majores diametri per dimensionem minorem transeant (quod ut bene animadvertant omnes artis nostræ cultores etiam atque etiam admonitos volo), sed, ut compresso et quodam modo adducto cranio, manu obstetricantis et vectis ope, restitutio capitis tandem obtineatur.

Quantum forcipis immaturum modo usum increpavimus, tantum iidem virtutes ejus tempestive admotæ prædicandas ducimus. In luctuosissimis enim casibus unica lux et salus inde sæpe petenda est. Nimirum imminentes vel jamjam præsentes syncopæ, hæmorrhagiæ, spasmi, convulsiones et affectiones soporosæ, quæ largissimis sanguinis emissionibus pertinacissime resistunt, exclusionem fœtus fieri jubent; in hac igitur rerum temporisque asperitate obstetricans quilibet, artis suæ rationem et præcepta tenens, cum statim prævidebit imminentia pericula, tum animo confirmato et præsenti illa artis præsidia adhibebit, quæ una sunt reliqua ad ista propulsanda.

Atque hæc, A. H. de abusu et de usu forcipis obstetriciæ dicta sufficiant.

Postquam autem Chamberleynus, Anglus, forcipis inventor ille, binas laminas ferreas conjunxisset, aliquoties quidem in

educendo embryone usus est felici eventu, crebrius tamen, utpote mutuarum dimensionum convenientiam ignorans, cum in patria sua, tum in Gallia, male processit. Famam igitur et victum deperditum ut recuperaret, profugus pene cum forcipe sua in Hollandiam transmigravit : interim in Anglia adminiculum hocce ferreum jam cognitum a Summo illo Viro Smellio in meliorem usum conversum est: in Hollandia vero Roonhuizio cum forceps primo innotuisset per fraudem et insolentem arcani venditationem, disjuncta forcipe unam laminam adhibebat, quam vectis nomine insignitam celebravit et vendidit; duo autem cives Amstelodamenses Visscherus et Pollius, animo generoso et liberalissimo arcanum hoc emptione mercati sunt et publici juris fecerunt.

Inventum interea Anglicum quum per universam Europam divulgaretur, binas laminas ubivis conjunxerunt, prorsus illi non putantes et forcipi et vecti suos cuique esse usus proprios et peculiares ; vectis autem usus multo latius patere, cum hic casui, qui crebrius accidit, succurrat, ubi caput majore diametro se offerat, illa vero capiti, in pelvi sinistre posito medeatur. Constitit itaque immortalis laus vecti salutifero, cujus arcuato et obtuso apice rite prehensum remotius occiput inferiora versus feliciter adducitur, dum peritiores, immissis alterius manus digitis, verticem protrudunt et prudentissima hac ratione, educendi fœtus operæ egregie auxiliantur.

Habetis jam, quæ de usu et laudibus vectis obstetricii hoc tempore satis esse videntur; restat ut de abusu quam brevissime dicamus.

Male igitur hoc adminiculo isti utuntur, qui vectim illum contendant recte applicari posse non occipiti tantum, verum

aliis etiam partibus capitis; licet perversam hanc agendi rationem sequendam prædicerent viri fama et eruditione celeberrimi, laude etiam nostra aut reprehensione longe majores (1): Perversi quoque usus sunt ii accusandi, qui vectim illum pelvi insinuent alio consilio quam ut caput minoribus diametris adducatur.

Hactenus, A. O. disputata de usu et abusu adminiculorum ferreorum pertinebant ad conservandam matris simul et embryonis vitam; luctuosioris generis sunt ea quæ instituantur ut sola puerpera mortis faucibus eripiatur: quum enim certissima infantis interitus indicia adsunt, neque reductionem neque emissionem cranii umquam futuram manifesto compertum erit, tum demum perfugiendum est ad cranii terebram, cujus usus feliciorem eventum obtinebit, si puerperæ copia sui colligendi fiat, sumtoque paregorico requiescat, quæ auxilii afferendi intermissio per duas horas, aut aliquanto amplius, pro ratione symptomatum proroganda est eo consilio ut redintegratæ vires uterinæ apertum cranium comprimant et emisso cerebro comminuant; quæ omnia si sinistre eveniant et fœtus introducto pollice per aperturam cranii, sive manus, sive forcipis ope non educatur, repetita apertura, ad terribiles uncos deveniendum est, quorum immissionem et usum sermone complecti animus horret.

Itaque animos vestros diutius in scena illa horrore referta non detinebo et in clausula argumenti nostri ad jucundiorem vos cogitationem devocare malo, excitans et monens omnes

(1) Vid. *P. Camper,* Verlosk. Verhandelingen, voor de Nederduitsche uitgave van het Tractaat over de ziekten der zwangere vrouwen van Mauriceau. Amst. 1759, p. 44 et Tab. 1, fig. 7.

atque universos ut grati lætique agnoscamus et prædicemus artis obstetriciæ progressus, quæ jam ad illud perfectionis fastigium provecta est, ut nulla mulier, siquidem sana, ipso partu umquam intereat.

Satis equidem pro consilio dixissem, nisi solemnia hujus diei et gratus in primis animus quam maxime a me postularent ut me converterem ad Vos, Academiæ Lovaniensis Curatores Amplissimi! Summam, quam habeo, et dum vivam, habebo gratiam Regi Augustissimo, qui hac dignitate, cujus munus hodie suscipio, me ornavit, et artium scientiarumque Præfecto, Viro Excellentissimo, cujus suffragatione sum dignatus, oratione et verbis exprimere nusquam aptius possum, quam hoc loco et tempore, cum publicam grati animi testificationem Vobis, Viri Nobilissimi! expromtam tradere licet. Gaudeo equidem et omnibus bonarum artium et literarum fautoribus gratulor quod hujus Academiæ cura et gubernatio commissa est tantis viris, qui doctrinarum sunt Mæcenates, dicam, et patroni, an Ipsi musarum artiumque optimarum antistites laureati, atque adeo dignissimi gravitate muneris delati. In Vobis, Viri Amplissimi! artium et literarum disciplinæ et humanitatis cultus, in Vobis denique bona pars salutis publicæ posita est. Bonum factum : Vos ii estis, qui et omnibus officii vestri numeris et omnium nostrum votis abunde satisfacere possitis; Vos, si qui alii, vindicabitis vel restituetis pristinum decus et gloriam Academiæ Lovaniensis, quæ postquam per quatuor secula insignis fuisset honore et meritis et largum proventum emisisset alumnorum suæ doctrinæ laude præstantissimorum, tandem aliquot abhinc annis ab altero illo Diomede temere ac nefarie erat eversa, et, ut putabatur, exstincta. Nunc autem, cum Gulielmus

Primus, Augustissimus Rex, ad patriæ nostræ gubernaculum est constitutus, Pallas, quasi rediviva in hac civitate caput extulit et sedes sibi collocavit. Magna igitur et communis omnibus civibus est gaudii materia, ingens vero ac præcipua mihi cum lætandi caussa obtigit, tum etiam gratias agendi habendique Vobis, Viri Nobilissimi, pro insigni vestra benevolentia ac beneficio, qui vestris judiciis me ad munus, quod hodie auspicatus sum, designastis. Deum Optimum Maximum supplex oro ut Vos quam diutissime conservet incolumes et integros, ut per longum adhuc annorum spatium et patriæ salutis et literarum culturæ testes ac patroni sitis.

Vos quoque quarumvis doctrinarum Professores Clarissimi! appello; Vos omnes atque universos etiam atque etiam rogo et obsecro, ut me benevolis animis comiter recipiatis; si quid hoc tempore de me promittere licet, eam morum ac naturæ facilitatem Vobis præstabo, ut existimatione et amicitia forte me non prorsus indignum aliquando judicaturi sitis. Si dicam me veneratione plenum vos oratione adire, verissimus sum: quidni enim corona virorum dignissima sit veneratione, qui, in sua quisque arte, propter doctrinæ famam et laudes, cum ex hac urbe, tum ex diversis patriæ et remotioribus Europæ oris evocati huc collecti estis ut Academiæ hujus decus resuscitaretis et augeretis, cui rei efficiendæ Vos certe in primis estis idonei. Conatus vestros et consilia fortunet Deus Optimus Maximus, quod ut fiat, ardentissime precor ac voveo.

Cæterum mihi liceat omnium vestrum voluntate ac judicio Virum ex universo vestro ordine eligere et præcipuam ac propriam mei sermonis gratæque commemorationis partem illi tribuere, qui me ex omnibus aliis suo judicio elegit.

Tu igitur, Clarissime Harbaure (1), primus fuisti, qui meam industriam doctrinæque laudem qualemcumque Amplissimis hujus Academiæ Curatoribus commendasti, et non ineptum esse affirmasti ad munus sustinendum mihi postea delatum: quo magis ex merito tuo fieri appareat, ut præcipua Tibi et reverentiæ et grati animi testificatio publice reddatur. Tibi quoque, Vir Clarissime, singularem ac summam habet gratiam Lovaniensis Academia, cujus rei documentum Rex Augustissimus exhibuit honorifico suo judicio, quo Tu, extra ordinem ac morem, munus Rectoris continuares, ut disjectas hujus Academiæ partes colligeres et componeres : quibus deinde solerter dispositis, de hac Academia insigniter meritus es et instituto nosocomio clinico, monumentum posuisti ære perennius. Verum ut ego, cæterique Professores totaque Academia hoc nomine valde lætamur, sic vehementer dolemus ac lugemus, quod Te, tali tantoque Viro, scientiarum doctrinæque laude excellentissimo, carendum est, qui a Rege rei medicæ militari, tam terra quam mari regundæ præfectus aliorsum hinc devocaris : sed tristitiæ nostræ et desiderio modus est adhibendus, præsertim cum Regis carissimi sanitas curæ etiam tuæ commissa est, qua præcipue in re, nec non in reliquis gravissimi muneris officiis, ut Deus consilia tua obsecundet omnes boni ardentissime optamus.

Te autem, Clarissime Baudi! hoc minus silentio prætermittere possim, quod animus meus gaudium et lætitiam sociat, cum omnibus bonarum artium fautoribus, qui merito lætantur et tibi gratulantur quod tantus honor, tanta doctrinæ tuæ virtutisque præstantia dignus est oblatus.

(1) Virum Clarissimum, cum ob gravissimi muneris officia huic solemnitati non adfuerit, alloquendi opportunitas non fuit.

Vos tandem compello et voluntate ac benevolentia amplector exoptatissimi commilitones. Pergite toto animo artium literarumque studiis incumbere. Vos autem in primis qui Medicinæ studio operam navatis, quibuscum jamjam arctiore studiorum necessitudine conjunctus ero, admonitos aut obsecratos volo ut animo reputare non desistatis quanti vestra intersit artis obstetriciæ scientiam recte tenere, quo facto non tantum in curandis gravidarum et puerperarum sed et cujusvis ætatis mulierum morbis, eorum caussam et naturam multo rectius investigabitis et perspectam habebitis, eaque scientia imprimis apta est ad fiduciam mulierum ægrotantium Medico conciliandam.

Vos denique omnes atque universos, commilitones ornatissimi, enixe precor ut in bonam partem accipiatis si solemni hoc tempore vobis dicam hoc me optare ac vovere, ut quantum in artium ac doctrinarum scientia progrediamini, tantum etiam in virtutis humanitatisque cultu proficiatis, quo facto demum et patriæ emolumentum et familiæ decus et vobis ipsi utilitatem certam, stabilem, propriam parere poteritis.

Faxit Benignissimus omnium bonorum largitor Deus, ut res patriæ nostræ sint stabiles, firmæ, florentes : ut, in quo summa ejus salus est posita, Rex Augustissimus, una cum Principe Arausiaco, heroe Illo fortissimo, et universa Domo Illustrissima, conservetur sospes, incolumis, quam beatissimus ! ut Academia hæc antiqua et nobilissima Lovaniensis, tali auspicio et præsidio freta in pristinum splendorem restituta nullo non sit prædita fortunæ, honoris, laudum beneficio, titulo, ornamento.

DIXI.

VII.

JOANNIS MARIAE BAUD

ORATIO INAUGURALIS.

JOANNIS MARIAE BAUD,

MED. ET CHIR. DOCT.,

ORATIO INAUGURALIS

DE

LAUDIBUS QUIBUS EFFERRI POTEST MEMORIA

H. J. REGA, MED. DOCT.

QUONDAM

IN UNIVERSITATE LOVANIENSI PROFESSORIS PRIMARII

PUBLICE HABITA *die* 31 JULII 1821,

CUM MUNUS PROFESSORIS ORDINARII

MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI RITE AUSPICARETUR.

1.

PRÆNOBILES ACADEMIÆ LOVANIENSIS CURATORES!

QUI HAC IN URBE REBUS PUBLICIS ADMINISTRANDIS, JUSTITIÆ VINDICANDÆ, PRÆESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

CIVES ACADEMICI, LECTISSIMI ADOLESCENTES!

QUOTQUOT ADESTIS AUDITORES, SUO QUIQUE LOCO, DIGNITATE CONSPICUI!

ORATIONEM, officii causa, gravibusque sub auspiciis habiturus, diu multumque dubius hæsi de argumento quod erat mihi suscipiendum. Cum anatomiam chirurgiamque docendi munus, jam ab instituta Academia, mihi demandatum fuisset, verba, de alterutro medicarum scientiarum ramo facere non erat incongruum. Multis tamen, variisque de causis, ab eo fui deductus. Enimvero quid amœnitatis e specialibus de re salutifera consideratis fluere posset in hunc electum, frequentemque consessum? Generalia profecto de artis præstantia, utilitate, vel historia, cuique literarum amanti grata esse possunt; verum, in tali disquisitione, numne Crambem, jam toties ab aliis coctam atque recoctam vobis apponere viderer? Sed quid est opus circuitione et anfractu? Vera loquar; me mirum tenebat desiderium, utile, dicendo, miscere dulci, et vestram, A. H., quantum in me esset aucupari delectationem. Sub hac animi fluctuatione, in mentem mihi venit memoriam præclari viri H. J. Rega, Medicinæ Doctoris, quondam, in hac universitate Professoris primarii, oblivione quasi jacentem ad lucem

revocare, ruinosumque fatali temporum malignitate, hunc auctorem, pro viribus meis sublevare, eumque, pro suo merito hodiernis commendare medicis; atque hoc orationis argumentum eo magis mihi arrisit, quod jamdudum nobis ab antiqua Lovaniensi Academia, tale officium, prope jure suo repetitum mihi videbatur.

Quam egregium est, A. H., quam decorum illud ab omni gente erudita institutum quo sempiternæ posterorum memoriæ consecratur memoria virorum virtute præcellentium. Quæ enim colendis artibus ac doctrinis parantur, ea durabiliori modo, multoque magis illustrant populos quam quæ bello quæruntur. Hæc, sanguine, lacrymis, sumtibusque omnis generis impetrantur; illa maximis quidem, at insontibus obtinentur, pacificisque laboribus; hæc odium pariunt, invidiamque populorum finitimorum; illa amicitiam conciliant, et referendæ gratiæ voluntatem.

Amorem igitur, et debita præmia, æquare debet patria, in filios, sive rei militaris gloria, vel artium optimarum studiis insignes facti fuerint. Quid! quod nullo modo potentius accenditur juventus, eriguntur que animi ad æmulandum quod laudari vident.

Itaque major mihi alacritas, studiumque majus injectum est, dicendi *de laudibus quibus efferri potest memoria clar. nostri Rega.* Permultis floruit nominibus; non solum enim ingenio et doctrina, medicis in rebus, inter æquales, sed etiam, inter homines, enituit humanitate et liberalitate. Paucis, vir fuit probus, medendi peritus, arte docendi præstantissimus, Academiæ, civitatisque lumen et ornamentum.

Dum autem verba sum facturus, ac viri summi virtutem retractaturus, haud levis me percellit metus, ne ferendo oneri impares sint humeri, viriumque mearum ea exiguitas ut tanti tamque egregii viri laudes prædicare pro dignitate nequeam; ægrorum namque querelis magis quam elegantiis, leporibusque facundiæ adsuetus, omnibus omnino careo, quæ oratorem faciunt. Quapropter ad vestram, A. H., confugio benevolentiam, et ea quæ, viris ingenuis propria est, indulgentia, tenuem ut audiatis, orationem, etiam atque etiam obsecro.

Rega noster, Henricus Josephus, honestis parentibus, in hac urbe Lovaniensi natus est, anno penultimi sæculi nonagesimo: omni cura et pietate jam educatus, cum ea esset ætate qua humanioribus literis erudiri pueri, solent, in gymnasium S.S. Trinitatis admissus est. Si quando de primis adolescentiæ successibus, futuros ætatis adultæ prospicere liceat, quantam sui existimationem non fecit eximius adolescens qui, in illa famosa, Lovaniensibus, præstantissimorum virorum palæstra, certaminum victor, palmas, identidem est adeptus. Nec minores habuit progressus, in physicis disciplinis, quibus firma, medicinæ studiis posuit fundamenta. Frequentatis exinde scholis medicis, et decurso studiorum stadio, vix annos natus duos et viginti, licentiæ gradu decorabatur. Jam autem inter socios adeo inclaruerat, ut mense nondum elapso, medicinæ, in ipsa Academia, Professor ab urbis magistratu, maximo quidem magistrorum et sodalium applausu renuntiaretur. Qui honor tantum aberat ut eum excæcaret, ut stimulos etiam illi adderet ad artis suæ studia novo ardore complectenda. Expeditis, itaque muneris officiis, feriarum tempore quod ad sex hebdomades excurrebat, in Galliarum metropolim, præcipuam tunc temporis, artium literarumque sedem profectus est, ibi-

que studium Anatomiæ, chirurgiæ atque chymiæ, celeberrimis in arte magistris renovavit.

Exacto fere totius anni spatio, redux in patriam, doctrina omnis generis longe auctior, chymiam, et deinceps, anatomiam, summa quæ in ipso erat, industria, professus est. Denique anno ultimi sæculi decimo octavo, laurea doctorali donatus, haud multo post, ad amplissimum Professoris primarii gradum evectus fuit, cum vix annos ætatis attigerat duode triginta. Ex eo tempore, magnum clarumque nomen in medicis, adeptus, fama et celebritate, etiam extraneis innotescere cœpit (1).

Jam autem tempus est, rem nostram ordiri, rationesque singulatim excutere quibus Rega, de scientia et arte bene meritus est.

Quinque vulgavit opera quorum prius, *dissertatio de Sympathia ceu de consensu partium corporis humani* (2), aliis, sine controversia, præstat, et ordinem, auctori, principes inter ævi sui medicos, facile conciliat : siquidem non numero, sed pretio operum ab ipsis editorum viri illustres dijudicantur. *Dissertatio de Sympathia* opusculum certe aureum, statim atque in lucem edita, continuo, laude generali coronata fuit, nec ulla deinceps orta est ratio, cur viliori nota signaretur. Verum quo splendidius eniteat æstimatio ejus, memoriam temporis quo scripta fuit, et ingenii quod, in scholis medicis, tunc vigebat, replicare haud alienum videtur.

Exeunte sæculo 17° florentissimi quidem medicinæ scriptores, hanc, quasi certatim, habebant querimoniam, theoreticum artis studium satis feliciter excultum esse, sed practicum, miserius jacere. Cum cæteræ omnes, ait *Baglivius*, qua dis-

ciplinæ, qua artes, non solum, in pristinum splendorem restitutæ fuerint, sed, in dies, magis magisque excultæ, novisque inventis ornatæ floreant, sola medicinæ praxis, nescio quo fato, maxima sui parte, jacet; et quod maxime dolendum, vilior, quotidie, apud indoctos evadat. Quod cur ita sit, id unum esse arbitror, quod observationum, unde ars præstantissima fuerat, ratione contemta, systematibus, et hypothesibus, medici prorsus indulserint, non tam de noscendis, curandisque morbis, quam quo pacto eorum probabilem rationem redderent solliciti. Ex quo fit ut, in maximam humani generis perniciem, et medicinæ dedecus, non tam tutissima artis præscripta, sed proprii ingenii commenta consulant (3).

Enim vero, alii ad causas morborum præsertim respiciendo, ex pituita, acido et bile; nonnulli, ex solo acido et viscido; plurimi, ex dyscrasia humorum salsa, acri, maligna, vel ex obstructionibus, aut putredine; alii, rursus, ex sola sanguinis abundantia, ejusque solemnibus excretionibus suppressis, omnium fere morborum originem, symptomatum causas, et medendi rationem derivabant (4).

Neque ex ea re, prorsus extra culpam fuit summus *Boerhaavius*, immortale Leydensium decus, omni doctrina præstantissimum, et haud obstantibus erroribus, ad perpetuitatem venerandum. Medicis ejus institutionibus, anno ultimi sæculi octavo, in lucem editis, adeo clara fuit fama, ut referentibus viris clar. *Fontenelle* et *Schultens*, in idiomata populorum orientis conversæ sint, et in illiteratum Turcarum imperium evagatæ (5). Apage cogitationem probra jacere in virum tantum! prohibeat Deus impias mentes! Quid tamen in institutionibus legitur quoad praxim, nisi spissum attenuandum esse, atte-

nuatum inspissandum, stagnans mobile reddendum, cohærens fluidum, acre leniendum in genere, in specie.

Eheu! Medicorum erat vitium quasi universum studio et opera abuti in obscuris morborum causis detegendis, hypothesibus exornandis, aut novis fabricandis. Ab isto, in speculationes et nova commenta, amore et pruritu, totum oriebatur malum. Hinc logomachiæ ita frequentes, et umbratiles, de rebus novis et redundantibus disceptationes. Hinc, ait *Rega* noster, practicarum præceptionum contemtus, hinc inanium, et sæpius, periculosorum principiorum fundamentum.

Hæc erat conditio temporis, cum auctori nostro, in medicina discenda atque edocenda studium ponere datum fuit. Quam acris judicii, quantæ sagacitatis opus, non modo ut iter, ad veritatem, tot inter scopulos sibi patefaceret, sed etiam ut, præjudicatas, animoque insitas opiniones abjiceret. Eo tamen valuit ingenio ut, exsorptis difficultatibus omnibus, verum a falso discerneret, et unicam viam qua medicina, humano generi consulere potest, commonstraret.

Sexcentis ex locis elucet mens ejus perspicax, seduloque distinguens veros observationis partus a vaniloqua argutiarum logicæ farragine. Anatomicis chirurgicisque rebus nimis erat innutritus, quam ut obscuris aliorum speculationibus, sterilibusque theoriis, maxima ex parte verbosis, delectaretur. Nihil quidquam igitur, quod non intellectui clarissimum ac plane obvium esset, in rationibus reddendis admittebat. Solemnius habebat effatum, *non fingendum est aut excogitandum, sed quid natura faciat observandum.* Structuram ceu, ut aiunt, mechanismum corporis, præcipuam esse causarum omnium, et

effectuum secundariorum causam arbitratus est; et in allegandis, ubi opus videbatur, experimentorum et observationum rationibus, servandam duxit, quoad in medicina licet, methodum geometricam, ut nullas proferret, nisi quæ ex corporis fabrica, et evidenti principio elici possent.

Ad juvandam praxim, in ea, præsertim, animum advertit, quæ, procul dubio, utiliora erant; nimirum accuratiorem historiæ morborum descriptionem, studii *Hippocratis* pridem neglecti restaurationem, culturam semeioticæ, diligentiorem morborum conversionum, et successionum inquisitionem.

Videamus nunc si, et quæ, in dissertatione, *de sympathia*, actas hucusque mereantur laudationes.

Sub sympathia intelligitur consensus partium corporis humani quo fit ut una, modo quocumque adfecta, pars alia magis minusve remota, simili vel diverso sensu simul adficiatur. Ubique partes quasi ex condicto, ad hanc illamve functionem concordissimo nisu concurrere, et, quasi pacto fœdere, socias operas sibi invicem commodare videntur. Nimirum tale est, summum illud œconomiæ animalis artificium ut partes omnes, incredibili consensione ad conservationem totius corporis certatim conspirent. Inde Hippocrates, magnus ille naturæ contemplator, jam dixerat, *consensus unus, conspiratio una, consentientia omnia* (6).

Nec minus observabilis est consensus qui, in morbis obvius est: in his facile comperitur quam arcto vinculo, partes omnes sibi connexæ sint, qua cognatione sibi condolescant, et qua efficacia, mala quibus vexantur, secum mutuo communicare soleant. Exemplo sint phænomena paronychiæ, morbi externi, et in specie, levis.

Pulpa digiti inflammatione correpta, mox oritur dolor vehemens, et non multo post, tumor, rubor, et calor; en phænomena localia, quæ cunctis phlegmasiis communia sunt. Ingravescente morbo, serpit malum in apparatu sanguifero; intumescunt antibrachium, humerus, scapula, atque interdum, partes laterales thoracis; accedit febris; encephalon fit mali particeps, subeunt agrypnia, delirium, etc. en phænomena sympathica.

Quod si autem parvula corporis humani pars, qualis est digitus, in confiniis ut ita dicam, vitæ posita, tot et tantas inducere valet perturbationes, quidni inflammatio visceris in centro œconomiæ positi, ut puta, cordis et ventriculi?

Hæc est illa sympathia cujus notitia medico ita necessaria est, ut, si ea careat, e labyrintho plerorumque morborum se extricare nequeat. In morbis externis, facile quidem dignosci potest locus e quo discedunt remotiora hæc phænomena; verum in morbis quorum sedes penetralibus corporis hæret, duce nobis opus est, et optimus profecto sistit illa sympathiarum notio quibus varia corporis organa, inter se consentiunt.

Hæc est etiam illa sympathia de qua sermo agitur in dissertatione clar. *Rega.* Meridiana luce clarius ostendit quam frequenter, in morbis, partes sibi condoleant et compatiantur, quomodo partes male adfectæ alias sanas secum trahere in afflictionem soleant. Ratione evicit actionem læsam non primo semper sentiri in regione et loco ubi noxa inflicta est, verum causam morbi latere posse alibi quam ubi se exerit et percipitur, adeoque nec mali originem et fontem quærendos semper esse in parte adfecta, sed sæpius in alia etiam satis remota.

Quoties enim cephalalgia, vertigines, dyspnea, tussis, etc. non oriuntur e vitio partium in abdomine sitarum, licet ne minima noxia, in his partibus infimis percipiatur?

Enim vero sufficit sympathiam partium cognoscere, ut felicius origo morborum detegatur, eorumque certius ac tutius cura suscipiatur. Ista cognitione docemur non adhibenda semper remedia, ubi dolor vel symptomata prodeunt, sed diligenter inquirendum esse in morborum causas, et mali sedem, ante omnia oppugnandam esse. *Ad primam mali causam,* ait Hipp., *ad causæ occasionem et primordia deveniendum est.*

Quorum cum sint aut ignari plures medici, vel ad ea non advertant, mirum non est, si singulis symptomatibus, singula objiciant medicamina, eaque ad varias partes dolentes dirigant, perinde ut epistolis ponuntur inscriptiones, priusquam publicis credantur cursoribus, hinc cæphalalgiæ, cephalicum, calori intento, refrigerans opponunt; vel quod magis deridiculum est, sperantes *una fidelia duos dealbare parietes,* medicamentum conflant e quibusve distinctis, ad partes adfectas accommodatis: hinc illa origo formularum e tot repugnantibus concinnatarum; inde tandem illa farrago medicamentorum, in artem medendi, tanto cum ejus dedecore irrepta.

Omne igitur studium, opera omnis, et industria in eo ponantur, ut sub curatione morborum, partem primario adfectam detegere possimus, cum, ea jam e morbi recreata, reliqua sponte curentur. Quapropter medici interest specialem morbi originem sibi perspectam cognitamque habere, ut inde specialem quoque indicationem elicere queat. Hæc, qui semel consequitur, sperare poterit fore ut evadat medicus haud infelix quem raro decipiet cura ex arte instituta. *Qui enim suffecerit*

ad noscendum, sufficiet quoque ad sanandum, teste magno Hipp. (7) et *eum recte curaturum*, asserit *Celsus* (8), *quem prima mali origo non fefellerit.*

Ea sunt, A. H., præcepta quæ ab auctore nostro tradita fuere, et quorum præstantiam in apertum ita conjecit, ut non solum medicis, sed et homunculis communi judicio donatis facta fuerit perspicua. Si vero advertimus jam sæculum esse, cum hæc doctrina, in hoc ipso auditorio exponeretur, quis non in admirationem abripiatur, clar. nostri Rega qui, in tantis erroris et inscientiæ tenebris adeo clarum lumen pr ætulit? Numne igitur merito jureque dixerim tutam ab eo viam monstratam fuisse per quam ars medendi conjecturalis esse desinet, et humano generi reapse prodesse poterit?

Inceptam autem persequamur censuram.

Communis est hominum querela tantam adhuc esse rerum catervam cujus rationem existendique modum nondum intelligant. Neque absimilis ut plurimum, est sors medicorum qui, sæpius inter spissas se versari nebulas conqueruntur, et vix hinc inde, aliquot irradiantis lucis fulgores se percipere dolent. Plurimum quidem negotii facessit distinctas de alicujus rei existentia colligere notiones; multo autem rarius, ima naturæ penetralia perscrutari, et arcana ejus expiscari datur, cum illa sæpe mysteria sua, nobis, non sine ratione abscondat. Præcipue, si de, origine, causa, ac modo consensus partium sollicitos nos esse volumus, vah! quam obtusi sunt oculi nostri! quanta ignorantiam nostram confitendi ratio!

« Credibile, inquit Cel. Gaubius (9), consensum non uno modo, sed pluribus niti conditionibus, harumque principem

in genere nervoso sitam esse, deinde in systemate circulationis, porro in continuitate membranarum, tum in vasorum communitate, forte et in fabrica, aut humorum quos partes secernunt, accipiuntve, similitudine. »

Sympathiarum originem a plerisque harum causarum deduxit Clar. noster Rega; et quidem obiter dicere mihi liceat, eum non latuisse maximam analogiam recentioribus temporibus usque adeo celebratam, quæ membranis mucosis intercedit cum cute, cum, ait, non appareat ubi, in labiis ad quæ non minus tunica interna ventriculi quam cutis perrepit, sit observabilis earum separatio. Neque eum præteriit ratio consensus partium internarum cum externis, quæ, non ita pridem, anastomosibus nervi trisplancnici cum nervis medullæ spinalis adscripta fuit et cui ut pote insolenti et valde rationali ubique applausum est : partes exteriores, inquit, ab interno vitio adfici, et internas vicissim ab exterioribus mirum videri non debet, quandoquidem nervi intercostales cum nervis omnibus spinalibus communicent, et medii infimique ventris partibus, propagines suas impertiant; unde constituitur illa sympathia inter partes externas et internas.

Porro unum est præ cæteris, auctori nostro placitum in quo a vero ipsum declinasse, theoriamque mero figmento condidisse statuerunt physiologi, nempe dum admittit ut sympathiarum causam, motum oscillatorium in membranis. Sic erroribus ævi sui, neque minus auctoritati summi Baglivii, cujus in admiratione semper fuit multus, fecit satis. Ab hoc autem errore si discesserimus, cætera quæ subjunxit, congrua omnino esse observatis reperiemus. Accedit eo quod vitia quibus premitur opinio sua minime dissimulat: hæc reverâ solvere conatur; rectiori autem et accuratiori erat ingenio ut difficilibus, ut aiunt, nugis,

tempus absumeret. Latius hic, ait, per campos theoreticos spatiari possem, sed indulgere non juvat speculationibus quarum, in praxi, exiguam noverim esse utilitatem. Et vero, non tam curandum de ratione et modo consensus quam de ejus veritate; nec propterea minus promovebitur praxis quæ totius artis apex est, et omnium studiorum nostrorum debet esse scopus. Sic, posthabitis opinionibus sepositisque omnibus amoris proprii rationibus, toto constantique animo, in eam incumbebat curam et cogitationem quæ ægrotorum saluti conducere poterat. Quis unquam medicus se modestiorem in animi candore, quis se magis humani generis amicum præbuit?

Diutius fortasse vobis, A. H., videor insistere et in ejusdem operis versari laudatione; silentio tamen nequeo præterire quantum vir Clar. ingenio, doctrina, suam ætatem antecesserit.

Neminem fugit medicum medicinæ circa finem ultimi, et initium hujus sæculi, maximum accersitum fuisse splendorem. Memoranda, in physiologicis rebus inuenta, mens totius familiæ Hippocraticæ, in morborum observationem attenta atque infixa, singularis anatomiæ pathologicæ cultura, insolitos doctrinæ medicæ progressus prænuntiare videbantur, cum, ecce! paucis abhinc annis, in Gallia, exorsus est vir, ad medicinam quasi natus, abundanti cujuscunque generis doctrina excultus, diuturna in nosocomiis praxi experientissimus qui, hodiernam communemque disciplinam, virga censoria notare non dubitaret. Erroribus ejus acerrime signatis, limaque forsan mordacius utens, eam labefactare, funditusque evellere conatur, et statim aliam sibi propriam, physiologia pathologica fundatam proponit. Explosa vulgari methodo nosographica, spiritu veritatis, ut ita dicam, afflatus fidenti voce exclamat;

Genuina, vivaque miseri morbo jactati, fervida descriptione reddatur imago; inconditi, ut plurimum, organorum dolentium ejulatus (morbi symptomata), distinctis eorum sympathiis, sagaci discernantur analysi; callide subjiciatur sensibus organum dolore oppressum sic ut ars salutifera medelam, ipsi loco adfecto, et opportunius admovere possit; tunc solum nosographus, magnus mihi videbitur Apollo (10)!

Quibus indiciis satis superque notus est Clar. *Broussais*, hoc tempore personam emendatoris doctrinæ medicæ sustinens. Tantum autem opus conari non potuit quin, gravissima famarum jam præclararum læsione atque imminutione, plurimorum sibi contraheret odium et inimicitiam. Nihilominus tamen adversarii ejus vel infensissimi, illum, variis saltem de rationibus, rectius sensisse, ad unum omnes fatentur.

Nunc raptim advertamus ad dogmata quæ, doctrinæ quam vocant physiologicam, sistunt fundamentum, et exquiramus utrum, et qua ratione, hæc et præcepta Clar. *Rega* inter se conveniant?

1° Cuncta morborum phænomena, ab irritatione organi cujuscunque manant; hæc autem irritatio, si vel minimum intensa fuerit, aliis organis brevi transmittitur, variosque adfectus sympathicos inducit (11).

2° Animal stricte tale splanchnicis continetur visceribus. Externæ partes corporis, momentosæ quidem, at secundario, sceletum constituunt; morbi earum vix unquam sunt lethales, nisi, per sympathiam, in interna subsiliant organa. Verum ex organis splanchnicis, ductus alimentarius, et imprimis, ventriculus, alia quæcumque, numero et varietate sympathiarum longe superat : ubi dolet, mox dolor latius serpit; et singulæ

functiones, magis minusve læduntur. Vicissim, ubi aliud organum gravi quidem tentatur adfectu, ventriculus brevi laborat; turbæ fiunt in functionibus ejus, et irritatio secundaria, primitivæ adjuncta, hanc multo graviorem efficit (12).

3° Febres, in universum, quæ *essentiales*, vulgo dicuntur, ad irritationem inflammatoriam gastro-intestinalem, sine ulla exceptione referri debent (13).

4° Sub usu therapeutico medicamentorum, in genere, maxima quidem, et perpetua, habenda est ratio conditionis physiologicæ ventriculi, ne subsequatur vexatio ejus (14).

Ea sunt fundamenta quibus doctrina recens innititur, et quorum inventionem, clar. *Broussais*, sibi ut suam, vindicare contendit. Verum tamen certo certius est principia jam ab auctore nostro, sparsim quidem, sed distincte et saltem partim posita fuisse.

Enim vero plerosque morbos ab adfectione locali pendere, eosque generales videri, sympathicos ob organi primitus adfecti illapsus in reliquam œconomiam abunde probatum est.

Quoad præstantiam ventriculi, talem eam *Rega* judicaverat, qualem nemo antea nec posterius. Tantus est, inquit, ventriculi in corpore humano consensus, quantus ullius alterius partis, et illius causa hæc (ad dissertationem) a me potissimum suscepta est materia. Stomachum ut regem totius corporis salutat, juxta illud *Sereni Sammonici* ;

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, niti vera ratione videntur :
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra
Et contra ejusdem infirmantur cuncta dolore.
Quin etiam (nisi cura juvat) vitiare cerebrum
Fertur et integros illinc avertere sensus (15).

Et quod Hipp. de corde dixit, nempe illud tenere habenas, quibus totius corpus regit, idem de ventriculo asserit « cum ejus quasi muneris esse videatur dirigere omnes actiones quæ suam ab ipso perfectionem quasi mutuantur. Ad ejus normam, omnes alias dirigi actiones diceres, languido stomacho, languent omnia, vegeto vigent omnia. »

Stomachus, ait alibi, innumerarum ægritudinum est summus artifex, et ilias malorum, continuata serie, actionem ejus læsam insequitur, quippe quod noxam ipsi inflictam, totum percipiat genus nervosum. Varii et gravissimi morbi, febres, in genere, typhus, pestis, exanthemata in ventriculo radicantur, partibusque vicinis, et ex infausta radice germinantes, ceu ex equo trojano prorumpunt in universum corpus.

Ad usum medicaminum quod attinet, sequentia verba facit, « cum eorum præcipua actio exerceatur in ipsum ventriculum, per se proinde patet in praxi, præcipue ad eum esse attendendum. Partem tam publicam, cohærentem omnibus, aut consociatam pungis, vellicas, emoves; cæteras in consortium trahis; omnes ergo titillas, lacessis, exsuscitas : semper, igitur, præ oculis habenda est summa ventriculi sensibilitas. » Denique, Capitis XIII inscriptio sic se habet : ostenditur ex prioribus capitibus recte deduci posse plerorumque morborum originem a stomacho esse repetendam : medicamentorum in eumdem præcipuam actionem esse; ac proinde in praxi præcipue ad eumdem attendendum.

Quibus singulis manifesto constat principia doctrinæ physiologicæ jam maxima saltem ex parte, in dissertatione *de sympathia* fuisse posita (16). Quis igitur adeo sublestâ erit fide ut eximium illius auctorem doctrina suam ætatem antecessisse

dicere dubitaverit. Sed ne justo copiosior fiat mea oratio, finem hic faciam dijudicandæ dissertationis. Taceo numerosas admonitiones cautelasque practicas, quibus totum opus est confertum. Cuncta, maximi quidem sunt pretii, et exercitatissimum redolent medicum. Pro certo confirmare possum illam altissima repletam esse eruditione, et fodinam sistere inhæxaustam e qua medicus rei peritus, aurum eruere, sine ullo intermissu valebit. Parva quidem est moles ejus, at persuasissimum habeo multo plus veræ sinceræque medicinæ ea contineri quam in permultis libris, effusissimo quodam verborum luxu, et mole laborantibus sua, de quibus ut de tragica fabulæ personâ dici potest, *o quanta species, cerebrum non habet.*

Auctoris nostri famæ satis quidem fuisset recensitæ dissertationis editio : plurima autem alia vulgavit opera quæ, licet minori utilitate prædita, non ideo minus memoranda videntur.

Anno tertio et trigesimo ultimi sæculi, tractatus duos *de urinis* in lucem protulit quorum prior est quæstio quodlibetica, *an ulla scientiæ investigatione, aut experimento quispiam possit ex solâ urinarum inspectione morborum naturam, ac medelam dignoscere;* alter vero, *de urinis ut signo.* Hic presse conscriptus in aphorismos et scholia comprehendit quidquid Rega ab auctoribus excerpserat quoad urinas, ut signum. Alter vehementem sistit insectationem in gyrovagos quaqua medicastros, credulum vulgus decipientes, magnumque sibi nomen acquirentes per fallacem ouronoscopiam. Prior etiamsi incompletus semeioticæ studio nonnihil conducere valet; posterior medici integritatem, ejusque in impostores, verbosasque eorum strophas, odium et contemptionem palam facit; uterque tandem auctori dignus memoriam ejus honestat (17).

Paucis abhinc annis, medendi methodum proposuit in qua plurimum enitet acritas, in re medica, judicii, nec minus indelebilis ab hypothesibus alienatio (18). Hocce modo, in præfatione, theoricum medicum alloquitur; *scire tuum nihil est, nisi te scire hoc juvet ægrum. Lubens fateor nullam esse scientiæ medicæ partem negligendam, verum contendo omnia sive quæ docemus, sive discimus ad rem, ad rem, ad praxim referenda esse.* Varia per vices subjecit quæ de pathologia generali, speciali, semeiotice et therapeutice habentur. Certe quidem antecessores doctrina longe exsuperavit. Abjecta omni theoria humorali, subjectum morborum in genere, et febris in specie, nihil aliud esse quam partes solidas atque inprimis nervosas et membranaceas arbitratus est, quippe quod in eas tantum stimulorum actio intelligi possit: quâ de causâ clar. *Verheyen* urbane more suo, increpat eo quod febris subjectum in sanguine ponendum esse duxerit. Consilio summi *Baglivii* utens, quidquid dicendum aphorismis exposuit, utpote sententiæ breves et contractæ, nullisque scholasticis legibus devinctæ, medicinæ instituto maxime conveniant. Verum quia brevitatis pretium minuit quandoque obscuritas, aphorismos tali ordine atque nexu a principio ad finem usque deduxit ut continuatum sermonem perficerent; et ne catenam rumperet quibus sententiæ breves et dogmaticæ passim indigent, scholia quædam inter eas sparsit quibus aphorismos tam rationibus quam auctoritate confirmaret.

Haud multo post, ex mandato supremæ Belgii gubernatricis, *Rega* noster minerales aquas fontis Marismontensis in comitatu Hannoniæ, chymicæ subjecit analysi, unde nova prodiit dissertatio latine scripta quæ, anno sequenti in Gallicum sermonem est conversa (19). Quamvis jure meritoque nunc obsoleta facta sit hæc opera, postquam illuxit recens chymicorum doctrina cum ob-

servatis arctiori nexu cohærens, physicisque phænomenis longe magis accommodata, haud levem movent admirationem experimenta quibus elementa, eorumque rationes internovit, nec minus rara sagacitas qua latentes harum aquarum virtutes perspexit.

Ab omni tempore, chymia, ejusque inconsulta ad medicam doctrinam applicatio longe plus detrimenti quam utilitatis in medicinam invexit: quamvis enim e chymicis operationibus, medicamina quædam efficacissima profluxerint, ac proinde ex eorum ope medicina profecerit; multum quidem abest ut, hoc quæstu compensatum fuerit damnum a Chymicis arti salutiferæ importatum; dum scilicet in medicinam corporis humani transtulerunt quidquid in vasis et furnis observare eis datum fuerat. Inde quas in chymicis objectis observaverant fieri mutationes, fermentationes, ebullitiones, effervescentias, coagulationes, dissolutiones, præcipitationes, easdem non minus in corpore humano velut in furno calore naturali succenso, ejusque humoribus contingere speculati sunt, et magna confidentia deprædicarunt. Supervacaneum profecto foret hic errorum oblivione obruendorum memoriam replicare quos in artem induxerunt *Paracelsus*, *Severinus*, *Helmontius*, *Tachenius*, *Sylvius Deleboe*, *Willis*, *Crane*, *Bontekoe*, *Overcamp*, *Daele*, etc. Hi plerique causam omnium fere morborum acido imputarunt, viscidum quoddam insuper culpæ acidi particeps adjungentes. Unde sanguinis motus liber et æqualis impediretur, dum crassior, lentior, coagulatus, ad vasorum transmeationem inhabilis fieret: hinc tandem tota medendi ratio eo spectare deberet ut edomaretur acidum, fluidusque redintegraretur sanguis quo obstructionibus remotis naturalem sibi viam aperiret.

Quibus hypothesibus *Rega* vehementer commotus, Dissertationem medico-chymicam edidit qua firmissimis argumentis

demonstratur in sanguine humano tam in adversa quam prospera valetudine non esse quidpiam acidi quod eamdem alterare possit (20). Cum autem varia hæc chymicorum figmenta jam in planum corruerint, siquidem hodierno tempore, ab omnibus ut certum recipiatur sanguini nec immisceri acidum, nec in humoribus ab eo profluis acidi quidpiam reperiri, satis superque esse mihi videtur dissertationem indigitasse qua liquido patet quam averso *Rega* fuerit animo ab omni doctrina hypotheticâ, legibusque œconomiæ animalis aliena.

Hic demum recognitioni literariorum laborum cl. nostri *Rega* finem imponere cogor. Apertissime quidem excellentiam præclari viri mihi videtur declarasse; neque vero ingenio tantum, eruditione, perspicacia, judicio, in scientia medendi inclaruerat, sed in iis quoque studiis quæ nomen sibi ab humanitate vindicant. Summa in illo fuit sermonis facilitas, et genus dicendi purum, argutum atque elegans.

Nec minus virtute animique probitate excelluit quam ingenii scientiæque laudibus: optima quidem sua natura, et maxima liberalitate, splendorem addidit artis sublimitati; et benignitate perinde ut officio motus, omnes vigilias, curas et cogitationes in ægrorum salute defigebat. Memoriam ejus erga miseros meritorum, nulla unquam Lovanii delebit oblivio. Cum ad omnes ægros qui auxilium ejus implorassent, adire per temporis angustias nequiret, pauperibus opem potissimum, et mediâ quidem nocte ferebat. Tanta fuit illius et dignitas, et in artis exercitio benevolentia, ut non modo divitum subinde recusaret honoraria, sed etiam ære suo, miserorum quibus auxilia præstisset, sublevaret egestatem.

Civibus, in universum, præsto semper erat; quod si autem

per negotia vel invaletudinem, egenis opitulari non posset, id oneris devolvere solebat junioribus medicis quos consilio regebat, juvabat. Si quando decumbentes invisens, imminentem fortunæ reflatum subolfaceret, hunc præsentario subsidio protinus avertebat, ea modo conditione ut beneficium silentio premeretur altissimo. Plures generoso hoc artificio, familiæ, ab impendentibus fortunarum ruinis revocatæ fuerunt.

Quid mirum igitur, si suos inter æquales, cl. noster *Rega* spectatiorem habuerit locum? Quid, si nomen ejus remotiores in provincias manaverit? non modo popularium existimationem scientia et arte collegit, sed etiam maximo fuit pretio apud viros principes, tam populares quam exteros. Quo circa non possum, A. H. quin eventum historia dignum cujus memoria Lovanii nondum intercidit, hoc loco referam.

Anno ultimi sæculi 46, quo tota fere Brabantii provincia, bellica sorte, Gallo-Francorum dominatu occupata hostis, Lovanium ingressurus erat cum, adverso marte, et nescio quo errore, milites Galli, de civitatis deditione in colloquium missi, ab excubitoribus quasi perfidiose interempti fuere. Qua juris gentium violatione audita, primarius exercituum Gallicorum præfectus ser. dux Saxoniæ *Parci* abbatiam jam occupans ita vehementer in iram exarsit, ut statim urbem diripere statuerit. Jam ad incendium cuncta erant parata : terror ingens cives invaserat, sævus hostis prorsus inexorabilis videbatur, cum pius ille noster naturæ sacerdos, fama nomineque tantum armatus civium pœnas ivit deprecatum. Advertite, quæso, A. H. quantum sit virtutis imperium : quod supplicibus optimatum obsecrationibus, quod matronarum precibus abnegatum fuerat, deprecationibus medici fuit condonatum. Lovanium a vas-

tatione defensum est; *Rega* vero civium servator proclamatus, fructus omnis anteactæ vitæ, hoc die maximum cepit.

Summo quoque in honore fuit apud Belgii proceres. Consiliarius intimus et Archiater a serenissima Gubernatrice Archiducessa Maria Elisabetha fuit assumptus et si biographiis habeatur fides, publicas atque haud leves a Carolo duce Lotharingiæ et Barii et a pluribus aliis principibus pro suis in eos officiis gratias retulit.

Rega temporis admodum parcus horas ita dividebat ut muneribus Academicis, praxi medicæ, literarumque studio simul operam daret. Adeo sedulus, adeo diligens erat ad omnia muneris officia exequendum ut si forte, dum in prælectione occupatus erat, ad ipsam serenissimam Gubernatricem, Bruxellas esset accersitus, nunquam nisi absoluta lectione ad augustissimam ægrotam veniret. Haud raro currus et equi aulæ regiæ, ad Academiæ fores, cunctis admiratione stupefactis, tempus ejus aucupabantur. Sic olim magnus *Boerhaavius Petrum magnum* Moscovitarum imperatorem prope fores Academiæ Leydensis in scapham appellentem, ad finem usque prælectionis morabatur.

Bis Academiæ Rector magnificus appellatus, omnem opem atque operam in corporis Academici commodum contulit, theatrum anatomicum ædificavit, hortum constituit academicum et ipsum hoc auditorium, ut ex hâc inscriptione quam vestris ipsi oculis intuemini, apparet (21), restauravit. Bulla *unigenitus* gravem in Academia discordiam concitavit. Cum summi Pontificis Legatus jura immunitatesque universitatis labefactare voluisset, Cl. *Rega*, tunc rectoris munus sustinens, Academiæ,

pro dignitate studiosus et pro æquitate defensor cupidissimis transmontanorum consiliis, strenuo constantique animo obstitit (22).

Otium, quod publicis negotiis substrahere poterat, in eximiorum quibus in omni genere ditissimus erat, librorum lectione, continenter et recte ponebat. Verum indefessus ille vir penitioris doctrinæ semper appetens, laboris tandem improbi et assidui vincebatur inclementia. Valetudo de die in diem frangebatur quin magis sibi parcendum esse duceret. Ita sibi indormire videbatur qui, per totam vitam, aliis quasi devotus advigilaverat. Magis demum ac magis infirmus gravissime decubuit, et 22 julii, ann. 54 sæculi superioris, animam egit annos 64 natus, et cælebs.

Ultimis quidem vitæ temporibus, tantum fuit nomen ejus, inter medicos, ut, nisi almæ suæ matris, Academiæ Lovaniensis, et patriæ summo retentus fuisset desiderio, in multas opes crescere potuisset apud magnates quibus ad famulatum erat advocatus. Vitam autem, in omnibus æquam trahens, sorte sua contentus, modestia pariter eminens ac doctrina, libertatem rebus omnibus potiorem habens, et suopte ingenio liberalis, suam salutem salute communi posteriorem duxit. Reapse per totam vitam, benigne fecit egentibus, et quidem ad superos migraturus, testamento beneficas inseruit cautiones.

Legavit enim decem millia florenorum quorum annuo reditu, duo medicinæ studiosi gratis conviverent; gravi quoque munificentia, duo millia florenorum Bibliothecæ universitatis reliquit (23).

Quibus igitur cognitis, auditisque ipsius meritis, quod utinam e magis diserto oratore! quidni hinc inferam ut in orationis exordio dictum est, quidni inferam cl. *Rega* virum fuisse probum, medendi peritum, arte docendi præstantissimum, Academiæ, civitatisque Lovaniensis lumen, ornamentum?

Hunc autem numne gaudebimus Lovanii natum fuisse? numne superbiemus illum, in hac Academia fuisse professorem. Numne tandem eum medicinæ studiosis, ad exemplum jure meritoque proposuerim?

VERUM quid mihi opus est talia percontari coram vobis, viri gravissimi, amplissimi hujus Academiæ curatores! Eos scientiarum fautores nacti sumus qui, ut quem in republica tenent locum, ornant virtutibus, ita quam in Academia jure suo habent auctoritatem, singulari augent in bonas artes cura et providentia. Me autem præsertim id palam facere decet qui tot nominibus vobis jam sum devinctus, quorum humanitatem et benevolentiam toties expertus sum, quorumque gratiam magis ac magis demeruisse, dum vivam, mihi summa erit religio. Nihil mihi erat optatius quam, ut primum, a vobis ipsis, deinde a cæteris omnibus quam gratissimus erga vos esse cognoscerer; ita vobis, et huic inclytæ Academiæ cui curatores dati estis, omnia prospere, feliciter et ex voto contingant.

Vos autem, viri clarissimi, doctrinarum in omni genere Professores! Quo vos alloquar sermone? ad eadem benevolentiæ officia quibus a quatuor annis me prosequi haud desiistis, vos in posterum compellare ausim, et amicitiæ stabilitatem ut confirmetis etiam atque etiam rogo.

Ad vos inprimis me converto, clar. *Van Gobbelschroy*, et *Jacmart*, collegæ optatissimi! amatissimi! numquam obliviscar vos, gravi ea tempestate qua immatura morte raptus fuit, omnibus bonis jure meritoque defletus cl. Prof. *Vandertaelen*, meam, inter vos cooptationem, me quidem neque rogante neque sciente, amplissimis Academiæ curatoribus, de meliori nota commendasse. Plurima quoque debeo, et debere me publice agnosco viro præclaro Prof. *Harbaur* cujus nunc absentis maximo certe moveor desiderio. Felicem quidem me prædico quod sese dederit occasio palam vobis singulis, amatissimi collegæ! eam quæ par est, præstandi memoriam. Vestrum tandem observantissimus, mea erga vos munera, dum vita suppetet, perpetua fore, vos vobis persuadere velim.

Nec de te, clarissime *Van Solingen*, silentium agam; tota sibi gratulatur Academia, quod in te professorem non modo doctrina insignem, sed et medicum, nacta fuerit experientissimum; sine ut et ipse hujus gaudii particeps fiam, tuæ que me commendem amicitiæ.

Ad vos tandem accedo, ornatissimi juvenes arti Hippocraticæ dicati, ad vos accedo non solum quia diei hujus solemnitas suadet, atque muneris ratio poscit, verum quod sic ipse animus jubet atque imperat. Id quidem mihi contigit ut, jam per aliquod tempus vestrum in anatomiam et chirurgiam studium mirari potuerim. Pergite indefessi, præstantissimi juvenes, pergite ut hinc domum redeatis aucti scientiæ proventu qua patriæ usui, vobis honori, amicis auxilio esse queatis? Ad me quod attinet, polliceor ex animo, profiteor que me nullo unquam tempore vestris utilitatibus et commodis defecturum.

Quâ publice, qua privatim, semper curæ et cogitationes meæ studiosorum temporibus devovebuntur. Omni ope igitur atque opera conjunctim enitamur ut Augustissimi Regis scientiarum artiumque fautoris, præsidium benignitatemque promereamur? Ne unquam excidat e memoria pristina Lovaniensis Academiæ celebritas? Hanc apud nos veluti depositam habeamus, fideles que ejus sequestros, atque assiduos confirmatores, nos illam posteris salvam et integram relicturos fore, fidenti animo recipiamus?

DIXI.

ANNOTATIONES.

(1) Dictionnaire historique de la medecine ancienne et moderne par Eloy.

(2) De Sympathia, seu consensu partium corporis humani, ac potissimum ventriculi, in statu morboso. Harlemi. 1721. in 12. Lipsiæ 1762.

(3) V. Georgii Baglivi opera omnia. Parisiis in-8. præf. pag. XII.

(4) Conf. Friderici Hofmanni opera Tom. I. præf. ad solidioris doctrinæ et peritiæ medicos.

(5) V. Biographie médicale, Tom. II.

(6) Lib. de alimento. §. 4.

(7) De arte. §. 20.

(8) Medic. Lib. 1.° pag. V. edit. *Vanderlinden.*

(9) Institution. pathol. medicin. Leydæ 1781. pag. 555. §. 364.

(10) Examen de la doctrine médicale. pag. VIII.

(11) Examen des doctrines médicales, propos. 84 et seq.

(12) Begin, Principes de physiologie pathologique pag. 120.

(13) Examen des doct. med. propos. 139.

(14) Begin, oper. cit. pag. 208 et seq.

(15) Serenus Ammonicus, in poem. de med. præcept. Conf. Moreri.

(16) Quamvis in dissertatione, de *Sympathia*, quædam includantur doctrinæ physiologicæ dogmata, tantum abest ut exin hæc ab illa fuisse deprompta concludam, quin e contrario veritati vocem accommodans, aperte confitear Clar. Broussais a me ipso, mense septembr. 1820. majorem in modum efflagitasse ut prædictam dissertationem quæ titulo tantum sibi nota erat, nulloque pretio, propter raritatem, Parisiis emenda, sibi Lovanii ab urbe mitterem.

(17) De urinis tractatus duo. prior quæstio quodlibetica. Alter de urinis ut signo. Lovanii, 1733. in 12.

(18) Accurata methodus medendi per aphorismos proposita. Lovanii 1737. in-4.

(19) Dissertatio medica de aquis mineralibus fontis Marismontensis in comitatu Hannoniæ, Lovan. 1740. in-12.

(20) Dissertatio medico-chymica qua demonstratur sanguinem humanum nullo acido vitiari. 1544. in-12.

(21) Ita innovata est sub præclaris Dominis Favelet, Navet et Rega.


(22) V. mémoires historiques sur l'affaire de la bulle *unigenitus* dans les Pays-Bas Autrichiens. Bruxelles, 1755. 4 Vol. in 12. Tom. 3. pag. 234. 236 et 373.

(23) Non abs re mihi videtur hic transcribere quæ de Rega nostro dicta fuere in necrologio Belgico, auctore J. F. FOPPENS, Cod. autogr. Biblioth. Viri amplissimi Car. VAN HULTHEM unius ex Academiæ Lovaniensis curatoribus qui me, summâ cum humanitate, illius fecit participem.

HENRICUS JOSEPHUS REGA Lovaniensis in ea Academia medicinæ Doctor renunciatus, ab anno 1718. una cum collegis Faveleto ac Naræo, labefacta Æsculapiæ artis studia illic reflorescere fecit, Scholamque publicam, ad exterarum æmulationem, uti et novum theatrum anatomicum, hortumque Botanicum magnifice erexit, ut hodiernus medicinæ studentium numerus ultra decuplum exsuperet illorum numerum qui ab annis 30 hanc Scholam frequentabant. Fuit autem Doctor Rega antehac Canonicus secundæ fundationis in D. Petri templo tum chymiæ, dein Anatomiæ Professor Regius, postremo S. P. Q. L. electione anno 1718 antecessor primarius. Neque Lovanii tantum, sed et ad extraneos magni hujus viri nomen divulgatum. Serenissima archidux Maria Elisabetha Belgii gubernatrix, in consiliarium intimum et Archiatrum assumpsit, suaque effigie gemmis adornatâ condecoravit. Quin et celsissimus Carolus Alexander Lotharingiæ Dux, Belgii gubernator, Princeps a Lichtensteyn, Dux Arembergicus, Marescalcus Dux Saxoniæ suæ illum valetudini cum muneribus præfecerunt Verbo dicam, probrosum fuisset cuicumque personæ in hisce Belgii partibns utcumque spectabili, si inconsulto Doctore REGA e vivis abiisset. Inter hæc relaxandi animi gratiâ, sese in sua Bibliotheca occupabat quam habuit exquisitissimam

(*a*), Librisque ex omni scientia, et omnium regionum historiis refertam. Hujus partem notabilem legato seligendam reliquit in augmentum Bibliothecæ publicæ Academiæ. Sed qui tot alios curaverat medicus, se ipsum curare non valuit, neque contra vim mortis reperit medicamen in hortis. Cælebs sublatus est 22 julii an. 1755. ætatis 64 publico Academiæ luctu, at præsertim pauperum et egenorum quibus arte sua et elemosynis medebatur. »

(*a*) Opera quæ in Bibliothecæ catalogo ad auctionem parato inscribuntur, sunt 7200 numero.



VIII.

HENR. FERDINANDI DE COSTER

ORATIO.

HENR. FERDINANDI DE COSTER

ORATIO

PUBLICE DICTA

CUM DIE VIII. OCTOBRIS MDCCCXXI.

RECTORIS MAGNIFICI MUNUS

DEPONERET.

Academiæ Lovaniensis Curatores, Viri Amplissimi, Gravissimi;

Qui in Regno Belgico, in Provincia Brabantina et in hac Urbe, vel rebus publicis administrandis, vel justitiæ tuendæ præestis, Viri Spectatissimi, Integerrimi;

Viri Clarissimi, Experientissimi, Doctissimi, Humanissimi, Collegæ Æstimatissimi;

Omnium artium Doctores Eruditissimi;

Ornatissima Juventutis Academiæ Concio, patriæ Spes, nostra Cura;

Cives, Hospites, Auditores, quotquot adestis, Exoptatissimi;

Ut rite absolvam Academiæ regundæ munus, quod, omnium collegarum suffragiis susceptum, pro viribus, utinam ex sententiâ, impletum, hodie sum abdicaturus; oportet, ex lege 185 Regii de Academiis Meridianis Decreti, ut res, tum in academiâ, anno proxime superiore, tum a professoribus intra annum defunctis, per vitæ curriculum, gestas, extremâ oratione peragam. Hæ orationis materia esse nequeunt, siquidem, quod maxime juvat, collegarum nullus, me rectore, e vita migravit. Illæ dicendi quidem argumentum suppeditarent, quippe cum merito possent enarrari egregia multorum dona, quibus

hortus noster botanicus floret atque luxuriatur: describi ædificia refecta, immutata, constructa, inter quæ spectatissime nitet diu optatum Floræ templum: commemorari supellectilia, nuper expetita, nunc comparata: celebrari virtutes atque ornamenta virorum clarissimorum J. M. Baud et A. Van Solingen, quorum ille professor ordinarius, hic professor extraordinarius, renuntiati, orationem auspicalem, magno excepti plausu, habuere: prædicari collegarum scripta eximia; historiæ enim universæ tabulas ethnographico-periodico-synchronisticas primus in patriâ evulgavit humanissimus noster Franciscus Josephus Dumbeck; initia institutionum clinicarum, seu prolegomena in praxin clinicam, a celeberrimo Hildenbrand composita, collega experientissimus Jacmart denuo typis mandavit; doctissimus vir Van Mons edidit opus inscriptum *Pharmacopée usuelle et pratique*, et præterea incæptum opus periodicum *Annales générales des Sciences physiques*, sociis clarissimis Bory St. Vincent et Drapier, persecutus est; interpretationem, quam inscripturus est: *Traduction des Élémens du calcul différentiel et intégral, par Boucharlat*, brevi cum notis editurus est doctissimus vir atque collega Goebel: illæ igitur res dicendi quidem argumentum suppeditarent, sed aliæ sunt ejusmodi de quibus rite dici nequit, quin virorum verecundiorum modestia offendatur; aliæ ejusmodi, ut, sicuti nostrâ ætate et potissimum in patriâ nostrâ, nugæ canoris verbis speciose inflantur, distenduntur et, cum magno scientiarum detrimento, tanquam miracula ad æthera extolluntur; ita, in consonum orationis modum, amplificandæ forent et prædicandæ, quasi patriæ salus ageretur, quasi nihil majus, nihil pulchrius, nihil utilius videre esset, quo mihi verum amanti nihil magis repugnat. Quamobrem, liceat res illas, veluti fas et quatenus necesse est per d. l. 185, solummodo perstrinxisse, et latius versari in argumento, quod,

neutiquam oratoriis flosculis, sed solâ suâ ipsius laude commendandum, utilitatem afferat alumnis, meæ præsertim disciplinæ, quibus deditum esse et devotum juvat me atque oportet.

Inter plurima id genus dicendi argumenta, quæ affatim suppeditant jus publicum ac privatum, quotannis a me profitenda, præplacet argumentum e jure publico desumptum, videlicet *Transitio a statu naturali ad statum civilem*, idque triplici de causâ. Primum quia totius juris publici doctrinæ fundamentum est atque fons, ex quo sponte manant omnia juris publici universalis principia. Deinde quia criterium est quo dignoscuntur et patefiunt erroneæ de jure publico sententiæ, quas, aut nullis rationibus fundatas, aut insulsis fallacibusve fucatas, nonnulli, cæteroquin commendandi auctores, scriptis suis tanquam dogmata infuderunt et intermiscuerent, ut quomodocumque extricarent se, vel systema suum contexerent atque coagmentarent: unde fit ut jus publicum laboret suis commentis, quemadmodum jus privatum scatet fictionibus, præsumptionibus, coloribus, aliisque diverticulis, quæ Romanis forte magis quam nostris jurisconsultis sunt condonandæ. Tandem quia ex iis argumentis est in quibus ex ideâ primigeniâ inventâ, tanquam stirpe, nascitur idearum series atque catena (1), quibus tota disciplina continetur; adeo ut in primigeniâ hâc ideâ detegendâ omnis rei cardo vertatur.

In argumento quo versatur oratiuncula hæc, idea primigenia est *civitatem non esse naturæ opus*. De probationibus mitto, rem auditorum meditationi relinquo.

---

(1) Quo strictior sit in suscepto argumento series idearum, liceat has, utut per se breviores quam postulat congruus orationis modus, sine pigmentis, simpliciter et technicis verbis connectere, et ad calcem rejicere quidquid, rem dilucidans, catenam rumperet.

Quod si ita sit de civitate, itidem esse debet de statu civili, quippe qui sine civitate existere nequit.

Status civilis ergo non semper fuit; unde perspicuum est atque consequens homines aliquandiu in statu naturali vixisse (2).

In statu naturali non omni fræno soluti erant homines, sed obstricti rationis legibus, quarum aliæ virtutes omnes, et ipsam quidem justitiam, qua virtutem, coli jubent; aliæ solam servari præcipiunt justitiam, non ut virtutem, sed ut reapse injurias prohibentem. Hæ leges solum factum respiciunt, externe obligant, in foro externo vertuntur, hominum judicio

---

(2) *a.* Per statum naturalem non intelligo statum ab omni societate alienum, quasi homines unquam in solitudines sylvasque secessissent, vagamque ferarum vitam egissent; sed statum eorum qui socii quidem vivunt, verum singuli suæ sibi voluntatis arbitri; ita ut eorum vires non sint subjectæ rectrici voluntati, in quâlibet civitate necessariæ. Non adversatur igitur hæc mea sententia sententiæ eorum qui negant unquam homines extra societatem vixisse; hoc enim et ipse nego: existimo nempe semper inter homines societatem fuisse, naturalem scilicet, eamque a civili societate diversissimam.

b. Singularem quorumdam opinionem huc spectantem refert ac probat Hermannus De Ranitz, in Specimine Juridico, *de imperio civili in partes recte distribuendo*, pag. 13. hisce verbis : « debet enim, licet talem naturæ » statum revera nunquam exstitisse vero similius videatur, tamen ab hoc » statu ad juris publici principia constituenda, initium fieri. » Singularem hanc esse opinionem asserere haud dubito; etenim vel fuit status naturæ vel non fuit; si fuerit, ut ex dictis necessario sequi videtur, affirmare non licet ipsum nunquam exstitisse; si non fuerit, cur tamen ab hoc statu ad juris publici principia constituenda initium faciendum est? num forte ut demonstretur quot quantaque incommoda civitatis ope vitare atque avertere voluerint homines? Sed si imaginarius sit status naturæ, ipsa quoque illa incommoda imaginaria sint oportet.

nos subjiciunt; illæ intentionis rationem habent, interne obstringunt, in forum internum conveniunt, unum Deum judicem habent: priores leges virtutis, moralis, ethices nuncupantur, solâ suâ ipsius reverentiâ obstringunt, officia injungere dicuntur; posteriores jus naturæ vocantur, coactu executionem adipiscuntur, obligationem, ut aiunt, imponunt (3).

---

(3) *a.* Hæc duo legum genera a veteribus scriptoribus omnibus, a recentioribus pluribus, mirum in modum confunduntur: apud nostrates quidem plurimos valet hæc juris naturæ definitio: *dictamen rectæ rationis*, vel *quod auctor naturæ cordibus hominum insculpsit;* quasi moralis, perinde ac jus naturæ quod dixi, non foret rectâ ratione dictata hominumque cordibus a Deo insculpta.

b. Nonnulli jus naturæ prorsus negare non dubitant: sed sive sentiunt id, quod jus naturæ voco, cum morali confundendum esse, atque ideo non seorsum existere; sive censent nec separatim nec conjunctim quidquam juris naturalis esse, procul dubio aut falluntur aut fallere student. Qui enim, ut ipsi, rationem existere concesserint, concedere quoque debent ratione quædam ita præcipi vel vetari ut ad hæc omittenda, ad illa facienda ab aliis cogi possimus. Si forte in omni casu facile probari non potest id quod agitur adeo ratione injunctum vel vetitum esse ut, si jussui vel prohibitioni non stemus, coactui obnoxii simus, hinc nihil ita ratione prohiberi aut juberi minime colligitur.

c. Celeberrimus Bentham moralem existere tenet, non vero jus naturæ, cui præfert *utilitatis principium.* Sed quid causæ est ut rationis leges, quæ morales dicuntur, potius esse affirmet, quàm rationis leges, quæ jus naturæ nuncupantur? Quid præterea sibi vult illud utilitatis principium? Si quâcunque utilitate hominum actiones metiendæ sint ad ejusque normam dirigendæ, nulla stare potest societas sive naturalis sive civilis. Si de tali utilitate senserit qualem fert jus naturæ atque comprobat, id ipsum quod negat esse affirmat. An animo sibi fingit utilitatem circumscriptam alio modo quam jure naturæ? an v. g. ipsi probatur et præplacet sententia, quâ

Quidquid jus naturæ non præcipit, licite prætermittere, quidquid non prohibet, licite facere poterant homines (4). Et hæc est *licita* naturalis libertas (5), sedulo discernenda ab *omnimodâ* libertate naturali, quæ, discrimine licitam inter et illicitam sublato, solis virium limitibus circumscribitur, diciturque a nonnullis *indépendance*, sed immerito, ut videtur, siquidem vocabulo *indépendance* non latior subjicitur significatio, quam vocabulo *liberté*, adeo ut potius usurpanda sit locutio *abus de la liberté*.

---

majora commoda comparantur, majora incommoda avertuntur? Nihilominus perpendendum erit utrum inde non efficiatur idem quod ex jure naturæ, et quidem quoad majorem minoremve consilii capiendi difficultatem. Quod si utraque via ad eumdem finem perducat, non tanti est ut jus naturæ explodatur.

d. In statu naturali jus naturæ non nisi *privatum* erat, utpote cui non nisi inter privatos locus esse poterat, nondum conditis civitatibus, sine quibus nec jus publicum nec jus gentium esse potest.

(4) Jus naturæ, remoto omni facto obligatorio, non nisi prohibitivum est: *in alterius libertatem non invadito;* existente autem facto obligatorio, jus naturæ vel imperativum simul et prohibitivum est, videlicet quando de facto obligatorio conventionali agitur; vel imperativum tantum, nimirum ubi agitur de alio facto obligatorio.

(5) *a.* Jus naturæ quum duplex sit, videlicet vel ex se, vel ex facto obligatorio, obstringens, duplici libertati naturali locum præbet. Prior, omnibus hominibus communis, ex solo jure naturæ oritur, et *nativa* vocari potest. Altera nascitur ex facto obligatorio, quo imminuitur libertas auctoris facti in commodum alterius, cujus itaque libertas augetur, hancque *acquisitam* dicere liceat.

b. Cæterum, quod licitam libertatem naturalem voco, idem id a quibusdam *jus naturæ permissivum* nuncupatur. Sed, ut recte loquar, jus permissivum non exstat; quod vocabulis illis designant, id potius *non jus* est, vel *absentia juris*. Fateor in jure positivo quasdam esse permissiones, sed harum finis est ut jussi prohibitionisve absentia aut abrogatio indicetur.

Si homines semper servassent licitæ naturalis libertatis terminos, vel sufficiens et conveniens adfuisset modus coercendi illorum violatores, in statu naturali permanere potuissent, nec ad alium quemcunque statum debuissent confugere.

Sed quod jus naturæ prohibet, patrare; quod præcipit, omittere cœperunt. Muniebatur quidem lex naturalis quâdam sanctione, id est aderant quidem modi, quibus cogerentur homines ad servandum jus naturæ, sed vel impares vel incongrui (6).

Ex quo factum est ut licitâ naturali libertate vel omnino non, vel saltem non plene frui possent homines permulti.

Ut occurreretur hisce incommodis (7), detegendæ fuere viæ sufficientes et convenientes, quibus ad legem naturalem servandam homines compellerentur.

Igitur creanda fuit vis quædam tanta ut legis violatorum vires superaret ac proinde sufficeret, et quæ ut parum conveniens non foret rejicienda.

---

(6) Omnium enim sanctionum præsentissima, et sola quidem, ut vera loquar, est vis quâ legis violatores coerceantur: sed debilior validiorem coercere nequit; insuper qui vim adhibet sibi ipse jus dicit, quod minime decet, quoniam periculum est ne quisque causam sibi adjudicet, ubi aliis esset adjudicanda.

(7) Præter incommoda quæ dixi, alia quædam in statu naturali existunt. Scilicet non ita perspicuum est jus naturæ quin aliquando uterque adversarius dubitet utrum præcipiat prohibeatve nec ne, vel quin uterque credat jus sibi favere; ita ut exsurgat contentio in quâ neuter cedendum putat. Insuper quando jus naturæ perspicuum est, de facto, ad quod est applicandum, ex insuperabili inscitiâ dubium vel dissentio esse potest; adeo ut neuter alterius petitioni vel defensioni annuendum esse existimet. Hæc incommoda etiam aliquatenus adducere potuerunt homines ad remedium ipsis quærendum; sed tamen quum leviora sint, ea facile prætermittere licet.

Hanc vim sufficientem et convenientem nec arces, nec arma, nec bruta animalia suppeditare possunt.

Creari quidem potuisset solis viribus, id est personis et bonis sat multorum hominum eâ mente conflatis, ut, si quis sive sociorum sive exterorum jus naturæ violet, ab omnibus simul in ordinem redigatur; solis igitur viribus junctis, et salvâ cuique propriâ voluntate, creari potuisset, si homines, propriam voluntatem retinentes, semper idem vellent.

Verum ut alii aliter sentiunt, ita alii aliter volunt, et ideo ejusmodi conflatio vel statim et ab initio, vel brevi futura fuisset inefficax. Quapropter homines, suas vires conflando, propriam voluntatem, quoad vires impendendas, singuli retinere non potuerunt, sed aliquam invenire debuerunt voluntatem ita sese habentem (8) ut vires conglobatas ad scopum coeuntium, id est ad executionem legis naturalis præstandam, seu ad licitam naturalem libertatem tuendam, sufficienti modo dirigere queat (9).

---

(8) Ut ita se habeat voluntas multa necessaria sunt, quæ commemorari susceptum argumentum non postulat. Unum hoc, præ cæteris huc spectans, afferam, nimirum voluntatem rectricem unicam esse debere, cum alioquin inefficax fieri posset, aliis aliud volentibus.

(9) Finis itaque et propositum coeuntium fuit avertere incommoda quibus in statu naturali obruebantur, veluti ex dictis satis superque colligitur. Annon et hoc propositum sibi habuerunt ut compararent commoda quibus in statu naturali carebant? Nec affirmo, nec nego, siquidem rerum natura in neutram partem suppeditat probationem. Itaque nec iis assentior qui tenent *felicitatem* omnino coeuntium finem esse, nec iis qui disputant *jurium securitatem,* quam etiam *statum justitiæ* vel *libertatem* vocant, contrahentium esse scopum, perfectionem vero vel humani generis vel singulorum hominum non nisi in consequentiam venire, id est perfectionis

Quâ voluntate inventâ, existit civitas, existit status civilis, qui civitatis consectarius est (10).

Non tamen per civitatem homines retinere vel recuperare possunt totam libertatem naturalem. Volunt nempe remedium, et ideo conservationem remedii; volunt etiam ut remedium præbere possit scopum contrahentium; volunt ergo omnia in hos fines necessaria, et consequenter amissionem libertatis eatenus quatenus remedii conservatio vel efficacia id postulat (11).

---

augmentum apud cives viam esse quâ ipsa voluntas rectrix utitur ut juris securitatem præstare possit; ita ut perfectionis apud cives augendæ eatenus tantum rationem habeat, quatenus ipsa hæc perfectio ad statum justitiæ firmiorem reddendum conducit.

(10) Statim a civitate conditâ novæ prodierunt relationes antea ignotæ, nimirum civitatem inter et singulos cives; ita ut jus naturæ, antea duntaxat privatum, etiam *publicum* sit factum, utpote inter civitatem, quæ est *publica* moralis persona et singula civitatis membra locum habens. Neque hic constitit res, aliis enim conditis civitatibus, aliæ quoque, inter diversas scilicet civitates, ortæ sunt relationes; unde jus naturæ, initio privatum, dein publicum, demum *gentium* evasit. Ex quibus videre est jus, a naturâ ortum, iis, quæ aliunde sunt nata, applicari posse.

(11) *a.* Inde patet quatenus in civitate utilitatis privatæ ratio haberi possit: videlicet quousque remedii conservatio vel efficacitas postulat homines libertate privari, eousque spectari nequit singulorum utilitas. De cætero ad hanc respici potest quoad per naturam cautionis adhibendæ licet. Dico *quoad per naturam cautionis adhibendæ licet*, quia cautiones sub nomine legum venientes, quum generales sint, ideoque vel ad omnes, vel ad classes spectent, singulis providere nequeunt; ubi e contrario cæteris cautionibus, v. g. judiciis, singulis consulitur.

b. Leges, quæ libertatem naturalem imminuunt quatenus necessarium est vel videtur, vocantur *civiles*, quippe quæ ad statum civilem spectant, et

E contrario fit vel fieri potest ut, vigente civitate, homines pro libitu aliquid facere vel omittere possint, quod in statu naturali vel facere vel omittere debebant; non enim omnia quæ juris naturæ sunt sanctione munit civitas.

Itaque in statu civili hinc minus, illinc plus hominibus licet; quæ juncta libertatem civilem efficiunt.

Libertas ergo civilis aliâ ratione magis, aliâ ratione minus restricta est quam naturalis. Sed etiamsi omni respectu magis circumscripta foret, cum tamen ipsâ singuli, omnium præsidio tuti, tranquille frui possint, multo naturali præcellit.

Quod si quis in dubium vocare velit, tollat civitatem, per quam floret libertas civilis, abolevitque naturalis; et fervebunt celeres, heu! fervebunt certatim calamitates omnes, quibus arnarchia parens miseros mortales obruit, bella civilia, cædes, vastatio, sceleratorum triumphus, proborum pernicies, for-

---

positivæ, siquidem positæ fuere, a civitate scilicet, non autem a naturâ ortæ. Vigent illæ leges vel inter privatos, vel civitatem inter et singulos privatos, vel inter plures civitates; primo casu *privatum*, altero *publicum*, tertio *gentium jus positivum* efficiunt. Ita passim; sed re penitius inspectâ, nullum jus gentium positivum esse apparet, quum inter gentes nullus sit legislator positivus: ideoque nec consuetudo legum vices inter gentes obtinere potest, quoniam usus, quantumvis constans atque diuturnus, a solâ legislatoris voluntate vim legis accipere potest. Plurimæ quidem inter gentes intercedunt obligationes, verum hæ sive ab ipso jure naturæ, sive a conventione oriuntur.

tunarum eversio, securitatis deletio, terror! Fervebunt nefanda quæ orbis terrarum odium gallicarum rerum conversioni conciliarunt! Fervebunt mala, quæ Virgilius luctuosâ voce de anarchiâ romanâ, flagrantibus bellis civilibus, canit!

Itaque Deum Optimum Maximum obsecremus ne in posterum civitatum destructioni vel remotissima causa afferatur: ne unquam vel vi et palam perfringantur, vel clam et dolose eludantur jura subjectorum: ne temporibus ullis leges, subditorum præsidia, violentur; quippe quod ne tunc quidem fieri potest cum utilitas publica hoc postulare videtur, quin statim civium securitas periclitetur: ne regentibus debita reverentia, debita obedientia unquam detrectetur: ne tanta prudentia quantam vix fert humana natura, quantam forte nec ipsi Aristarchi propriis negotiis adhibere possint, ab imperantibus desideretur: ne gubernantium bene gesta æque ac jussa perniciosa carpantur, vel nociva, si qua sint, arcerbius reprehendantur. Paucis, ex æquo et bono utrinque peragantnr omnia, et non solum immota civitatum fortuna stabit, sed et ætas aurea, quam merito derident philosophi, tanquam commentum non erit explodenda.

ORATIONE habitâ, alterum munus explendum superest, idque mihi acceptissimum. Nemo universitatis alumnorum nescit patrem non majori amore filium prosequi quam ego discipulos assiduos et bene moratos. Itaque accedite, universitatis flos atque decus, accipite præmia eo ordine quo doctissimus vir, qui senatui academico a secretis est, singularum facultatum judicia recitabit.

ULTIMO rectoris officio functus, fasces academicos manibus tuis, Humanissime Vir, Æstimatissime Collega, læto animo trado. Gratias ago Regi Augustissimo, quod ingenii tui, eruditionis et in studiosos benevolentiæ rationem habuerit. Faxit Deus ut auxilium et benevolentia collegarum tantum te sublevent, quantum ego eadem in muneris perfunctione sum expertus. Faxit Deus ut, anno elapso, non minus ac ego, civibus academicis suam erga te reverentiam atque obedientiam gratulari possis.

IX.

PETRI JOSEPHI VAN DER TON

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM JURIDICAM.

PETRI JOSEPHI VAN DER TON

ANTVERPIENSIS,

JURIS IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE JURECONSULTORUM PROPOSITAM:

Ex juris publici principiis demonstretur legem non verbis, sed voluntate, cujus verba signa sunt, constare. Dein variæ proponantur regulæ quæ, verbis dubiis, in investigandâ voluntate adhiberi possint; singulæque exemplis illustrentur. Tum doceatur quomodo voluntas inveniatur, quatenus verba desint. Postea perpendatur an etiam tunc cum verba clara sunt, voluntatem aliunde quærere liceat. Denique exponatur quanti in jure civili hodierno interpretando valeant et emendationes quas codicis prima adumbratio gradatim subiit, donec tandem lex evaserit, et observationes curiarum, tribunorumque; item ea quæ in consilio sanctiori, cum singuli articuli perpenderentur, undique dicta sunt; et tandem orationes quas oratores seu consulum seu tribunorum in consilio legatorum populi habuerunt.

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST VIII. IDUS OCTOBR.

MDCCCXXI.

Audere non dedecet.

PROOEMIUM.

Ad quæstionem ab ordine juridico pro certamine anni MDCCCXXI in Academiâ Lovaniensi propositam, hâc subsequenti nostrâ commentatione respondere conamur.

Præceptis institutisque cll. professorum imbuti, ita nostrum juvenile instituimus tentamen, ut eorum cogitandi rationem alto animo inculcatam exemplis tum ex jure romano, tum ex jure hodierno haustis illustremus. Quod si feliciter fecerimus, articulo 145 statutorum academiarum belgicarum fecisse satis putaverimus.

Res ipsa disceptanda hoc postulare videtur, ut adhibeatur divisio in tres partes, quarum

prima ex juris publici principiis demonstret legem non verbis, sed voluntate, cujus verba signa sunt, constare; secunda, quatenus quæstiones propositæ postulent, circa legum interpretationem versetur; tertia exponat quanti in jure civili hodierno interpretando valeant et emendationes quas codicis prima adumbratio gradatim subiit, donec tandem lex evaserit, et observationes curiarum tribunorumque; item ea quæ in consilio sanctiori, cum singuli articuli perpenderentur, undique dicta sunt; et tandem orationes quas oratores seu consulum seu tribunorum in consilio legatorum populi habuerunt.

Videbunt rerum æqui judices quonam successu propositum nobis assequi licuerit. Cæterum *audere non dedecet.*



PARS PRIMA.

Legem non verbis, sed voluntate, cujus verba signa sunt, constare demonstratur.

FERE omnes qui de legibus scripserunt, et præcipue recentiores, de legum *verbis* et *mente* loquuntur, quasi quævis lex duabus constaret partibus, in quas partiri queat.

Per verba legis (la lettre, le texte de la loi) intelligunt, ut sponte fluit, verba quæ voluntatis significandæ caussâ adhibentur. Per mentem vero (l'esprit de la loi), ipsam voluntatem verbis manifestandam.

Vocabula *vis, potestas, sententia* tanquam mentis synonyma adhibentur, ut patet ex L. 17, L. 27, ff. de legib. L. 5, C. eodem.

Hæc opinio in caussâ fuisse videtur cur ordo jureconsultorum Universitatis Lovaniensis demonstrari jusserit legem non verbis, sed voluntate, cujus verba signa sunt, constare. Quæ demonstratio solâ expositione quorumdam juris publici principiorum, ab origine civitatis repetendorum, arbitramur fieri posse sequenti modo :

Ab ipsâ naturâ neque civitates profluxerunt, neque status civilis, qui sine civitate exsurgere nequit, nec ea quæ statum civilem concomitantur, ut reges, optimates, cives, subjecti, ordines, cœtus, concilia, administratores publici, judices, cæterique magistratus, leges civiles seu positivæ, jura et obligationes ex legibus civilibus orientia.

Civitas enim non nisi ens est incorporale, morale (être de raison), quod sensibus percipi nequit, in intellectu tantum existit. Et hoc idem de statu civili atque de iis quæ statum civilem concomitantur dicendum est.

Itaque hæc omnia ab institutione quâdam profecta sint oportet, et ideo non semper fuerunt, sed ab aliquo temporis puncto ipsis origo est, ita ut ævum fuerit anterius, ubi omnino non exstarent, hominesque non nisi in statu mere naturali viverent (1).

In statu naturali constituti non omni fræno soluti vitam agebant homines, sed vigebant leges rationis, quarum aliæ ethicen, aliæ jus naturæ constituunt (2).

Quidquid jus naturæ non præcipit, licite omittere, quidquid non prohibet, licite facere poterant homines. Et hæc

(1) Burlamaqui, Principes de droit politique, 1re Partie, chap. 4, § 17. D'Alembert, Analyse de l'esprit des lois. (Œuvres complètes de Montesquieu, 8 vol. in-8. *Bâle*, 1799. Tom. I, pag. 66, al. 2). Filangieri, Scienee de la législation, Tom. I, pag. 151 et suiv. Locke, du Gouvernement civil, chap. I, § 11 avec la note, chap. VII, § 6, 7, 8, 9, 19, 20, 21, 22, 23 et 24.

(2) Hermann De Ranitz, in Commentatione ad quæstionem ab ordine philosophiæ in academiâ groninganâ, anno 1816 propositam; quæ commentatio exstat in annalibus ejusdem academiæ anni 1816—1817.

est licita naturalis libertas sedulo discriminanda ab omnimodâ libertate naturali, quæ, distinctione inter licitam et illicitam rejectâ, nullos alios nisi virium limites agnoscit (1).

Licitæ libertatis naturalis fines non in omni casu hominibus comperti sunt; scilicet non ita perspicuum est jus naturæ, quin aliquando uterque adversarius dubitet, utrum præcipiat an-non, prohibeat nec-ne; vel quin uterque credat jus sibi favere; ita ut exsurgat contentio in quâ neuter alteri cedendum putet (2).

Præterea cum jus naturæ perspicuum est, de facto ad quod applicandum, insuperabili errore vel dubitare vel dissentire possunt homines, ita ut neuter alterius petitioni vel defensioni annuendum esse credat.

Denique juris naturæ terminis cognitis, factoque in aprico, aliud et præcipuum quidem incommodum remanebat, scilicet compertos terminos frequenter transgredi, id est quod jus naturæ prohibet, facere, quodque præcipit, omittere, vel conscii cœperunt homines. Gaudebat quidem lex naturalis quâdam sanctione, id est erant media quibus cogerentur ho-

(1) Burlamaqui, l. l. 1re Partie, chap. 3, § 15 — 19. Puffendorf, de Jure naturæ et gentium, Lib. II, cap. 1, § 2. Lib. VI, cap. 3, § 10. Montesquieu, Esprit des lois, Liv. XI, chap. 2, 3 et 4. Hanf, Principes de droit public français, 1re Partie, pag. 13, al. 3, et pag. 14, al. 1 et 2. Locke, l. l. Chap. 1, § 1 et 3. Les corps politiques, Liv. I, chap. 7, ou Tom. I, pag. 75, al. 1 et 2, Abrégé de la république de Bodin. Liv. I, chap. 5, ou Tom. I, pag. 29. Politique naturelle, par le baron d'Holbach, Disc. VI, § 3, à la fin. Disc. I, § 7. Disc. VI, § 5.

(2) Locré, Esprit du code Napoléon, Introduction, 1re Partie, chap. 12. Hermann de Ranitz, Specimen juridicum, de imperio civili in partes recte distribuendo, Cap. 1, § 2. Locke, l. l. Ch. VIII, § 3.

mines jus naturæ servare, sed vel non sufficientia, vel parum convenientia (1).

Si licitæ libertatis fines factumque in omni casu comperta fuissent, atque homines nunquam compertos terminos transgressi fuissent, vel media sufficientia et convenientia fuissent coërcendi, perpetuo in statu naturali permanere potuissent, neque ad alium quemcumque statum ipsis confugiendum fuisset (2).

Sed cum aliter res se habeat, et præsertim jus naturæ scienter quidem perfringere non dubitent homines, licitâ naturali libertate vel omnino non, vel saltem non plane frui poterant permulti (3).

(1) BURLAMAQUI, l. l. 1re Partie, chap. 3, § 4—8. FILANGIERI, l. l. Tom. I, pag. 52 et suiv. BURLAMAQUI, Elémens de droit naturel, 1re Partie, chap. 6. VICAT, Traité du droit naturel, 1re Part. chap. 6, pr. PUFFENDORF, l. l. Lib. VII, cap. 1, § 8—11. Abrégé de la république de BODIN, Liv. I, chap. 1, princ. LOCKE, l. l. Chap. 1, § 10. Chap. 8, § 1, 4, 5, 6. Essai sur le gouvernement civil d'après les principes de FÉNÉLON, Pag. 27 et 28. Principes de tout gouvernement, Chap. 1, art. 1er. Essais de morale et de politique, 2e Partie, chap. 2. HERMANN DE RANITZ, l. l. Pag. 14. BENTHAM, Traités de législation civile et pénale, 1re édit. Tom. I, Pag. 119. Idem auctor, Tom. I, pag. 45, cap. 7, eximie de legum sanctionibus scripsit. HANF, l. l. Pag. 8, al. 3 et 4. Pag. 9, al. 1, 2 et 3; sed caute accipiendus; utitur nempe vocabulo *justice* prout significat potestatem civilem, quæ cives ad leges servandas cogit.

(2) BURLAMAQUI, Principes de droit politique, 1re Partie, chap. 3, § 2 et 3. VATTEL, Traité du droit des gens, dans la Préface, Pag. 11, Essai sur le gouvernement civil, d'après les principes de FÉNÉLON, Pag. 27. LOCKE. l. l. Ch. VIII, § 7.

(3) BURLAMAQUI. l. l. 1re Partie, chap. 3, § 19 et 20.

Hisce incommodis ut remedium afferretur, media erant invenienda sufficientia et convenientia, quibus ad jus naturæ servandum homines compellerentur (1).

Igitur creanda quædam vis tanta ut legis infractorum vires superaret, et ideo sufficeret, quæque insuper quasi parum conveniens non foret rejicienda (2).

Quam vim sufficientem et convenientem nec locus, quantumvis naturâ et arte munitus, nec arma, nec bruta animantia præstare possunt (3).

Creari quidem potuisset, solis viribus, id est, personis et bonis sat multorum hominum eâ mente conflatis, ut si quis, sive sociorum, sive exterorum jus naturæ perfringat, ab omnibus simul ad meliorem frugem se recipere cogatur. Sic igitur, et salvâ cuique propriâ voluntate, creari potuisset, si homines propriam voluntatem retinentes semper idem vellent.

Verum, ut alii aliter sentiunt, sic quoque alii aliter volunt. Et ideo ejusmodi conflatio vel statim et ab initio vel brevi futura fuisset inefficax. Quapropter homines eâ, quam dixi, mente vires suas conflantes, propriam voluntatem, quoad vires impendendas, retinere non potuerunt, sed aliquam invenire

(1) J. J. Rousseau, Contrat social, Liv. I, chap. 6, au commencement. Puffendorf, l. l. Lib. VII, cap. 1, § 4, et cap. 2, § 1. Hugo Grotius, de Jure belli ac pacis, Lib. I, cap. 4, § 4, nº 2. Locke, l. l. Chap. 6, § 15. Domat, du Droit public, Titre I, section 1ere, § 5.

(2) Politique naturelle, Discours I, § 14. Burlamaqui, l. l. 1re Part. ch. 4, § 4. Hanf, l. l. Pag. 9, alin. dern. Essai sur le gouvernement civil d'après les principes de Fénélon, Pages 28, 29 et 30. Puffendorf, l. l. Lib. VII, cap. 2, § 5.

(3) Puffendorf, l. l. Lib. VII, cap. 2, § 1.

debuerunt voluntatem quâ vires ad conglobantium scopum sufficienter dirigi possint (1).

Ut vero voluntas invenienda vires ad coeuntium scopum moderare queat, omnibus in hunc finem necessariis prædita esse debet, quorum unum, ad reliquam commentationem præ cæteris spectans, infra referemus.

Hisce omnibus instructa voluntas duplici modo fini civitatis attingendo operam dat. Scilicet aut circa universalia, aut circa singularia versatur; id est vel per modum regulæ generalis casibus sub regulâ contentis, atque dein obventuris, applicandæ; vel in singulis casibus, jam obviis, subjectorum vires afficit (2).

Quando circa universalia versatur, scilicet ubi per modum regulæ generalis, casibus sub regulâ contentis, atque dein obventuris, applicandæ, personas et bona afficit, lex fieri dicitur (3).

Quæ lex, ut sponte fluit, non nisi positiva esse potest.

Lex itaque positiva definiri potest : *Rectrix voluntas quatenus regulas generales constituit.*

(1) Montesquieu, l. l. Liv. I, chap. 3, al. 7 et 10. Essais de morale et de politique, Chap. 2 et 3. Institutions politiques du baron de Bielfeld, Tom. I, chap. 3, § 6. J. J. Rousseau, Contrat social, Liv. I, chap. 6, al. 2, 3 et 4. Burlamaqui, l. l. 1re Part. ch. 3, § 10. ch. 4, § 2, 3, 4 et 5. Filangieri, l. l. Tom. I, pag. 53, in fine, sqq. Puffendorf, l. l. Lib. VII, cap. 1, § 7: cap. 2, § 1, 2, 3, 4 et 5. Vattel, l. l. Lib. I, § 1 et 26. Merlin, Nouveau Répertoire de jurisprudence, au mot *souveraineté*, § 1, al. 2.

(2) De Ranitz, l. l. Pag. 74 et 80. Grotius, l. l. Lib. I, cap. 3, § 6, nº 2.

(3) De Ranitz, l. l. Pag. 81.

Lex igitur constat voluntate.

Atqui voluntas nec integra nec partim verbis constat. Ergo nec lex.

Verum quidem est voluntatem aliquo signo manifestandam esse; sed signa non suî caussâ, verum voluntatis gratiâ adhibentur, ita ut non signa, sed voluntas per signa manifestata operetur.

Immo ne ut signa quidem necessario adhiberi debent verba, siquidem et alia exstent signa quibus voluntas sufficienter manifestari valeat; V. G. symbola hieroglyphica, scriptura sinensis, facta (1).

Parvi ergo refert in legibus condendis frequenter verba adhiberi; hoc enim ideo fit, ut signum quoddam sit voluntatis, quæ, deficientibus forte omnibus aliis signis, subjectis non innotesceret, et ideo non operaretur (2).

Fatemur quidem nomen legis aut solis verbis, aut verbis et menti simul frequenter tribui; sed tunc signum (ut in

(1) J. J. Rousseau de signis in genere ait: « Chaque chose peut avoir pour » lui mille signes différens. » Emile, Liv. II. (Tom. I, pag. 262, édit. origin. de Neaulme) « Ce qu'on disait le plus vivement ne s'exprimait pas par des mots, » mais par des signes; on ne le disait pas, on le montrait. . . . . Thrasybule et » Tarquin coupant des têtes de pavots, Alexandre appliquant son sceau sur la » bouche de son favori, Diogène marchant devant Zénon, ne parlaient-ils pas » mieux que s'ils avaient fait de longs discours? » Emile, Liv. IV. Tom. III, 235. Conf. Condillac, sur l'origine des langues, Pag. 43.

(2) Ex præcedentibus fluit multum abesse quin prorsus consentiamus cl. Bentham dicenti : « Tels mots, telle loi. Fait-on des lois autrement » qu'avec des mots? Vie, liberté, propriété, honneur, tout ce que nous avons » de plus cher dépend du choix des mots. » Traités de législation civile et pénale, Tom. III, pag. 393, 2e édit.

scholis loquimur) pro ipsâ re signatâ sumitur (1). Quod ideo forte invaluit, quia voluntas legem constituens, temporibus præcipue hodiernis, per verba emitti solet, ita ut subjecti non nisi per verba legem percipientes, demum legem appellaverint quod non nisi legis signum est (2).

Hic susceptæ demonstrationi finem imponimus. Non tamen continuo ad secundam commentationis partem transibimus, sed præmittemus, ut monitum est, quædam de uno ex iis quæ requiruntur ut voluntas rectrix subjectorum vires ad eorum scopum moderare queat; quæ præmissio ad secundam partem tractandam multum proficiet.

Voluntas rectrix, sive in universalibus, sive in singularibus versetur, in mente retineri nequit; personas enim et bona moderare debet, nec in mente retenta moderare potest, cum ejusmodi voluntas nihil operetur (3).

Signis igitur proferatur necesse est. Nec qualiacumque signa sufficiunt, sed requiruntur talia per quæ voluntas civibus innotescere queat. Quid enim interest inter voluntatem

(1) Pulcherrime hanc docet sententiam HERTIUS, in notâ 3ª. ad PUFFENDORF, l. l. Lib. V, cap. 12, § 1.

(2) Sic in art. 4. Cod. Civ. hod. nomen legis solis verbis tribuitur. Item cl. MONTESQUIEU sola verba legem appellat, dum dicit, l. l. Liv. VI, chap. 3, al. 2. « Là où elle (la loi) est précise, le juge la suit; là où elle ne l'est pas, » il en cherche l'esprit. »

(3) L. 9. C. de legibus. L. 65. C. de decurionib. Nov. 66. cap. 1. TOULLIER, Droit civil français, Livre I, nº 57. PROUDHON, Cours de droit civil français, Tom. I, pag. 10 et 11. MERLIN, Répertoire universel de jurisprudence, au mot *loi*, § 5, nº 1.

omnino in mente retentam et voluntatem talibus prolatam signis quibus subjectis nota fieri non potuerit (1)?

Quando prima voluntatis signa talia sunt ut cives ea, vel nullo adjuvante, vel saltem ex narratione aliorum capere queant, sufficientia sane haberi possunt. Sed ubi, ut sæpe fit, res aliter se habet, ad alia signa confugiendum est, quibus voluntas iis, quorum interest, nota fiat.

Quod voluntatem attinet quæ circa singularia versatur, hæc facile admodum aliis signis singulis, quos tangit, civibus notificari potest.

Sed non item de lege, quæ vel omnes ad civitatem pertinentes, vel saltem omnes eos in quos regula quadrat, eosque indeterminatos tangit, quibus singulis vel omnino non vel vix significari potest (2).

Idcirco invaluit ut certis locis nova ponantur signa, quæ ab audire vel videre valentibus volentibusque audiantur videanturve, et ab hisce deinceps non valentibus aut non volentibus tradantur.

Illud primum voluntatis signum, quando sufficiens vel est vel habetur ut civibus innotescat, vel hæc nova signa, quando necessaria vel sunt vel habentur, *legis promulgatio* nuncupantur.

Igitur promulgatio legis duplex est: prior tunc locum habet cum prima voluntatis signa talia sunt ut cives ea, vel nullo intercedente, vel saltem ex narratione aliorum capere queant. Posterior adhibetur cum certis locis nova ponuntur signa, quæ ab audire vel videre valentibus volentibusque audiantur videanturve, et ab hisce deinceps non valentibus vel non volentibus tradantur.

(1) Grotius, l. l. Lib. II, cap. 4, § 3.

(2) Locré, Esprit du code Napoléon, édit. in-4. Tom. I, pag. 116

Duplex differentia inter hæc promulgandi genera locum habet. Scilicet quando prior promulgationis species viget, tunc prima voluntatis signa civibus, vel nullo intercedente, vel ex narratione aliorum innotescunt. Contra, posteriori specie florente, novis signis opus est quibus subjecti vel directe, vel aliis referentibus, certiores fiant.

Præterea, in illâ promulgationis specie, prima voluntatis signa non promulgandi caussâ adhibentur, et ideo promulgatio non horum scopus, sed tantum consequentia est. In hâc vero nova signa revera promulgationis gratiâ ponuntur.

Hæc duplex disparitas, quamvis ex rerum naturâ locum habeat, quoad effectus tamen nullius est momenti; nam utrumcumque genus adhibeatur, alii cives cognoscunt, alii ignorant voluntatem, et tamen omnes indistincte obligantur.

Prioris generis promulgatio a quibusdam *moralis* vocatur (1), ideo sane quod civibus cognita habeatur, quamvis revera forte ipsis cognita non fuerit. Sed idem locum habet, quando posteriori modo promulgatur lex; tunc enim nec nova signa, quæ certis locis ponuntur, necessario cuilibet innotescunt, sed tantum nota habentur. Idcirco si quis illam moralem vocare velit, huic quoque idem nomen tribuat necesse est (2).

Si singulis notificaretur voluntatis signum, tunc omnes hoc ipso legem cognoscerent, neque talis promulgatio mo-

(1) Opinion de M. Reyphins, émise dans le comité général de la 2e chambre des états-généraux, du 12 février 1821; Journal de Bruxelles, an 1821, supplément, nº 29. Discours de M. Nicolaï, prononcé dans la séance de la dite 2e chambre, du 24 mars 1821; Journal de Bruxelles, an 1821, nº 91.

(2) Hoc confirmare videtur Locré, l. l. Tom. I, pag. 116; sed pag. 124 inter moralem et physicam distinguit.

ralis dicenda foret; sed, ut supra dictum est, ejusmodi promulgandi modus omnino non vel vix adhiberi potest.

Prioris generis promulgatione uti non potuerunt summi imperantes, quamdiu prima voluntatis signa clam ederentur, ita ut inde nulla legis notitia apud cives oriri posset. Sed ex quo invaluit ut in legibus proponendis, in suffragiis ferendis et proclamandis palam versarentur legislatores; ex quo copia est subjectis quibus per naturam licet, ex diariis sive publicâ auctoritate scriptis, sive privatim editis, quotidie cognoscendi ea quæ a legislatore sanciantur; ex hoc tempore, in regiminibus ubi ea quæ dixi locum habent, prima voluntatis signa sufficientia haberi possunt; præsertim si ad legis cognitionem quærendam congrua statuatur dilatio (1).

Primo tamen aspectu videtur posterior promulgandi modus multo priori præstare. Quid? cum certis idoneis locis nova voluntatis signa ponuntur, an-non cives facilius voluntatem capient, præsertim si ad eam capiendam provocentur, quam ex primis signis uno tantum loco editis, ubi plerique non habitant, ubique casu tantum inveniuntur? Et vero res ita se haberet, si leges promulgandæ tam faciles captu forent ut illis novis signis facile capi possent; si raro omnino fierent, et ideo cives raro legum signis capiendis animum intendere deberent. Sed leges tam faciles intellectu præsens rerumpublicarum locus non patitur, ita ut vix ii qui juri vel saltem humaniorum litteris operam non dederint, eas ex novis, quæ dixi, signis intelligere queant. Præterea tot leges conduntur, ut curis domesticis impediti cives non omnibus promulgandis

(1) Locré, l. l. Tom. I, pag. 119. Toullier, l. l. Lib. I, n° 71, 72 et 73. Opinion de M. Reyphins et Discours de M. Nicolaï, cités plus haut.

aures vel oculos præbere possint vel fastido affecti velint. Quod fastidium, ut experientia docet, non tantum homines ordinarios, sed et ipsos illos invadit qui, pro munere suo, legum cognitionem habere debent, adeo ut plerique homines, temporibus hodiernis, legum quidem posteriori modo promulgatarum plane ignari, easdem, quando necessitas urget, non nisi ex libris vel ex jurisperitorum responsis cognoscere studeant (1).

Prius promulgandi genus dividi non solet, sed revera in tot species dividi potest quot sunt solemnia diversa quæ, in legibus publice condendis, adhiberi possint.

Alterum genus in tot species distribui valet, quot diversa concipi possunt signa subsequentia, legis notificandæ caussâ certis locis adhibenda. Horum signorum quædam dixisse sufficiet.

1° Verba legis a corporibus quibusdam moralibus publicis, certis locis constitutis, in tabulas publicas referuntur.

2° Certis locis lex publice recitatur.

3° Certis locis ad postes et limina publica affiguntur tabellæ legem referentes.

4° Certis personis sive physicis, sive moralibus, legis tabellæ traduntur.

5° Diariis publicâ auctoritate edendis lex inseritur.

(1) Locré, l. l. Tom. I, pag. 122.

Qualiscumque nunc modus adhibeatur, requiritur ut lex quædam, eaque antiquior, eum ut promulgationis modum sanxerit. Alioqui subjecti lege promulgandâ non magis obstringuntur ac si nulla omnino promulgatio adhiberetur.

PARS SECUNDA.

De legum interpretatione, quatenus quæstiones propositæ postulant.

Cum voluntas legem efficiat, consequens est illum tantum cognoscere legem, qui cognoscit voluntatem.

Voluntas autem aliena, et ideo voluntas rectrix non nisi ex signis cognosci potest.

Inter signa voluntatis numerantur verba, et ideo ad verba sane respiciendum est.

Et ante omnia quidem verba inspicienda sunt (1). Reliqua enim signa temporibus hodiernis, in europæis regionibus, non voluntatis manifestandæ caussâ adhibentur, ita ut voluntatis significatio non horum scopus, sed tantum consequentia sit; verba vero voluntatis indicandæ gratiâ proferuntur. Præterea raro desunt verba, alia vero signa sæpe absunt. Denique quando verba omnino clara sunt, reliquorum signorum, ut infra dicetur, nulla ratio habenda est; videndum ergo ante omnia an illâ eximiâ perspicuitate gaudeant nec-ne.

(1) THOMASIUS, Instit. jurisp. divin. Lib. II, cap. 11, § 7.

Immo si linguæ ita forent perfectæ, ut quælibet voluntas, sine ullâ obscuritate, non alio modo ac in animo est, et ita ut nihil aut desit aut redundet, per eas indicari posset; si præterea is cujus est rectricem voluntatem emittere, ita perfectus esset ut et perfectæ linguæ peritus esset, et eâdem, in voluntate manifestandâ, sine ullo lapsu uteretur; si denique verba omnibus suis numeris expleta, nulli subinde corruptioni forent obnoxia; solis profecto legum verbis stare possemus, siquidem signum ipsi signato semper responderet.

Sed tanta perfectio neque linguis neque imperanti inest; præterea verba primo adæquata sæpe corrumpuntur. Idcirco ad alia quoque signa plerumque respiciendum est.

Et indistincte quidem alia signa inspici debent, quando verba sunt obscura; tunc enim vel nusquam nos ducunt, vel in plura loca, cum tamen in uno tantum consistere queamus.

Quando vero verba clara sunt, tunc quidem quopiam, et in unum tantum locum nos ducunt, sed cum voluntas aut omnino alia, aut latior, aut strictior esse possit quam ea quæ verbis claris indicatur, timendum est ne a recto itinere perspicuæ voces nos deducant. Quapropter, et verbis claris, ad alia plerumque respiciendum est (1), ut sciamus nempe

(1) Quando dico: *verbis quidem claris, plerumque ad alia respiciendum esse*, hoc non idem sonat ac si dixerim: *a vocibus perspicuis ob alia signa plerumque recedendum esse.* Alia enim signa, quatenus licet, inspiciuntur ut sciamus an a verborum sensu recedendum sit nec-ne; et ideo fieri potest ut, cum ad alia signa respicitur, a significatione verborum recedatur vel non recedatur, prout ex aliis inspectis signis evincitur vel non evincitur voluntatem aut prorsus aliam, aut laxiorem, aut strictiorem fuisse, quam eam quæ verbis claris indicatur.

an via verbis indicata sit vera, nec plus, nec minus. Et si ex aliis inspectis pateat voluntatem aut prorsus aliam, aut laxiorem aut strictiorem fuisse, prout alia illa postulant voluntas exponenda; verba enim ut signa universe voluntati cedere debent, non autem voluntas verbis (1). Unde dicitur : *Scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem* (2).

Sed sive verba dubia sint, sive perspicua, alia signa ad quæ respicitur debito modo civibus edita fuerint necesse est; lex enim vel non promulgata, vel promulgata quidem, sed alio quam præscripto modo, nihil operatur.

Si quis objiciat inde futurum esse ut nunquam aliorum signorum ratio haberi queat, quandoquidem sola verba debito modo civibus intelligenda edantur; huic respondemus alia signa, non directe quidem, ut verba, subjectis proponi, sed saltem indirecte, quatenus scilicet in ipsis verbis editis eluceant.

Quâ occasione notandum reliquorum signorum alia, propter naturam suam, semper in legis verbis elucere, alia vero non tantum ex verbis quibus imperans usus est, sed et aliunde deduci; quo posteriori casu, in voluntate investigandâ, iisdem uti non possumus.

(1) Thomasius, l. l. Lib. II, cap. 11, § 6, 7, 8, 9, 10 et 87. Grotius, l. l. Lib. II, cap. 16, § 4, n° 2, § 20, n° 4. Puffendorf, l. l. Lib. V, cap. 12, § 1 et 2. L. 53, pr. et. § 1, ff. de V. S. Pothier, Pand. Justin. Lib. I, tit. 3, sect. 1, art. 4, n° 17. Arg. art. 1156. C. C. hod. Art. 47 et 48 adumbrationis C. C. fut. Hertius, nâ 3â, ad Puffendorf, l. l. Lib. V, cap. 12, § 1

(2) L. 17, ff. de legib.

Qui nunc ex aliis signis (1), debito modo civibus editis, voluntatem exponit, *legem interpretari* dicitur (2).

Unde interpretatio legis nihil aliud est nisi *voluntatis* (illius nempe quam supra legem diximus) *ex aliis signis expositio* (3).

Atqui sic definita legis interpretatio ex supra dictis duplex est; etenim aut verbis dubiis, aut etiam, quatenus licet, verbis claris, voluntas ex aliis signis exponitur. Quamobrem sequentia in duo capita dividentur, quorum prius erit de verbis dubiis et de interpretatione eâ de caussâ adhibendâ; posterius de verbis claris, et de aliis signis etiam tunc plerumque inspiciendis, ut sciatur nonne vel alia omnino, vel laxior, vel strictior sit voluntas quam ea quæ verbis indicatur.

(1) Ait Heineccius, de Jure nat. et gent. Lib. I, § 101 et 102. interpretationem etiam fieri ex inspectione ipsorum verborum de quibus agitur. Quod verum non videtur; nam, verbis inspectis, dubium vel remanet vel non remanet; si remaneat, per verba tolli nequit; si non remaneat, voluntas comperta est, et ideo nullâ interpretatione opus. Ex aliis verbis quam de quibus agitur quandoque interpretationem fieri non nego; sed non videtur Heineccius sic rem intellexisse.

(2) Grotius, l. l. Lib. II, cap. 16, § 1, n° 2.

(3) Thomasius, l. l. Lib. II, c. 11, § 3. Toullier, l. l. Liv. I, n° 135 et 136. Wyttenbach, Præcepta phil. log. Part. II, C. 2, § 2. Heineccius, l. l. Lib. I, § 101.

Quamvis interpretatio legum aliquatenus ab interpretatione pactorum differat, siquidem in legibus unus tantum loquatur, in pactis duo vel etiam plures (Hertius, in notâ 2ª, ad Puffendorf, Liv. V, C 12, § 1); nihilominus tamen consulendi sunt auctores qui de interpretatione pactorum tractarunt; nam in multis ea quæ de interpretatione contractuum dicuntur, ad interpretationem legum quoque valent.

CAPUT PRIUS.

De verbis obscuris et de interpretatione eá de de caussá adhibendá.

Caput hoc in duas sectiones abibit; prior inscribetur de verbis obscuris; posterior, de interpretatione, verbis obscuris, adhibendâ.

SECTIO PRIOR.

De verbis obscuris.

Ipsâ rubricâ patet nos sermonem habere de obscuritate quam philosophi vocant *objectivam*, quæque et *absoluta* vocari potest, scilicet quæ est in objectis intelligendis, id est in verbis, quorum sensus et a peritis quidem aut omnino non, aut non nisi difficulter deprehenditur. Non autem versabimur circa obscuritatem quæ a philosophis *subjectiva* vocatur, quæ ex inscitiâ legentis provenit, quamque et *relativam* nuncupare possumus. Scilicet verba, quantumvis perspicua, iis qui linguæ aut artis non sunt gnari, etiam obscura sunt, sed obscuritas facile tolli potest doctrinâ eorum qui linguam

docent, artemve profitentur (1), lexicaque et vocabularia (2) evolvendo (3); et uno verbo per *interpretationem grammaticalem,* quam vocant, quæ non magis quam ipsa obscuritas subjectiva ad nostrum argumentum spectat.

Verborum obscuritas, quæ sic dicitur, objectiva seu absoluta provenit partim ab ipsâ scripturâ, vel iis quæ scriptioni accidunt (4), partim ab interno verborum sensu (5). Non vero obscuritas oriri potest a sonis, quia temporibus hodiernis legis verba non per sonos, sed per scripturam populo traduntur. Prætermittenda igitur ea quæ Thomasius, § 21 et 22 de sonis dubiis dicit.

(1) De obscuritate subjectivâ tollendâ unam regulam tradit Thomasius, § 12 et 13.

(2) In his facile princeps exstat Barnabas Brissonius, de Verb. quæ ad jus civ. pertinent, significatione, (vocabularium juris vulgo dictum), cum notis Heineccii. *Halæ*, 1743.... Quod opus post mortem Heineccii in lucem denuo prodiit cum præfatione Justi Boehmeri, de Interp. gramm. in jure civ. vario usu..... Cf. Joh. Wynderlichius, additament. ad Bar. Brissonium. *Hamburgæ*, 1768.... Phil. Vicat, Vocabul. juris utriusque. *Lausannæ*, 1759, in-fol. Ferrière, Dict. de droit. *Paris*, 1769, 2 vol. in-4.

(3) Thomasius, § 15 et 16. Na 1a ad Puffendorf, Lib. V, C. 12, § 3. De obscuritate objectivâ tantum quæstionem hic movendam esse, non satis animadvertisse videtur Heineccius, Recit. ad instit. § 28, in fine; ubi de interpretatione loquens quam *declarativam* dicunt, exempla refert in quibus obscuritas non nisi subjectiva est.

(4) De caussis hujus obscuritatis Cf. Corn. Van Bynkershoeck, Lib. IV. Observat. juris rom. in præf. Heineccius, in Opusculis minoribus, pag. 27. Th. Bartholinus, de legend. lib. Dissert. 7a, Pag. 189 sqq.

(5) Thomasius, § 20. Idem, in praxi logicâ, C. III, § 36. Clericus, in Arte criticâ, Part. II, sect. 1, C. 12. Eckhardi Hermeneutica juris, Lib. I, C. 1, § 29 et 30.

IV. 4

Prioris obscuritatis generis caussæ præcipuæ sunt sequentes:

I°. Quod obscuris et inartificialibus ductibus litteræ formatæ fuerint (1).

Hæc vero caussa antiquioribus præsertim propria est temporibus, ubi præproperâ festinatione eorum qui legibus describendis operam dabant, larga mendorum seges irrepsit. Sed eadem radicitus sublata videtur in legibus hodiernis, quarum verba non manu scribuntur, sed, subjecto prelo, typis imprimuntur.

II°. Quod scribens adhibuerit abreviaturas sic dictas (2).

Quantam vero obscuritatem legibus romanis abreviaturæ attulerint, dixisse vix operæ prætium est (3). Exemplo sint L. 15, § ult. L. 16 et 17, ff. de usufr. et quemad. quis utat. fruat. quæ hic veniunt explicandæ. Quæstio movetur utrum, consentiente usufructuario, proprietarius servitutem rei suæ imponere valeat; et valere respondendum est : nulli enim tunc fit injuria. Obstare primum videtur L. 15, § ult. ff. de usufr., ubi dicit Ulpianus : *Proprietatis dominus ne quidem consentiente fructuario servitutem imponere potest.* Conveniunt admodum interpretes hæc verba in sensu affirmante esse sumenda, quasi scriptum foret : *non consentiente quidem fructuario* (nimirum cum agitur de servitute quæ ejus juri non nocet). Huic mendo correcto obstare videtur lex immediate sequens 16ª quæ est Pauli, ubi hæc : *Nisi quâ deterior fructua-*

(1) Thomasius, § 24. Cl. Mabillon, de Re diplomaticâ, Lib. II, cap. 10, § 10. Eckhardi Introd. in rem diplomaticam, Sect. II, cap. 2, § 29.

(2) Thomasius, § 25.

(3) Breuckmannus, Hist. pandectarum. Lib. II, cap. 3.

rii conditio non fiat: unde sensus oriretur absurdus, proprietarium scilicet posse imponere servitutem sine consensu fructuarii, excepto casu ubi deterior non fieret fructuarii conditio; verum hæc absurditas oritur ex abreviaturâ; nempe imperitus scriptor posuit *nisi* ubi ponendum erat *nimirum si;* quibus ultimis restitutis verbis, omnia inter se consentiunt: proprietarius nempe potest imponere servitutem sine consensu fructuarii, modo non hujus deterior evadat conditio, ut fit in servitute altius non tollendi. Sequitur tandem lex 17, pr. ubi huic correctioni novum objicitur impedimentum; verum verba : *Et hoc verum est favore religionis* paulo inferius esse ponenda probavit Maurissen (1).

III°. Quod in transcribendis verbis erratum fuerit (2).

Hoc præsertim vitium rursus occurrit in legibus romanis; qui enim libris conscribendis operam conferebant, ii rerum omnium sæpe imperiti erant, et ideo leges quas scribendas excipiebant non magis sæpe intelligebant quam doctæ aviculæ, quod canunt (3). Prætereâ non nisi mercenariâ manu suam elocabant operam, sicque velocissime, ut tanto majus ipsis concederetur pretium, eas exscribebant. Hinc multa perperam scripta libris juris irrepserunt.

> Currant verba licet, manus est velocior illis;
> Nondum lingua, suum dextra peregit opus.
> MARTIAL, Lib. 14, Epig. 202.

(1) Recit. in 50 lib. dig. lib. VII, tit. 1, § 14. Tom. II, pag. 13 et 14. Vid. quoque Roger, ad instit. Lib. II, tit. 3, pag. 131.

(2) THOMASIUS, § 26.

(3) FERRIÈRE, Hist. du droit romain, Chap. 35, pag. 431 et 432.

Sit exemplum L. 4, § 1, ff. finium regund. ait lex in judicio finium regundorum rationem habendam esse illius quod interest : unde hanc quæstionem proponit Paulus : *Quid enim si quis aliquam utilitatem ex eo loco percepit, quem vicini esse appareat?* Respondet : *inique damnatio eo nomine fiet.* Sensus hic permanere non potest, nam sibimetepsi contradiceret JCtus; voluit enim in judicio rationem fieri illius quod interest; ideoque noluit damnationem esse iniquam, sed quam justissimam. Huic vero vitio facile admodum remedium adhiberi potest, mutando *inique* in *utique :* quod eo magis fieri posse videtur quod utrique vocabulo idem sit ductuum (traits) numerus. Sic errori scribentis factum est satis.

Aliud est exemplum in L. 13, § 1, ff. de pignorat. act. ubi Ulpianus ait : *Venit autem in hâc actione et dolus, et culpa, ut in commodato; venit et custodia : vis major non venit.* Hanc autem legem felicissime Gerardus Noodt, Lib. I, Probabil. C. IV, unâ mutatâ litterà, in integrum restituit, immutando syllabam *ut* in *at*, sicque verus germanusque evadit sensus. Commodatarius enim arctius stringitur quam creditor, et merito : nam prior contractus, commodatum nempe, est in favorem solius commodatarii, posterior vero, scilicet pignus, in favorem utriusque. Sicque adhæremus regulis quas ipse Ulpianus tradidit in L. 5, § 2, ff. Commodati, et in L. 23, ff. de Reg. Juris.

Innumera alia : sic *qui* et *quia, sed* et *nec, non* et *mox, aliquis* et *aliquid, certum* et *servum, viduæ* et *ideo, si* et *in, sinon* et *signum, alium* et *album, mille* et *millies, ei* et *ejus, meretur* et *moratur, dicendum* et *videndum,* promiscue quandoque scripta fueruut, uti explanare studuerunt multis circumcincti exemplis, in quibus enucleandis non semper fortuna eos juvit, Johan. Van De Water, Lib. 1, C. 8, passim, et

præsertim Georgius D'Arnau, Conjectur. Lib. I, C. IX, Lib. II, C. 6, 9, 13 et 17 (1).

Immo hic error solâ litterarum permutatione fieri potuit; cujus passim exempla adsunt in Pandectis Florentinis, ut *nobis* pro *novis,* in L. 2, ff. de constit. princ. *biro devitrix* pro *viro debitrix,* in L. 27, ff. ad JCtum Trebell. *conbibio* pro *convivio*, in L. 4, ff. de aleat. *beneno vivit* pro *veneno bibit*, in L. 23, § 1, ff. de ædilitio edicto (2).

Licet vero multum abest quin tali ignorantiâ prosequamur eos qui codicis civilis hodierni verba vel scripserunt vel subjecto prelo typis impresserunt, nihilominus tamen ab ejusmodi mendis non omnino vacuus est. Veluti art. 1524, ad art. 1520 remittens, in manifestum errorem incidit. Quoad unam nempe clausulam ad alium art. remittit, ubi in art. 1520 tres clausulæ referuntur; in art. vero 1522 una tantum, et ea quidem ad quam art. 1524 alludit; hic ergo art. ad 1522 remittere voluit, non autem ad 1520.

Ultimum investigari potest exemplum in codice formularum (code de procédure). Cujus art. 965 ita primitus sonabat : *Seront observées, au surplus, relativement à la réception des enchères, à la forme de l'adjudication et à ses suites, les dispositions contenues dans les art.* 701 *et suiv., du tit. de la saisie immobilière.* Corruptus ergo art. 965 remittit ad art. 701 et sqq.; quod ita minifeste ex errore typographi factum est, sicuti probat ipsum erratum quod exstat pag. 348, tom. 7,

(1) De his conferatur omnino Walch ad Eckhard. L. I, C. 2, § 48, pag. 48, 49 et 50.

(2) De his et similibus conf. omnino Andr. Ducker, de Latinitate JCtorum, pag. 374.... Ant. Augustinus, Lib. I Emendationum, C. 9.

4ᵉ seriei, operis quod inscribitur : *Bulletin des lois,* ubi dicitur legendum esse : *les dispositions contenues dans les art.* 707 *et suiv.* Cæterum conf. Pailliet, Manuel de droit français, ad art. 965, C. form.

IV° Quod scriptura lituris, inductionibus, superinductionibus, vel quolibet alio modo ita cancellata fuerit, ut oculis perspici non bene possit (1).

Simul autem ac quis unam aut alteram litteram deleverit in aliamque immutaverit, lectio aut plane obscura fiet, aut illud certe efficietur ut vera sententia propter confusionem sæpe sit ignota (2). Hujus rei exemplum in pactis vel testamentis propter negligentiam, iniquitatem, avaritiam aliamve caussam (3) facile admodum est inventu, difficile autem in legibus ; sed nec exemplo opus est, siquidem res facillime intelligitur.

V°. Quod scriptura initio incuriâ scribentis, vel postmodum temporis vitio mutilata sit (4).

Prioris casus adfert exemplum codicis Napoleonei art. 1701 ubi : *La disposition portée en l'art.* 1699 *cesse......* 3° *Lorsqu'elle* (la cession) *a été faite au possesseur de l'héritagent de au droit litigieux.* Hoc mendum consignatum fuit in libro qui inscribitur : *Bulletin des lois;* sed vera verba in recentioribus editionibus restituta sunt, ita ut legatur : *Lorsqu'elle a été faite*

(1) Thomasius, § 27.

(2) Johan. Clericus, in Arte criticâ, Part. 3, sect. 2, C. 2.

(3) Conf. Hertius, in notâ 2ª. ad Puffendorf, l. l. Lib. V, C. 12, § 1.

(4) Thomasius, § 28. Nota 1ª. ad Puffendorf, l. l. L. V, C. 12, § 3.

au possesseur de l'héritage sujet au droit litigieux. Posterioris exempla in antiquisimis inveniuntur legibus, quarum fragmenta, tanquam e naufragio tabulæ, ad nostram ætatem delata sunt. Ideoque nisi mera prodigia somniare velimus, nullum exstare potest dubium quin infinita ejusmodi antiquissimarum legum loca, temporis injuriâ fuerint mutilata. Adsunto leges XII Tabb. in quarum loca temporis vitio deformata explicanda ipse Cicero (de legibus), et post eum sexcenti alii, suam contulerunt operam (1).

Hodiernis vero temporibus hujus rei aliquod exemplum vix adferri potest; siquidem, codice quodam mutilato, innumeri alii sunt ejusmodi mendis vacui, qui haud difficulter ejus vices supplere valeant.

VI°. Quod lectio, quantumvis sana et recta, quod ad voces attinet, solâ interpunctione laboret (2).

Sit exemplum L. 2, § 3, ff. de origine juris, quæ ita in antiquis codicibus scripta invenitur : *Exactis deinde regibus, lege Tribunitiâ omnes leges hæ exoleverunt* (3). Ex historiâ vero satis constat lege Tribunitiâ non esse leges regias abrogatas, sed reges exactos (4), quibus exactis, postea leges exoleverunt. Itaque alio modo verba sunt interpungenda, ita ut virgula sit post verba : *lege Tribunitia*, vel nulla omnino exstet.

(1) Cf. Cornelius Rittershusius, Comment. ad leg. XII. Tabb. alii.

(2) Thomasius, § 29.

(3) Cf. Ch. Ad. Rupertus, in Animad. in Enchirid. Pomponii L. I, C. 4. Cornelius Van Bynkershoek, in Prætermiss. ad legem II, § 3, ff. de origine juris.

(4) Livius, L. VI, C. 1. T. I, pag. 401, edit. Clerici.

Aliud consignatur exemplum in L. 13, § 1, ff. de pignoratitiâ actione, ubi Ulpianus dicit venire in actione pignoratitiâ et dolum, et culpam, ut in commodato; venire et custodiam. Noodt optime *ut* mutasse in *ad* jam annotavimus; verum hæc lex etiam pravâ interpunctione laborat, correctaque sic legenda est : *Venit autem in hâc actione et dolus, et culpa; at in commodato venit et custodia* (1).

Etiam exemplum præbet art. 878 codicis formularum. *Le président fera aux deux époux les représentations qu'il croira propres à opérer un rapprochement; s'il ne peut y parvenir..... il les renvoit se pourvoir, sans citation préalable, au bureau de conciliation.* Uti hic se habet interpunctio, vocabula: *sans citation préalable* tantum videntur incidentia, non vero verba: *au bureau de conciliation.* Inde sequeretur judicem, penes quem major est auctoritas, perditâ operâ, tamen ad inferiorem conjuges remittere debere; quæ inconsequentia proveniret ex depravatâ interpunctione. Quapropter ita legenda sunt verba ut inter vocem *préalable* et reliqua vocabula virgula omittatur, tuncque optime omnia inter se cohærent. *Il les renvoit à se pourvoir, sans citation préalable, au bureau de conciliation.* Sicque præses, nullâ præterea conciliatione tentandâ, eos remittit ut experiantur de jure suo coram tribunali competenti (2).

VII°. Quod interpunctio omissa ambiguitatem pariat (3).

Unde illud omnibus notum, ab oraculo Delphico editum:

(1) Plura ejusmodi exempla exstant apud Cujacium, Lib. I, Observ. C. 14, et Corn. Van Bynkershoek, L. IV, Observ. C. 14 et L. VII. C. 2.

(2) Cf. Pailliet, l. l. notâ 2ª, ad art. 878, Cod. form.

(3) Thomasius, § 29.

Ibis redibis non morieris in bello. Omissâ interpunctione, insuperabile adest dubium, diversaque exstat oratio prout virgula ante vel post vocabulum *non* ponitur.

Et hoc vitio Pandectas Florentinas laborasse admodum constat; omnia enim more veteri continuâ serie perscripta erant, ut nullæ fere apparerent verborum distinctiones, nulla vocabulorum intervalla, ita ut perperam multa permiscerentur quæ separanda erant, ut testantur Antonius Augustinus, Lib. I. Emendat. C. IV et IX, et Lælius Taurellius, in Præfat. editionis suæ pandectarum.

Idem etiam fit in legibus quas vocat Bentham (1) : *actes du Parlement Britannique;* de quibus sic ironice loquitur: *Nous avons vécu des siècles sans connaître les points, les virgules et les chiffres : pourquoi les adopter aujourd'hui? Argument au-dessus de toute réplique.*

In his et similibus obscuritatibus, etsi non parum adjuvent regulæ mox tradendæ, tamen non diffitendum est potissimum adjumentum ex naturali prudentiâ et singulari dijudicandi facultate, quâ unus præ altero excellit, petendum esse; unde et qui in ejusmodi interpretationibus felices sunt *Criticorum* titulo, ab eruditis insigniri solent. Sunt verba Thomasii, § 30.

Posterioris obscuritatis genus provenit

I°. Ex vocabulis obsoletis, sive ea adhibita fuerint eo tempore quo clara et usitata essent, sive eo quo usurpata sunt jam essent antiquata (2).

(1) Traités de législ. civ. et crim., Tom. I, pag. 365 et suiv.
(2) THOMASIUS, § 31. Nota 1ª ad PUFFENDORF, Lib. V, C. 12, § 3.

Prioris casus innumera exempla occurrunt in Leg. XII Tabb., item in plerisque antiquis consuetudinibus typis impressis.

Posterioris casus exempla inveniuntur multa in jure romano. Sic Papinianum præ cæteris archaismos, id est obsoletas expressiones in delicias habuisse observat Cujacius, Lib. 24, Observ. C. 23. V. G. L. 19, ff. de compens. dixit *fini peculii,* pro *ad modum peculii;* in L. 1, § 3, ff. de pignor. *fini legitimæ usuræ,* id est *ad modum usuræ legibus præscriptum.*

IIº. Ex vocabulis recens inventis (1).

Veluti verba : *ordre du jour, question préalable,* quæ in concilio legatorum populi gallici frequenter adhibentur, singulâque fere die ephemeridibus publicis mandantur. Hæc enim ante regimen quod *repræsentivum* dicitur ignota erant, ita ut multi adhucdum eruditi eorum germanum sensum ignorent. Quid ergo : *ordre du jour?* Quod præses concilii vel solus, vel consentiente majori concilii parte, de negotiis certâ die ex ordine tractandis decernit, hoc est : *ordre du jour.* Si die statutâ quis petit ut, nullâ habitâ ratione cujusdam negotii, ad subsequens negotium transitus fiat, hoc vocatur : *demander l'ordre du jour.* Et si concilium ejusmodi petitioni annuit, hoc appellatur : *passer à l'ordre du jour.*

Quid vero : *question préalable?* Quærere utrum de re aliquâ deliberare congruum sit nec-ne, hoc vocatur : *question préalable.* Quando præses, vel proprio motu, vel rogantibus aliis, hanc quæstionem movet, hoc appellatur : *proposer la ques-*

(1) Thomasius, § 32. Eckhardi Hermeneut juris, Lib. I, C. 3, § 108, ibique prœcipue Walch. Nota 1ª ad Puffendorf, l. l. L. V, C. 12, § 3.

tion préalable. Si majori parti placuerit deliberationem denegari, hoc dicitur : *écarter la proposition par la question préalable.*

III°. Ex sensu novo, qui verbis jam cognitis quandoque imponitur (1).

Exemplo sint art. 570 et 571, C. C. hod., qui significationem multo latiorem verbo *accessionis* tribuunt : agitur ibi de eo quod apud Romanos *specificationis* nomine veniebat; statutumque est a legislatore gallico, illum qui ex alienâ materià novam speciem conficit, non sibi hujus acquirere dominium (art. 570), nisi uno casu (art. 571), quo hæc acquisitio accessionis modo fieri dicitur, cum tamen revera specificatio sit.

E contrario in adumbratione C. C. fut. strictior sensus obligationi dandi tribuitur : sic enim sonat art. 2156 : *Door verpligtingen om te geven, worden in dit wetboek alleen verstaan de zoodanige, welke tot betaling eener bepaalde geldsom strekken, het zij dat deze som reeds dadelyk van het begin der handeling af bepaald is, of bij eindelyke rechterlijke uitspraak bepaald word.* Nemo non scit, qui principiorum juris non est plane ignarus, omnes obligationes tripartitas esse, scilicet dandi, faciendi, non faciendi; sub nomine vero obligationis dandi venire omnes quascumque obligationes dationem involventes. Codex e contra futurus sub hoc genere obligationis non intelligit nisi eam quæ ad quamdam determinatam summam pecuniæ tendit. Atque deinde, in art. 2158, sub obligatione faciendi legislator complectitur quascumque

(1) Thomasius, ibid. Cf. Burlamaqui, Elém. de Dr. nat., 3e Partie, p. 148 et 149, éd. de 1821.

obligationes tendentes ad aliquam præstationem, exceptâ obligatione solvendæ determinatæ summæ pecuniæ. *Door verpligtingen om te doen, worden in dit wetboek verstaan alle verpligtingen tot zoodanige prestatiën, welke iets anders ten doel hebben, dan de betaling van eene bepaalde somme gelds.* Verum, etsi hæc distributio sit arbitraria mereque positiva, minime nos in errorem ducere potest, siquidem obscuritatem inde forte orituram præverterit legislator, definiendo scilicet art. 2156, quo in sensu vocabulis *obligationis dandi* sit usurus.

IV°. Ex vocabulis peregrinis (1).

Veluti cum primum Galli vocem anglicam *bubjet* in legibus suis usurparunt. Sed hodiernis temporibus hæc vox jam admodum est vulgaris, consignaturque in nostrâ positivâ legislatione; lex V. G. fundamentalis sectionem præbet quæ inscribitur: *Du Budjet de l'État* (belgice *Van de begrooting der uitgaven van het Rijk*). Ejusmodi vero verbis peregrinis contaminatur nostra lingua vernacula; E. G. caput V legis nostræ fund. inscribitur: *Van de Justitie (De la Justice);* caput VII, *Van de Financien (Des Finances);* cap. VIII, *Van de Defensie (De la Défense de l'État).*

V°. Ex verbis vagis, id est quorum limites seu fines aut omnino non aut non nisi difficulter inveniri possunt.

Non inepte exempli gratiâ afferri possunt voces: *caussa perpetua* quibus utitur L. 28, ff. de S. P. U. Vulgo enim fertur ad constituendam servitutem prædialem caussam perpetuam jure romano requiri. Sed perpensis omnibus, minime liquere videtur quid hæc caussa perpetua sit.

(1) Thomasius, § 33.

VI°. Ex vocabulis ambiguis, id est quæ duas vel plures res significant (1). Quæ verba vocantur ὁμώνομα, vel etiam æquivoca (2).

Fieri potest non tantum ut plures vocis significationes omnes propriæ, sed et præter proprias impropriæ quoque vel translatæ (figurées) quædam sint (3).

Sumatur exemplum ex art. 766, C. C. hod., ubi voces : *frères légitimes* omnino impropriæ sunt; nam filius naturalis fratres sororesve legitimos habere non potest; non enim inter eos nisi vinculum naturale exstat.

Deinde vox *juge*, in art. 218, C. C. hod. tralatam significationem habet. *Si le mari refuse d'autoriser sa femme à ester en jugement, le juge peut donner l'autorisation.* Quæstio mota est utrum unus judex separatim hoc sibi jus arrogare possit. Et sane respondendum est *judicem* hic sumi pro ipso *tribunali*, ut pars pro toto. Est itaque tropus, qui vocatur *synecdoche.*

Quod si omnes significationes propriæ sint, fieri potest ut una sub alterâ contineatur, ita ut gradu amplitudinis tantum inter se distent (4).

(1) Thomasius, § 34.

(2) Clericus, in Arte criticâ, Part. II, sect. 1, cap. 12. Grotius, Lib. II, cap. 16, § 4, n° 1. Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 5. Hertius, notâ 3ª, ad Puffendorf, Liv. V, cap. 12, § 1.

(3) Thomasius, § 35.

(4) Thomasius, § 36. Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 11. Hertius, in notâ 3ª, ad Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 1. Grotius, Lib. II, cap. 16, § 9. Jnnuit Thomasius, § 86, cum ex duabus significationibus laxior eligitur, tunc interpretationem extensivam adhiberi. Quod verum non videtur; non enim strictior significatio tunc extenditur, sed laxior, prout est, ob aliquam sufficientem caussam præfertur.

Variis ex caussis hoc evenit; V. G.

A). Quia specierum uni nomen generis adhæret (1); ut in vocabulis *cognationis* et *adoptionis* apud Romanos obtinebat. Generali enim nomine cognationis omnes propinqui veniebant: in specie vero cognati dicebantur qui per fœminas conjungebantur, L. ult. § 1, ff. de gradib. vel per masculos capite minutos (2). Agnotorum nomine veniebant qui conjungebantur per masculos capite non minutos.

Etiam generali nomine *adoptionis*, et adoptio in specie sic dicta et arrogatio continentur. Illâ filiusfamilias coram magistratu adoptatur; hâc antiquitus coram populo, postea rescripto principis, homo sui juris (3).

B). Quia individuorum uni nomen speciei convenit. Sic Thomasius, ibid., ubi exempli caussâ refert vocabula *homo*, *equus*. Sed hæc verba sunt nomina speciei, non autem individui. Fatemur ultro nos in exemplis inveniendis frustrâ operam impendisse. Dubitamus quidem an fieri possit ut individuorom uni nomen speciei conveniat.

C). Quia nomen masculinum pro communi quoque sumi

(1) Thomasius, § 37. Grotius, Lib. II, cap. 16, § 9. Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 11.

(2) Heinecc. Antiq. Lib. III, cap. 5, § 3. Noodt, Probab. Liv. III, cap. 12. Cf. § 1. Instit. de legitimâ agnatorum tutelâ.

(3) Cf. Antiquit. Heineccii, Lib. I, tit. 11. Roger, ad instit. Lib. I, tit. 11, pag. 34 et sqq.

potest (1). Exemplum petatur ex L. 16, pr. ff. de testam. tut. ubi sub nomine *filiorum* etiam *filias* venire Ulpianus dicit.

D). Vel quia usus artis latius patet quam usus populi, vel vice versâ (2). Sic vocabulum *mors* jure civili latiorem habet significationem quam apud populum; complectitur enim tam mortem civilem quam mortem naturalem, cum apud plebem tantum posteriori sensu veniat. Sic etiam in jure vocabuli *alimentorum* laxior est significatio quam in triviis; in jure enim vestis quidem et ipsa habitatio eo nomine veniunt.

E contrario verbo *absence* in Tit. 4, Lib. 1, C. C. hod. strictior sensus est quam populus vulgo ipsi tribuit; dicto enim titulo absens est tantum ille, cujus vita et mors incerta; eodem vero vocabulo populus indigitat omnes illos qui non sunt vel in domicilio suo, vel in eo loco ubi desiderantur.

Sic etiam vox *campagnes* strictior est in lege quæ dicitur *ordonnance de* 1731, ubi significat, art. 45, *tout ce qui n'est pas ville ou bourg fermé;* cum apud vulgus sonat *tout ce qui n'est pas ville.* Fortasse prior significatio dicto verbo in art. 974, C. C. hod. impertienda est.

Quod nunc voces attinet varias habentes significationes, quarum una sub alterâ non continetur, quæque græce ἐκ τῶν μεσῶν vocantur; hæ infinitæ sunt (3).

(1) Thomasius, Grotius et Puffendorf, *ibid.*

(2) Thomasius, Grotius et Puffendorf, *ibidem.* Lectu profecto digna sunt quæ de differentiâ inter rationem loquendi privatam et publicam tradidit Hyppol. a Lapide, de rat. stat. in imperio germanico. Conf. Walch, ad Eckhard. Lib. II, cap. 2, § 78.

(3) Thomasius, § 38.

Hujus obscuritatis multa exempla inveniuntur in jure romano. Sic *damnum facere* dicitur et qui infert et qui patitur. Lege enim Aquiliâ teneri dicitur qui damnum fecit. *L.* 27, § 5, *ff. ad Leg. Aquil. L.* 30, § 3, *eod. et L.* 151, *ff. de regulis juris.* E contra ex edictis prætoris cavere solent ne damnum faciat is qui metuit ex vicini facto incommodum. *L.* 26, *ff. de damno infecto.*

Exempla etiam præbent art. 206, 408, § 1, et 843, C. C. hod. qui hic examinandi veniunt.

In art. 206 invenitur vocabulum *belles-filles.* Hæc vox duas habet significationes, quarum una tamen minime sub alterâ continetur; vel alicujus *belle-fille* est filia quam alter conjux procreavit ex prioribus nuptiis, vel est uxor filii alicujus, respectu hujus patris matrisque (la bru); atque hoc posteriori sensu ibi est accipiendum, ut postea probabitur.

In art. 408, § 1, ponuntur vocabula : *veuves d'ascendants;* atqui viduæ ascendentium vel sunt ipsæ ascendentes, vel non.

Verbum quoque *expressément,* quod in art. 843, C. C. hod. est, duas inter se discrepantes significationes habet; modo sificat *évidemment*, modo vocabulo *tacitement* opponitur; et in priori sensu ibi accipiendum est.

VII°. Ex propositione ambiguâ.

Fit nimirum sæpius ut propositio quædam, constans verbis quorum nullum, seorsim si accipiatur, ambiguum est, compositione tamen ambigua fiat, quod ἀμφιβολόγια vocatur (1).

(1) Thomasius, § 39. Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 5. Hertius, in notâ 3ª, ad Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 1. Grotius, Lib. II, cap. 16, § 4. Clericus, in Arte criticâ, Part. II, sect. 1, cap. 13 et 3.

Celebre admodum datur exemplum in L. 13, ff. de rebus dubiis; quærit ibi Julianus quomodo intelligenda sit hæc dispositio : *Sejo cum ducentis, quæ apud eum deposui, trecenta lego.* Addit : *singulæ summæ separatæ quidem certam habent demonstrationem, conjunctione vero tali incidunt in ambiguitatem.* Submittit tamen dein suam sententiam.

Aliud exemplum præbet L. 17, C. de inoff. test. Sic enim rescribunt imperatores Floræ : *Cum filium tuum, te præteritâ, sororem hæredem instituisse proponas : inofficiosi quærelam apud præsidem provinciæ persequi potes.* Inconcinnâ verborum collocatione amphibologia orta est, fuitque in ambiguo relictum utrum Floræ filius sororem suam, an contra soror Floræ filium hæredem instituerit.

VIII°. Ex propositione non cohærenti.

Sit exemplum art. 809, C. C. hod. in cujus § sunt verba : *Dans l'un et l'autre cas,* quasi in dispositione præcedenti duo proponerentur casus, dum tamen valde constat de uno tantum casu ibi sermonem haberi. Quomodo vero hæc propositio incohærens sic evaserit, in posteriori nostræ disputationis parte elucescet.

Alterum est in art. 875 ubi hæc : *sans préjudice néanmoins des droits d'un cohéritier qui etc.;* quæ verba exceptionem significare videntur, cum tamem exceptio non sit. Etenim ut foret exceptio, requireretur ut in dictis verbis quæreretur de hærede, beneficio inventarii gaudenti, qui actione hypothecariâ conventus, totum solvisset. Atqui non agitur de hærede, beneficio inventarii vallato, qui debitum hypothecarium solutum recuperare velit, sed qui petit sibi solvi id quod ipsi a defuncto quâcumque de caussâ debebatur. Quid ergo legislatorem movit ad ejusmodi verba, exceptionis speciem præ se

ferentia adhibenda? Verisimiliter animo vidit hæredem qui hypothecariâ conventus totum solvit, et nunc contra cohæredes singulos pro parte ad restitutionem agit, debitum non nisi deductâ suâ parte consequi; ubi e contrario hæres, beneficio inventarii gaudens, totum debitum consequi potest, nullâ scilicet parte per confusionem extinctâ.

Tertium exemplum est in art. 2131. Regula generalis est neminem posse hypothecæ subjicere bona futura. Art. 2130 bona futura, servatis servandis, hypothecæ dari sinit. Deinde addit art. 2131 : *Pareillement, en cas que l'immeuble ou les immeubles présens, assujettis à l'hypothèque eussent, péri, etc.* An ergo in hoc art. 2131 nova exceptio ponitur? Minime.

IX°. Ex abundantibus et superfluis verbis (1).

V. G. in art 809 verba : *Dans l'un et l'autre cas,* præterea quod gignant obscuritatem propter propositionem non cohærentem, etiam abundant. Huc quoque referri possunt innumeræ repetitiones quæ in C. C. hod. inveniuntur.

X°. Ex sermone perplexo, dum scilicet, utrumcumque ex duobus verum constituimus, ob alterum falsum apparet (2).

Exemplum petatur ex art. 789 C. C. hod. *La faculté d'accepter ou de répudier une succession, se prescrit par le laps de temps requis pour la prescription la plus longue des droits immobiliers.* An ergo post triginta annos is cui hæreditas deferebatur, et hæres erit et non erit? An hæres erit, quippe qui non amplius potest repudiare? An hæres non erit, utpote qui non amplius potest adire.

(1) Thomasius, § 40.
(2) Thomasius, § 41. L. 88. pr. ff. ad Leg. Falcid.

Nos loquimur de perplexitate quæ ex sermone ipso oritur. Est et aliud perplexitatis genus, quod non ex verbis, sed ex supervenientis cujusdam casus circumstantiis fluit. E. G. princeps talem statuit legem : *Virgo rapta raptoris mortem eligat, aut nûptias :* aliquis vero duas rapuit virgines; altera eum morte plecti vult, altera ipsi nubere eligit. Verum hæc perplexitas huc non pertinet (1).

XI°. Ex integrâ propositione ita vagâ ut ejusdem nulla aut vix ulla significatio adferri possit.

Exemplum præbet art. 1086. C. C. hod., ubi de quâdam donatione propter nuptias agitur; qualis vero hæc sit donatio, an bonorum præsentium, an bonorum tempore mortis relinquendorum, an bonorum præsentium et futurorum simul, juncto vel non juncto catalogo debitorum tempore donationis contractorum; hoc ex articuli verbis erui posse non videtur.

Vagæ, uti et ambiguæ, propositiones plerumque evadunt ex nimiâ brevitate, omissis scilicet quæ ad absolvendum sensum omnino pertinebant (2). Quod *ellipsis* vocatur.

Exemplo sit L. 15, § 2, ff. ad Legem Juliam de adulteriis, ubi Ulpianus : *si quis evitandi criminis id egit;* subaudiendum est *caussâ*. Plura exempla suppeditat Ducker, de Latinitate Jctorum veterum, pag. 360, 368 et 399, item E. Otto, in Vitâ Papiniani. Fatemur tamen hujusmodi exempla sæpe quidem non esse ambigua, sed ellipsin elegantiæ caussâ fuisse admissam.

(1) Thomasius, § 44.

(2) *Idem*, § 39.

In legibus tamen nullus eloquentiæ ornatus, nulla artificia oratoria occurrere debent (1).

Hujus rei etiam est exemplum in codicis civilis hodierni art. 587, cujus posterior pars sic se habet : *mais à la charge d'en rendre de pareille quantité, qualité et valeur, ou leur estimation, à la fin de l'usufruit.* Quomodo vero hæc æstimatio est instituenda? an ab eo tempore quo ususfructus fuerit impertitus? an a fine ususfructus? Contendunt nonnulli luce meridianâ clarius esse tempus finis ususfructus esse inspiciendum, cum lex ipsamet sic sanxerit per verba : *à la fin de l'usufruit.* Sed omnino observandum est virgulam poni ante verba : *à la fin de l'usufruit,* ita ut hæc verba non resplendeant in æstimationem, verum in illa : *à la charge d'en rendre, etc.;* et ideo dubium ex ellipsi oriens alio modo tollendum est.

Quam facile ellipses in legibus posterioribus de eâdem materiâ latis subrepant, probatione nullâ indiget. Homines enim quam brevissime ideas exprimere intendunt, operosisque repetitionibus ægre utuntur, ita ut, cum putaverint ex pluribus verbis in primigeniâ lege necessariis, nunc tantum exprimendum esse unum, vel aliquot, ideas aliorum brevi revocatura, non omnia adhibere ipsis valde placeat. Exemplo sit art. 878, C. C. hod. *Ils peuvent demander, dans tous les cas, et contre tout créancier, la séparation du patrimoine du défunt d'avec le patrimoine de l'héritier.* Qui principia juris romani non novit, nequaquam hunc intelligendi articulum capax est; nam 1° contra quos creditores agere debent?

(1) Le style des lois doit être simple; l'expression directe s'entend toujours mieux que l'expression réfléchie. *Montesquieu,* Esprit des Lois, Liv. XXIX, chap. 16, al. 3.

an contra creditores hæredis? an defuncti? Constat quidem actionem intentari debere contra priores, non tamen ex ipso contextu. 2° Quid creditores defuncti ejusmodi separatione lucrabuntur? Licet ex principiis juris romani probetur hoc ita fieri, ut creditores defuncti ex bonis hæreditariis solvantur, exclusis creditoribus hæredis, hoc minime probatur verbis articuli.

Immo et integræ dispositiones prioris legis in posteriori per ellipsin, ut ita dicam, omittuntur; V. G. prætermittitur in codice civili hodierno regula: *Qui in utero est habetur pro jam nato, quotiescumque de ejus commodo agitur.* Istiusmodi omissiones in legislatione ordinariâ parum officiunt, siquidem juri antiquo standum sit, donec reperiatur expresse correctum; multum vero nocent in nostrâ legislatione civili, quæ omnes anteriores abrogat leges, quoad illas materias quas codex civilis tractavit (1).

Quod si ob supra dictam causam ellipsis forte in lege posteriori nulla subrepat, saltem sæpe fit ut minus accurate scribatur, parum curante verba legislatore, quasi ad verba anterioris legis remittente. Sic art. 912 C. C. hod., qui ad legem 3æ Maii pertinet, minus accurate scriptus est quam art. 11 ejusdem codicis, spectans ad legem 8æ Martii 1803, et art. 726, qui ad legem 19æ Aprilis dicti anni.

In eâdem quidem lege dispositiones posteriores ellipsi sunt obnoxiæ, prætermittentes scilicet ea quæ in anterioribus sedulo scripta erant, ut in art. 757, C. C. hod. ubi verbis: *ni frères ni sœurs* non adduntur hæc : *ou descendans d'eux*,

(1) Loi du 21 Mars 1804.

quæ in aliis articulis antecedentibus post vocabula : *frères et sœurs* sedulo scribuntur.

Porro si posteriores dispositiones forte non prætermittant verba, saltem non raro fit ut parum accurate voces repetant; ut art. 749 et 751, qui verbo *représentans* utuntur, loco vocabuli *descendans,* quod adhibent art. 748 et principium ipsius articuli 749.

XIIº. Ex duarum orationum contrarietate et pugnâ, id est dum duarum propositionum una affirmat id quod altera negat.

Hoc tribus diversis modis fieri potest. Etenim

(α) Vel leges diversis temporibus latæ, aliæ aliter statuunt. Hujus rei innumera exempla exstant in legibus romanis.

(β) Vel ejusdem legis propositiones diversis locis collocatæ, aliæ aliter volunt, aut velle videntur. Sic L. 18, ff. de R. C. quæ est Ulpiani, obstat directe L. 36, ff. de acq. rerum domin, quæ est Juliani. Sic, teste Maurissen, in Recitationibus ad digesta, T. I, pag. 368, Lib. VI, tit. 2, invincibiliter sententia Ulpiani, in L. 7, § 2, ff. de publ. act., obstat Paulo, in L. 2, § 16, ff. pro emptore.

Exemplum etiam suppeditant art. 874 et 1020, C. C. hod.

(γ) Vel dispositiones inter se pugnantes in uno contextu occurrunt. Cujus rei exemplum præbet lex quædam romana in quâ Ulpianus dicit patrem debere primum sibi instituere heredem , postea filio substituere ; atque mox subjicit tamen

valere substitutionem, si primum filio substituerit, ac dein sibi instituerit hæredem (1).

Duobus ultimis casibus repugnantia sub nomine *antinomiæ* (ἀντινομίας) venit.

Quæstio tantum movetur hic de repugnantiâ ex ipsis verbis. Quæ vero oritur ex applicatione legum diversarum, verbis non contradicentium, ad casum scilicet talibus circumstantiis præditum, ut utraque lex simul locum invenire nequeat, quamque refert Thomasius, § 43; hæc repugnantia posteriori perplexitatis generi maxime affinis est, neque magis ad nostrum argumentum spectat, ut, § 44 et 45, Thomasius probat.

Facile pugnæ et repugnantiæ irrepere possunt legibus quæ in duabus linguis feruntur, et ita quidem ut neuter contextus alteri cedat. Quod satis probant lex fundamentalis nostra aliæque leges subinde conditæ. Sit art. 4 leg. fund. exemplo, atque conferantur ea quæ, querente extraneo Simon, tradito, querentibus etiam Guyet et Cauchois-Lemaire, expulsis, in concilio legatorum populi belgici habita sunt diebus 14, 16, 20 augusti; 3, 19 septembris 1816; et 22 januarii 1818. Gazette générale, nis 422, 427, 431, 444, 457, 460, 470, 472, 474, 475, 478, 957—964 et 967—975. Faxit ergo Deus ut codicum futurorum belgicorum sermo unus alteri cedere debeat, prout olim circa edictum perpetuum Alberti et Isabellæ constitutum erat.

(1) Quoad ea quæ de contrarietate et pugnâ diximus, conferendi sunt Thomasius, § 46, Grotius, l. l. Lib. II, cap. 16, § 4. Puffendorf, l. l. Lib. V, cap. 12, § 6.

SECTIO POSTERIOR.

De interpretatione, verbis dubiis, adhibendâ.

Ex iis quæ in sectione priori diximus verba dubia ad quatuor species referri possunt. Etenim 1° vel ipsa verba, et ideo voluntas quam per ea indicare intendit legislator, ignota sunt; 2° vel verba cognita nullam voluntatem indigitant; 3° vel plures indicant voluntates (amphibologia, ambiguitas); 4° vel unam tantum, sed verba alio loco posita voluntatem contrariam præ se ferunt (pugna, contrarietas, antinomia).

Harum specierum si aliæ aliam interpretationem omnino postularent, reliqua hujus sectionis jam in quatuor §§ dividenda forent; sed cum illæ dubii caussæ quæ ad primam et secundam speciem referuntur, quoad voluntatem eumdem effectum habeant, nullam scilicet indigitari; cumque præterea interpretatio adhibenda tunc cum verba nullam voluntatem indicant, non multum differat ab eâ quæ locum habere debet cum voces ambiguæ sunt (1); ideo primo § versabi-

(1) Quando verba ambigua sunt, dubitatio oritur inter omnes illas voluntates quibus verba quadrant. Quando vero nullam voluntatem indicant, dubitationi locus est inter omnes voluntates quas legislator per verba manifestare velle potuit. In utroque ergo casu electio instituenda est, sed aliquo cum discrimine. Posteriori nempe casu una ex omnibus quibuscumque voluntatibus quæ legislatori esse potuerint eligi debet. Priori distinguendum : scilicet vel constat legislatori nullam aliam fuisse voluntatem, nisi unam ex iis quæ verbis indicatæ sunt; quo casu inter has electio locum habere debet : vel hoc non patet, et tunc quoad voluntatem verbis non comprehensam eodem modo procedendum est ac cum, verbis claris, de voluntate diversâ, latiori vel strictori quæritur; quod ad caput sequens spectat.

mur circa interpretationem quâ uti debemus quando aut nulla voluntas vel plures verbis significantur, juncto appendice de iis quæ, verbis ambiguis, peculiaria vigent; et secundo tractabimus de interpretatione pugnæ seu contrarietatis caussâ adhibendâ. Accedet § tertius in quo generalia quædam de interpretatione, verbis dubiis, locum habenti trademus.

§ I[us].

De interpretatione quâ uti debemus quando aut nulla voluntas vel plures verbis significantur.

Signa ad quæ hisce casibus confugere licet, saltem præcipua sequentibus regulis continentur.

REGULA PRIMA.

Ad antecedentia et consequentia respiciendum est (1).

Sic Legi 8, ff. si pars hæred. petat. lumen adfert Lex 21, ff. de rebus creditis; sic Lex 60, § 1, ff. de usufr. illustratur per Legem 7, ff. de aq. quotid. et æstiv.

(1) Thomasius, § 61. Grotius, L. 2, C. 16, § 7. Puffendorf, L. 5, C. 12, § 9, cum quatuor primis notis. Heineccius, L. 1, § 202, L. 24 ff. de legib. Art. 1161, C. C. hod. Art. 57, adumbr. C. C. fut. Cor. Van Bynkershoeck, L. 7, Observ. C. 10. Cicero, L. 2, de Inventione, C. 40. Pandectes françaises, Tom. 1, pag. 391. Thibaut, Théorie der logischen Auslegung des Römischen Rechts, zweyte Ausgabe, Altona, 1806, § 13.

Exemplum quoque est in art. 206, C. C. hod. *Les gendres et belles-filles doivent également, et dans les mêmes circonstances, des alimens à leurs beau-père et belle-mère.* Vocabuli *belles-filles* duplex est, ut alibi probatum, significatio; hoc tamen loco, secundum regulam nostram, necessario significat *bru*, id est uxor filii alicujus, illudque ex voce immediate præcedenti *gendre* constat.

Ultimum tandem exemplum sumatur ex art. 858, C. C. hod. cujus verba : *Le rapport se fait en nature ou en moins prenant*, duplicem præbent sensum; significant enim vel hæredem ad libitum alterutro modo conferre posse, vel duplicem esse modum conferendi. Atqui ex art. sequentibus 859 et 860 eruitur dicta verba posteriori sensu accipienda esse.

Quoad nostram regulam notandum est verba sequentia vel antecedentia, si *enunciativa* non autem *dispositiva* sint, non nisi circumspecte admodum in lege interpretandâ adhiberi posse; verba enim enunciativa non ad legislatoris scopum indicandum, sed ut ad verba dispositiva pateat aditus adhibentur. V. G. illis qui putant, vigente C. C. hod., nuptias ab qualemcumque violationem legis nullas esse, verba art. 184: *Tout mariage contracté en contravention aux dispositions contenues aux art.* 144, 147, 161, 162, 163, *peut être attaqué....* non nisi enunciativa sunt, reliquia vero : *soit par les époux eux-mêmes, etc.*, dispositiva.

Cæterum ne dicat quis ad interpretationem, prout eam definivimus, nostram non spectare regulam, utpote quæ docet voluntatem ex verbis in eâdem lege antecedentibus aut consequentibus, non autem ex signis aliis quam verbis eruendam esse. Etenim quando diximus leges ex aliis signis quam ver-

bis explicari, hoc intelleximus leges explanari ex signis aliis quam vocabulis de quibus agitur. Atqui voces alio loco positæ profecto alia signa sunt quam ea de quibus explicandis quæstio movetur.

Quando dicimus ad præcedentia et consequentia respiciendum esse, non intelligimus ad quædam præcedentia vel consequentia respici posse, sed omnia quæ ad casum referri possunt attendenda esse; ea enim quæ sola inspicerentur, reliquis neglectis, veram forte voluntatem non ostenderent, et sic scopus interpretis eluderetur (1).

Quod signum attinet de quo in nostrâ regulâ agitur, hoc, propter naturam suam, non nisi in ipsis verbis inveniri potest.

REGULA SECUNDA.

Confugiendum ad leges posteriores in quibus forte legislator clarius de eâdem re locutus est (2).

Inde vox *absent* quâ utitur art. 222, C. C. hod. ex art. 863 C. formular. interpretationem accipit, atque in sensu legali, non autem vulgari, sumenda est.

Cæterum signum hâc regulâ contentum, ob indolem suam, ex solis verbis deduci potest.

REGULA TERTIA.

Per leges quoque anteriores dubium tollitur (3).

Unde ad supplenda ea quæ in art. 878, C. C. hod. desunt, ad leges romanas confugere licet.

(1) Art 57, adumbr. C. C. fut.
(2) L. 28, ff. de legib. Thibaut, l. l. § 13.
(3) L. L. 26 et 27, ff. de legib.

Animadvertendum est, si plures leges anteriores de eâdem materiâ latæ fuerint, ex eâ interpretationem petendam esse quæ proxime antecedit. Inde, si in art. 384—387, C. C. hod. obscuritas quædam inveniatur, hæc non ex legibus romanis usumfructum patri concedentibus, sed ex iis quæ in Galliâ circa *garde noble et bourgeoise* locum habebant explicanda; eo magis quod dicti articuli ex scriptis illustrissimi Pothier, *de la garde noble et bourgeoise*, excerpti videantur.

Regula nostra sane admittenda est, si legislator ipse ad legem antiquiorem remiserit; item si verisimile sit voluisse imperantem ut lex nova ex lege anteriore intelligatur; V. G. si in novâ constitutione plura omittat ad sensum pertinentia, quæ non nisi ex legibus anterioribus suppleri possunt, ut in exemplo ex art. 878 petito.

Sed et præter hos casus idem dicendum videtur. Neque hoc multum difficultatis involvit, si leges anteriores adhuc vegent, itâ ut civibus cognosci debeant.

Facilius tamen procedit, si leges anteriores adhuc vigentes ab eodem legislatore profectæ sint; quisque enim sibimetipsi magis quam alteri constare solet.

Ast non immerito quæritur an etiam regula nostra applicari possit cum leges anteriores jam antiquatæ sint. Dixerit forte quis tunc cives non teneri ad leges anteriores cognoscendas, nec ideo voluntate ex tali signo deductâ adstringi. Verum, cum lex posterior ferretur, antiquior adhucdum vigebat atque cognosci debebat, ita ut signum quod cives congnoscebant vel saltem cognoscere debebant, in investigandâ novâ voluntate, statim eos ducere posset.

Præterea quamvis lex anterior antiquata sit, non ideo dici potest cives eam prorsus cognoscere non debere, nam, quoad jura antea quæsita, applicandæ sunt leges quæ vigebant tunc cum jura quærerentur (1).

Tandem quæstio movetur an regula nostra et tunc locum habere possit, cum lex nova non ex immediate, sed ex mediate præcedente interpretationem accipere debet. Et tunc quoque locum babere posse videtur, modo per legem intermediam prioris sensus remanserit. Alioqui, veluti si lex intermedia in hoc tantum versata est ut priorem legem abrogaret, majori dubitationi locus est. Sed tamen contendi potest tunc quoque legem posteriorem ex anteriori explicandam esse; cives enim ne in hoc quidem casu legem antiquatam penitus ignorare possunt, cum jura ante abrogationem quæsita hucusque antiquatæ legi subjecta sint.

REGULA QUARTA.

Modus quo legislator in legibus ferendis versari solet dubium tollere potest; verisimile enim est imperantem sibimetipsi constare (2).

Unde si, degestis et institutionibus circa aliquod punctum pugnantibus, quæritur an Justinianus institutionibus jus novum quoddam introducere voluerit, et ideo digestis derogare, lis dirimi potest ex modo quo imperator in jure veteri corrigendo se gerere solebat, adhibitâ scilicet verborum pompâ, propriâque laudatione (3).

(1) L. 7, C. de legib. Constitution française de l'an 3, art. 14. Art. 2, C. C. hod. Art. 5, C. C. fut.

(2) Na 1a ad Puffendorf, L. 5, C. 12, § 3. Thibaut, l. l. § 9.

(3) Thibaut, *ibid.*

Notari quoque potest sæpe sæpius in legibus *futurum* poni pro *præsenti* vel *præterito*, et vice versâ, secuti cl. Kemper in concilio legatorum populi belgici dixit. Exemplum præbet art. 295, C. C. hod. ubi verba: *Les époux qui divorceront*, etiam pro præterito: *Les époux divorcés*, accipi possunt; atque sic feliciter solvi potest quæstio an conjuges ante promulgationem codicis diffarreati, rursus conjungi possint nec-ne.

Regulâ nostrâ frequenter uti debet jurisconsultus in jure romano explicando; multum enim abest quin jurisconsulti imperatoresque uno eodemque styli genere usi sint (1).

Cæterum voluntatis signum quod in nostrâ regulâ deprehenditur, illius indolis est ut non nisi ex ipsis verbis erui queat.

REGULA QUINTA.

Ex sectâ conditoris, si cui addicta fuerit, vel placendi ejus studio, charactere ingenii, modo loquendi obscuritas tolli potest (2).

Hæc regula in jure romano interpretando frequenter adhibetur. Ut de sectis tantum loquar, quemadmodum aliter Epicureus, aliter Platonicus, teste Cicerone (de nat. Deorum),

(1) Jo. Barbeyrac, in oratione *de studio juris recte instituendo*, pag. 8â, quæ oratio exstat in selectis opusculis *de ratione et methodo studiorum juris*, a Budero editis. Cæterum conf. Mercerius, in conciliatore, pag. 85. J. Boehmerus, ex. 3, ad Pandect. § 9, pag. 57.

(2) Na 1a ad Puffendorf, L. 5, C. 12, § 3. Hertius, na 3a ad eumdem, L. 5, C. 12, § 1.

disserit, sic aliud Nerva et Proculus, aliud Cassius et Sabinus de quæstione juris controversâ rogati respondent (1).

Nemo non scit quantum inter se dessentirent Sabiniani et Proculeiani. Quales vero fuerint Erciscundi, sic dicti a Cujacio in notis ad § 25, instit. de rer. divis. sat constat; nimirum mediâ viâ incedentes, Sabinum et Proculum quasi dividere sententiam jubebant, et ex utriusque placitis aliquid retinebant (2).

Exempla sunto L. 14, ff. de cond. et demonst. L. 26, § 2, ff. de legatis 1°, L. 3, § 8, ff. de acquirend. vel amitt. poss. L. 115, § 2, ff. de verb. obligat.

Et quantam curam Justinianus adhibuerit in Sabinianis Proculeianisque conciliandis admodum lucet. Sit exemplo disputatio de specificatione.

Ut ex sectâ conditoris, placendi ejus studio, charactere ingenii interpretatio fieri possit, requiritur, saltem cum de legibus antiquis explicandis agitur, ut dicta signa in ipsis verbis eluceant, adeoque civibus debito modo cognita haberi queant.

Sin vero de legibus recens conditis quæratur, dubium majus oritur. Attamen dici potest memorata signa etiam tunc non nisi ex legis verbis deduci posse, quandoquidem aliunde quæsita cives cognoscere non debeant.

(1) Conf. Gothofredus Mascovius, de sectis Sabinianorum et Proculeianorum. De diversis sectis brevem, claram tamen admodum disputationem subjicit Eckhardus, in Hermeneutica juris, L. 1, C. 4, a § 1â ad finem usque capitis.

(2) Cf. Jo. Solamo Brunnquelle, diss. de Jurisconsultis erciscundis.

REGULA SEXTA.

Ex naturâ negotii eruendum est qualis sit voluntas quam legislator manifestare intendit. Unde dicitur : *Verba sunt intelligenda secundum substratam materiam* (1).

Exemplum præbet art. 222. C. C. hod. *Si le mari est........ absent, le juge pourra etc.* Vox *absent* hic non nisi in sensu legali sumi potest, pro eo nempe cujus vita et mors æque incerta sunt; si enim hæc vox vulgarem hic haberet significationem, sumereturque pro eo, qui non est præsens, ratio legis prorsus evanesceret, nam tunc uxor facile admodum convenire posset maritum, ut sibi ab eo vindicaret potestatem contrahendi.

Aliud exemplum est in art. 854 ejusdem codicis. *Il n'est pas dû de rapport pour les associations faites sans fraude entre le défunt et l'un de ses héritiers*, etc. Quibus vero hæc verba applicanda sunt : *sans fraude?* an ibi agitur de fraude unius sociorum erga alium quocum contraxit? an de fraude sociorum, quæ committeretur in hæredem qui non societatis fuerit particeps? Et in hoc posteriori sensu dicta verba sumenda sunt; agitur enim in dicto art. 854 de præcavendis fraudibus defuncti uniusque hæredis in alios adhibitis.

Supra dictæ regulæ affine est effatum logicorum : *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur a suis subjectis;* aliis verbis : *Prædicata sunt talia qualia permitti possunt ex materiâ sub-*

(1) GROTIUS, l. l. Lib. II, cap. 16, § 5. THOMASIUS, § 48. PUFFENDORF, Lib. V, cap. 12, § 7. HEINECCIUS, de jure nat. et gent. Lib. II, § 102. BURLAMAQUI, Elémens de droit narurel, 3e Part. ch. 15. pag. 309, édit. de 1821. L. 67, ff. de R. J. Art. 1158. C. C. hod. Art. 52, adumbr. C. C. fut. THIBAUT, l. l. § 15.

jectorum. Sed latior est regula supra tradita, ex quâ scilicet non solum prædicatum æstimatur a naturâ subjecti, sed et vice versâ subjectum a prædicato (1).

Regulæ nostræ adscribendum videtur illud quod vulgo separatim traditur, *verba* nempe *sumenda esse in sensu quam maxime naturali et obvio* (2).

Cum secundum materiam substratam interpretari debeamus, sponte fluit ante omnia expeditos nobis esse debere omnes recessus, latebrasque omnes rei de quâ agitur (3).

Ut pro subjectâ materiâ interpretatio fieri possit, requiritur ut materia cognoscatur; quâ in cognitione quærendâ, non semper ad collocationem articulorum respiciendum est, nec præcipue in illis legibus quarum auctor de articulorum accuratâ collocatione parum sollicitus fuit, ut in toto fere cod. civ. hod. V. G. in sect. 1ª. C. 4. Tit. 2. Lib. 3. Sectio hæc inscribitur : *De la Forme des Donations entre vifs;* multa tamen ibi enumerantur, quæ a solemnitatibus prorsus aliena, spectant ad eos qui donandi vel accipiendi capaces sunt vel non, ad ea quæ donationis substantiæ sunt, vel saltem ad donationis effectus.

Haud raro leges romanæ male collocatæ inveniuntur; V. G. L. 26, ff. depositi, quæ non spectat ad depositum, sed potius ad fideicommissa (4).

(1) THOMASIUS, § 48.

(2) Projet de code civil français, Liv. prél; tit. 5, art. 5. TOULLIER, Droit civil français, Liv. I, nº 150.

(3) Nota prima ad PUFFENDORF, Lib. V, cap. 12, § 3.

(4) MAURISSEN, l. l. 45, tit. 1, § 7.

Subjecta materia, quidquid dicant, facile admodum, neglectâ quidem collocatione, invenitur in art. 904, C. C. hod. Quæritur nempe an ibi agatur de eo quod vocant *capacitatem*, an vero de *disponibilitate* quæ dicitur. Et de capacitate quæri manifestum mihi videtur : etenim si minor 16 annis non potest testari nisi de medietate ejus quod majori 21 permittitur, hæc ita non in gratiam propinquorum, sed in proprium favorem, ne scilicet lubrico ætatis decipiatur. Atqui prohibitio in gratiam disponentis introducta, *incapacitatis* est, ea vero quæ propinquorum caussâ fertur, *disponibilitatis*.

Signum quod nostra regula refert ejusmodi est indolis ut in ipsis verbis eluceat, nisi forte verba adeo sint obscura ut ne de materiâ quidem tractatâ constet.

REGULA SEPTIMA.

Cavendum est ne ea adhibeatur interpretatio quâ voluntas nulla aut absurda fiat (1).

Exemplum suppeditant art. junct. 335, 342, 762 et 763, C. C. hod. Quæstio movetur an jus habeant liberi adulterini incestuosique ad alimenta consequenda. Art. 762 et 763 ipsis alimenta concedunt : sed an non per art. 335 et 342 fit ut numquam alimenta concessa ipsis præstanda sint, siquidem art. 335 prohibet vel saltem prohibere videtur ne istiusmodi liberi a parentibus agnoscantur; et art. 342, iisdem liberis parentum investigationem recusat? Sunt quidem pauci casus

(1) Thomasius, § 63 et 64. Cicero, de Inventione, Lib. I, cap. 38 et 47, Grotius, Lib. II, cap. 16, § 6. Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 8. Hertius ad Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 1. Pandectes françaises, Tom. I, pag. 393. L. L. 18 et 19, ff. de legib. Art. 1157. C. C. hod. Thibaut, l. l. § 15.

ubi istiusmodi liberi, vi art. 312 et 313, remotâ agnitione, remotâ inquisitione, quinam sint sui parentes probare possint. Sed ad hos rarissimos casus tantum spectasse non videntur art. 762 et 763. Idcirco dicunt plerique art. 335 agnitionem prohiberi quoad successionem ab intestato, non autem circa alimenta. Hæc interpretatio nititur verbis : *au profit;* aiunt nempe agnitionem quoad successionem revera fieri *au profit*, emolumentum nempe tribuere; agnitionem vero circa alimenta non esse agnitionem *au profit*, alimenta jam antea liberis ipsâ naturâ esse tributa, agnitionem non nisi alimentorum debitorem detegere.

Aliud exemplum est in art. 4, nostræ legis fundamentalis. *Allen die zich op het grondgebied van het Ryk bevinden, het zy ingezetenen of vreemdelingen, hebben gelyke aanspraak op bescherming van persoon en goederen.* Quod sic vertendum : *Tous ceux qui se trouvent sur le territoire du Royaume, soit regnicoles, soit étrangers, ont un droit égal à protection de personne et de biens* (1). Verbum *regnicole* duplici venit sensu, significat enim vel hominem ad civitatem spectantem, vel hominem ad civitatem non pertinentem, sed in territorio civitatis habitantem (Dictionn. de Laveaux, V. *regnicole*). In quali vero sensu sit accipiendum dubitatur. Cl. Kemper (2), oratione habitâ in concilio legatorum populi, 22 Januarii 1818, disputavit verbum *regnicole* in posteriori sensu esse accipiendum : et nostra regula hoc ita postulat; nam si res aliter sese haberet, tunc peregrini, quoad protectionem personæ et bonorum, iisdem fruerentur juribus ac ipsi ad civitatem perti-

(1) Perperam facta est ejusdem art. versio publicâ auctoritate promulgata.

(2) Gazette générale, n° 957—964.

nentes, cum quibus in eâdem ponerentur conditione, ita ut non magis quam subjecti a territorio repelli, vel ex eodem expelli possent; quod minime videtur ferendum. Non tamen id quod diximus ita liquet, ut extra omnem dubitationis aleam nos ponat; nam sic impingimus in secundam interpretationis regulam, quæ vult ut præcedentia et sequentia considerentur; atqui in nostro articulo vox *regnicole* opponitur vocabulo *étranger,* et ideo extraneos indigatare non posse videtur.

Si lex ita condita fuerit ut verba dubia, vel vitium juris vel vitium linguæ referant, imperantem potius in jure errasse dicendum videtur, utpote quod minus absurdum apparet. Exemplum præbet art. 1094. C. C. hod. *Et pour le cas où l'époux donateur laisserait des enfants ou descendants, il pourra donner à l'autre époux, ou un quart en propriété et un autre quart en usufruit, ou la moitié de tous ses biens en usufruit seulement.* Quæritur an in hoc loco verbum *propriété* de plenâ an vero de nudâ proprietate intelligendum sit. Si de plenâ proprietate, vitium oritur legislationis; nam sic permitteret art. donare plenam proprietatem, id est nudam proprietatem et usumfructum quadrantis, et insuper usumfructum alius quadrantis; quæ omnia simul efficiunt usumfructum semissis et nudam proprietatem quadrantis : et deinde diceret donatorem, si mavult, donare posse usumfructum semissis solum. Sic concederetur donatori donare minus, cum jam antea ipsi concessum esset donare plus. Si de nudâ proprietate, vitium linguæ vitari non potest; verba enim : *ou un quart en* (nue) *propriété et un autre quart en usufruit,* contorto modo id significabunt quod tam breviter, tam naturaliter dici potuisset his verbis : *un quart en pleine propriété.* Cum itaque adsit vel vitium legislationis vel vitium sermonis, recte præ-

sumi potest summum imperantem potius linguam novisse quam principia juris; ideoque vocem *propriété* plenam significare proprietatem, utpote minus absurdum, est tenendum (1).

Si quid inepti aut quod ineptum videtur, verbis dubiis involvatur, ad hoc vitandum in majorem ineptiam ne incidamus cavendum est.

Sit exemplo art. 2102. N° 1°, § 1, cujus hæc sunt verba : *Et à défaut de baux authentiques, ou lorsqu'étant sous signature privée, ils n'ont pas une date certaine, pour une année à partir de l'expiration de l'année courante.* Aliqui ægre ferunt privilegium tribui pro anno qui incipiet ab anno currente, cum potius pro ipso currente anno privilegium concedendum ipsis videatur. Quapropter articulum naturali modo intellectum, ineptum dicunt, et ad hanc ineptiam vitandam, contendunt annum qui incipiet ab anno currente retro computandum esse, ita ut annus de quo art. loquitur revera annus currens sit. Sed sic, ad significandum annum currentem, legislator uteretur hisce verbis : *une année à partir* (rétroactivement) *de l'expiration de l'année courante;* adeo ut, si ex art. verbis naturali modo intellectis revera ineptia oriretur, quod nos negamus, ad hanc ineptiam arcendam in majorem ineptiam profecto incidunt.

Ex hâc tertiâ regulâ decidenda venit quæstio an ea quæ, lege non servatâ, fiunt nulla sint nec-ne. Atqui ex dictis nulla sint necesse est, siquidem alias nullum lex produceret effectum, nisi forte aliam pænam statuerit legislator, vel actionem quamdam seu privatis, aliisve corporibus politicis contra in-

(1) Denevers, An 1811, pag. 12, supplément. Pailliet, l. l. ad art. 1094 C. C. hod.

fractorem dederit, vel existimari possit voluisse tantum ut magistratus quidam invigilet ne contra legem fiat (1).

Doctrina hæc de nullitate placuit nec Grotio (2), nec Toullier (3). Sed ex eorum opinione lex non amplius est voluntas rectrix, non amplius dici potest singulos propriam voluntatem quoad vires impendendas amisisse.

Cæterum voluntatis signa nostrâ regulâ contenta talia sunt ut non nisi ex ipsis verbis deduci queant.

REGULA OCTAVA.

Affectionis vel odii legislatoris ratio habenda est (4).

Unde, nisi ex conjunctis vox *belle-fille* in art. 206, C. C. hod. intelligeretur, ex nostrâ regulâ eadem significatio ipsi foret tribuenda, cum ex variis art. ejusdem codicis, V. G. ex art. 1098, 1496, 1527, constet imperantem odio vel saltem minori amore novercas prosecutum esse.

Animadvertendum est affectionem vel odium imperantis regulas generales præscribentis, in classem quidem personarum vel rerum, non in singulos homines vel res concipi posse.

Voluntatis signum quod regula octava refert inter ea est quæ et ex ipsis verbis et aliunde deduci valent. Idcirco voluntatis investigandæ caussâ non promiscue usupari potest.

(1) L. L. 18 et 19, ff. L. 5, C. de legib. Art. 15, 53, 54, 55, 56, adumbr. C. C. fut.

(2) L. l. L. 2, C. 5, § 16.

(3) L. l. L. 1. Nis 90, 91, 92, L. 3. Nis 479 et sqq.

(4) Thomasius, § 65.

REGULA NONA.

Qualitatis personarum ratio habenda; id est respici debet ad conditionem aut dignitatem eorum circa quos lex fertur (1).

Fac legis fundamentalis conversionem gallicam tanti quanti patrius sermo valere. Dubium orietur an ex verbis gallicis art. 4, extranei e territorio expelli nequeant, nisi tunc cum ipse Belga ejici potest; vel an ex verbis belgicis ejusdem art. dici possit ordinarios advenas tantum juris habere quantum incolæ perpetui, et ideo expelli posse quotiescumque incolam perpetuum ejicere licet. Qualitas personarum posteriori opinioni favet.

Nemini videatur regula nona eadem ac septima; qualitas enim operari potest, ubi nulla affectio, nullum odium est.

Quod ait Thomasius (2), conditionis quoque aut dignitatis illius qui loquitur rationem habendam esse; hoc in pactis et testamentis, non autem in legibus usum invenire potest; etenim leges non nisi a summo imperante promanare possunt, qui, ut summus, respectu ad subjectos, semper ejusdem est conditionis ac dignitatis.

Signum circa quod versatur regula nostra, naturâ suâ ex verbis semper eruitur.

REGULA DECIMA.

Perspicere nos oportet ritus, consuetudines et receptas opiniones ad quæ legislator allusisse potest (3).

(1) Thomasius, § 66.
(2) *Idem*, eodem.
(3) Nota 1a, ad Puffendorf, Lib. V. Cap. 12, § 3.

Hæc regula itidem in legibus romanis explicandis non raro adhibetur. V. G. receptum erat apud Romanos ut ominosum esset sine hærede scripto mori; ritus in stipulationibus, acceptilationibus etc., requirebantur.

Cum hæc voluntatis signa non tantum ex legis verbis, sed et aliunde deduci valeant; ideo non semper admittenda sunt, sed tunc tantum cum ex verbis resultant; nisi forte talia sint ut subjecti eadem aliâ de caussâ, V. G. ob religionem, cognoscere debeant.

REGULA UNDECIMA.

Si ex quibusdam verbis constet voluisse legislatorem aliquid in favorem alicujus introducere, non est, si quædam alia legis verba dubia sint, ea admittenda sententia quâ potius læderetur (1).

Sit quædam lex sic sonans :

« Cui ascendentes, non autem liberi sunt, is semissem » cuilibet personæ capaci donare potest.

« Qui vero liberos habet, is de triente tantum disponere » potest.

« Attamen ascendentes relinquens, conjugi donare potest » plenam proprietatem unius semissis, nudam proprietatem » alterius.

« Si liberos susceperit, potest conjugem proprietate unius » quadrantis et usufructu alius quadrantis donare. »

Si nunc quærat quis utra proprietas, in ultimo legis articulo, sub verbo *proprietate* intelligenda sit, plena-ne an nuda

(1) L. 25, ff. de legibus. THIBAUT, l. l. § 14.

proprietas; respondendum est hâc voce plenum dominium comprehendi, ne alioquin id quod in favorem conjugis introductum est, in ejus odium retorqueatur.

REGULA DUODECIMA.

Verba dubia de futuris tantum negotiis intelligenda sunt, etiam tunc cum aliæ ejusdem legis voces præterita negotia comprehendunt (1). Quid enim melius quam existimare legislatorem id voluisse quod velle poterat, non autem id quod velle ipsi non licebat (2).

Fac legem ferri de successionibus ab intestato, etiam jam delatis, æqualiter omnino inter liberos dividendis, cum ex lege anteriori inæqualitas vigeret. Fac insuper in eâdem lege quædam esse verba, de hæreditate inter fratres germanos æqualiter dividendâ, cum antea inæqualis partitio instituenda esset. Hæc verba, si dubium relinquant an hæreditates jam antea fratribus delatæ æqualitati obnoxiæ sint nec-ne, ita intelligenda sunt ut dictæ hæreditates secundum antiquiores leges distribuantur.

Signum hoc, pro naturâ suâ, in ipsis verbis semper elucet, vel saltem unicuique cognitum aut est aut esse debet.

REGULA TERTIADECIMA.

In legibus correctoriis, quæ dicuntur, id, verbis dubiis, accipiendum est quod quam minime mutet. Etenim quidquid

(1) Thibaut, l. l. § 14.

(2) L. 7. C. de legibus. Art. 14 de la Constit. française de l'an III. Art. 2, du C. C. actuel. Art. 5, du C. C. futur.

jam existit, pergit, quamdiu non probetur fuisse sublatum; quæ probatio, in casu proposito, quoad sensum strictiorem quidem, non autem ultra fieri potest (1).

Correctoria est lex 1093[a] C. C. hod.; pactum enim successorium quoddam ratum haberi jubet, ubi § art. 1030 talia pacta prohibet, et art. 943 bonorum futurorum donationes nullas pronunciat. Quæritur nunc de intelligendâ ejusdem legis parte finali : *sauf qu'elle ne sera point transmissible aux enfans issus du mariage, en cas de décès de l'époux donataire avant l'époux donateur.* Hoc certum est dicta verba ad jus transmittendi non esse referenda, siquidem successio nondum quæsita profecto transmitti nequit. Sed ex antecedentibus, et præcipue ex art. 1082, constat eamdem articuli partem ad substitutionem vulgarem liberorum alludere. Ast quæri potest utrum verba de substitutione vulgari intellecta ejusmodi substitutionem prohibeant, an vero hoc solummodo indigitare velint substitutionem a donatore prætermissam lege non præsumi. Et substitutionem prohiberi ex nostrâ regulâ dicendum videtur.

Quod jura singularia attinet et privilegia, naturâ suâ semper correctoria, ea singulos tantum tangunt, et ideo actus ea concedens non est lex, nec consequenter ad nostram argumentum pertinet (2).

Cæterum an lex quædam correctoria sit nec-ne, ex ipsis verbis semper erui potest.

(1) THIBAUT, l. l. § 15.

(2) *Idem, ibid.*

REGULA QUARTADECIMA.

Hoc voluisse legislator dicendus est quod rationi legis congruit, et non voluisse quod ab eâ discrepat (1).

Exemplum sumatur ex art. 587, C. C. hod. Dubium nempe oritur utrum hæc verba : *ou leur estimation*, intelligi debeant de valore quem res similes habent eo tempore quo finitur ususfructus; an vero de eo quem habebant res ipsæ initio ususfructus. Quod dubium tollitur investigando rationem legis; etenim æstimationem solvi jussit legislator ut proprietarius, cui res similes non præstantur, eâ de caussâ indemnis præstetur : atqui nullum damnum patitur, si ipsi solvatur valor quem res similes tempore ususfructus finiti habent, cum sic præstetur ipsi valor quem etiam habuisset, si ipsæ res similes præstarentur.

Regulam 14^am Grotius (2) ad primam, scilicet *de præcedentibus et sequentibus* refert. Thibautio (3) vero videtur regula *de ratione inspiciendâ*, esse consequentia axiomatis *de verbis pro subjectâ materiâ intelligendis.* Neutra sententia probanda videtur : non illa, ut palam est; non hæc, siquidem fieri potest, et frequenter fit, ut negotium ipsum quod legislator tractavit non tam late quam ratio legis pateat.

(1) Thomasius, § 68. Puffendorf, l. l. Lib. V, cap. 12, § 10 Heineccius, l. l. Lib. I, § 102. Art. 58, adumb. Cod. civ. futur. Pandectes françaises, Tom. I, pag. 394.

(2) L. l. Lib. II, cap. 16, § 8.

(3) L. l. § 27.

Ait Thomasius (1) rationem legis duplicem potissimum esse, unam quæ legislatorem impulit ad legem condendam, quæque et caussa *impulsiva* vocari possit, alteram quam per legem intendit, cui et nomen caussæ *finalis* tribui queat. Additque (2) in interpretando ad utramque harum rationum respici posse; quia, inquit, legislatoris intentio plerumque, si non semper, occasioni quæ eum ad legem condendam impulit, ex adverso opposita est. Quæ sententia non videtur probanda. Est enim quasi quis dicat: *Voluntas seu intentio incognita et de quâ quæritur, ex eâdem voluntate seu intentione elicienda est.* Idcirco potius cum aliis (3) dicendum videtur ad rationem quæ caussa impulsiva dicitur, tantum respici posse, ut per eam intentionem seu voluntatem venemur.

Ratio quæ dicitur caussa *impulsiva* nihil aliud est nisi aut malum quod, lege nundum conditâ, existere legislator credit, sive revera existit, sive non, quodque ideo eumdem impellit ad condendam legem, per quam malum depellatur; aut bonum quod, lege nondum latâ, abesse legislator credit, sive revera absit, sive non, quæ privatio vera vel imaginaria imperantem incitat ad ferendam legem per quam bonum promoveatur (4).

Caussa impulsiva idem est quod vocat Thibaut *rationem legis*, axiomata vero ex quibus jurisconsulti conclusiones de-

(1) § 69.

(2) § 70, 71 et 72.

(3) Grotius, l. l. Lib. II, cap. 16, § 5. Puffendorf, l. l. Lib. V, cap. 12, § 10. Gronovius, n° 25, ad Lib. II, Grotii. Barbeyrac, 2de note sur Grotius, Lib. II, cap. 16, § 8.

(4) J. Bentham, l. l. 1re édit. Tom. I, pag. 108 et passim.

ducunt, ab eodem vocantur *rationes decidendi*. Inter utramque rationem pulcherrime distinguit, et quanti momenti, in jure romano et canonico interpretando, hæc distinctio sit, accurate ostendit (1). Neque aliud sibi velle videtur Thomasius, § 79 et 80.

Cæterum caussa impulsiva est vel *proxima* vel *remota*; hæc, quæ et *occasio legis* vocatur, est factum quoddam legislatori caussam proximam, id est malum vel boni privationem detegens. Unde multo latior potest esse proxima quam remota (2). Fac, omni lege de revocandis donationibus ob supernascentiam liberorum remotâ, aliquem liberos non habentem inter vivos donasse, ipsique postea liberos fuisse natos; donatione stare debebit donator; quod malum vel est, vel saltem legislatori haberi potest, siquidem donator non poterit bona donata ad liberos transmittere, cum tamen, si prævidisset se bona ad liberos transmittere umquam posse, non donasset. Sed hoc malum latius patet, atque etiam locum habet cum donator jam habet filium quem tempore donationis mortuum putat, siquidem nec hoc casu donasset pater, si credidisset se bona ad filium transmittere posse. Si nunc imperans in lege ferendâ toto hoc malo motus fuerit, caussa proxima latior sane erit quam remota; et si verba legis obscura sint, tota voluntas quam caussa proxima indicat, legislatori tribuenda erit.

An ergo caussa remota, in interpretandis legibus, nullius est momenti? Alicujus sane ponderis est (3), tunc nempe cum non constat legislatorem ultra occasionem fuisse progressum; quo

(1) L. l. § 16.

(2) Thibaut, l. l. § 16, in fine.

(3) *Idem*, l. l. § 16.

casu strictior tantum voluntas, quam caussa remota postulat, imperanti adscribenda.

Regula nostra quasdam limitationes agnoscit.

V. G. voluntas sine ullâ ratione quandoque sese determinat, nec ideo minus efficax haberi debet (1). Vel si aliquâ ratione motus fuerit legislator, fieri potest ut ea inveniri nequeat. Quibus casibus per regulam nostram interpretatio fieri profecto nequit. Exemplum elici potest ex art. 930, C. C. hod., in quo habentur hæc verba : *Cette action devra être exercée suivant l'ordre des dates des aliénations, en commençant par la plus récente.* Quod si plures sint donationes, in iis reducendis, initium fieri debet a novissimâ; qui ordo et contra extraneos servandus est, si singuli donatarii bona donata alienaverint. Hoc omnino liquet. Verum si unus tantum donatarius sit, qui singulas res donatas pluribus alienavit, ordo etiam servandus est contra eos quibus res alienatæ fuerint. Quâ in dispositione sanciendâ vel nullâ ratione motus fuit legislator, vel si quâ fuerit, hæc tamen inveniri posse non videtur; emptores enim ejusdem donatarii omnes eodem loco habendi sunt.

Præterea, nisi legis ratio allata unica sit, requiritur vel ut cæteræ sint accessoriæ, vel, si æquales sint, ut etiam concurrant (2).

Unica est ratio legis in art. 587, C. C. hod. quoad verba: *ou leur estimation*, jam antea examinata. Damnum enim quod pateretur proprietarius cui res similes non restituuntur, legislatorem movit ad jubendum proprietario æstimationem præstari.

(1) Grotius, l. l. Lib. II, cap. 16, § 8. Gronovius, nª 26 ad Lib. II. Grotii. Thomasius, § 151.

(2) Grotius, l. l. Lib. II, cap. 16, § 8.

Ratio inter plures principalis est in art. 913, qui patri, cui nati sunt liberi, non permittit de omnibus suis bonis disponere. Vult tamen articulus ut aliquam partem, determinatam ratione habitâ numeri liberorum, pro libitu donare possit. Ratio principalis permissionis hujus est patrem habere dominium bonorum suorum; altera adest secundaria, nempe ut magis magisque in animo liberorum suggeratur vel augeatur reverentia in parentes, ne hi, cum ipsorum filiorum damno, de reliquis bonis disponant.

Plures sunt rationes æquales dispositioni L. 6, ff. de jure dotium et L. 2, C. de bonis quæ liber.

Denique, sicuti aliquando sine ratione sese determinat voluntas, sic et ultra caussam impulsivam interdum progreditur (1). Hoc locum habet

1°. Ex novâ ratione, V. G. ne operosæ lites oriantur. Hujus rei exemplum est in art. 936, C. C. hod., cujus hæc sunt verba: *S'il* (le sourd-muet) *ne sait pas écrire, l'acceptation doit être faite par un curateur nommé à cet effet.* Hujus dispositionis ratio est surdos mutos artis scribendi non peritos, suam manifestare non posse voluntatem: multi vero sunt surdi muti artis scribendi ignari, qui aliis tamen signis voluntatem revelare possunt, ita ut horum respectu caussa impulsiva cesset. Sed nova ratio adest ne tales surdi muti donationem acceptare valeant, quandoquidem si hoc possent, profecto lis oriretur quotiescumque surdus mutus quidam, artis scribendi non peritus, donationem acceptasset; quâ in lite ageretur quæstio utrum donatarius suam voluntatem sufficienter manifestare potuerit nec-ne.

(1) Conf. Thomasius, § 73—76.

Aliud exemplum est in art. 1071, C. C. hod. *Le défaut de transcription ne pourra être suppléé ni regardé comme couvert par la connaissance que les créanciers ou les tiers acquéreurs pourraient avoir eue de la disposition par d'autres voies que celle de la transcription.* Transcriptio requiritur ut creditores aliique certiores fiant bona fideicommisso esse obnoxia. Atqui casu fit ut alio quodam modo substitutionis fideicommissariæ certiores facti sint. Cur ergo nihilominus transcriptionem non esse factam objicere possunt? Ne operosæ lites oriantur circa quæstionem an revera aliâ quâdam viâ creditores cæterique fideicommissum cognoverint.

Ultra caussam impulsivam progreditur voluntas 2° omni aliâ ratione deficiente, quo casu, si in illis quæ præter caussam impulsivam scripta sunt, obscuritas quædam inveniatur, nostra sane regula adhiberi nequit.

Ut ratio legis ad voluntatem inveniendam adhibeatur, cognita esse debet. Quapropter cognitio hæc ante omnia debito quodam modo acquirenda est.

Atqui dicta ratio inter signa est quæ non tantum in verbis elucent, sed et alibi inveniuntur.

Quod casum attinet ubi in verbis elucet, si dixerit legislator se legem condere *hâc vel illâ ratione motus*, ratio sic allata sane in investigandâ voluntate uti potest interpres, quandoquidem hæc verba, non minus ac reliqua legis vocabula, debito modo promulgata fuerint.

Sed cavendum ne ratio decidendi, quam sæpe sæpius jurisconsulti romani in fragmentis digestorum, et imperatores in rescriptis decretisque codicis expresserunt, cum ratione legis confundatur

Cum de caussâ impulsivâ loquamur quam legislator verbis expressit, hâc occasione notandum, in civitatibus nonnullis, juris vel saltem moris esse, ut in scribendâ lege, a rationibus quæ imperantem moveant exordium fiat. Sic imperatores romani constituere solebant, ut ex multis edictis videre est. Sic etiam legislatores nostrates, ex art. 120 legis fund., procedere debent.

Hoc si ad amussim fiat, quantum levaminis investigandæ rationi suppeditet dixisse vix operæ pretium est (1). Sed generaliores rationes tantum exponi solent, neque omnium et minimarum legis partium caussæ impulsivæ adferri possunt. Præterea, in rationibus exponendis, seu propriâ seu linguæ imperfectione imperans labi potest, ita ut et ipsa rationum expositio interpretatione indigere queat.

Et vix ullam utilitatem rationum expositio adfert, si, ut apud nos invaluit, in eâ sic fere versatur imperans quasi dixerit : *Quia legem eâ de re facere volo vel debeo, eamdem verbis sequentibus pronuncio.* Exemplo sint pleræque leges nostrates recentiores.

Fit ergo tum ut omnino non, tum ut non accurate rationem legis expresserit imperans. Si non accurate ratio exposita fuerit, in eâ inveniendâ eodem modo quo circa ipsam voluntatem detegendam versari potest interpres. Si ratio omnino non expressa fuerit, nihilominus fieri potest ut saltem ex verbis deduci queat; quo casu non minus in voluntate inveniendâ adhiberi potest ac si verbis expressa foret. Scilicet tunc quidem civibus debito modo edita fuit, cum ex verbis

(1) Thomasius, § 8. Bentham, l. l. Tom. III, pag. 284.

promulgatis deducatur. V. G. in codice civili hodierno nullius fere dispositionis ratio exprimitur; an ideo quis contendat, in hoc codice interpretando, numquam ex verbis voluntatis referendæ caussâ adhibitis rationem deduci posse? Nonne ex art. 587 erui potest legislatorem jussisse æstimationem præstari, quoniam alioqui proprietarius, cui tantumdem non restituitur, damno afficeretur.

Quod vero rationem attinet aliunde quærendam, hâc, in investigandâ voluntate, jurisperitus uti non potest, cum vel omnino non, vel non debito modo fuerit divulgata.

Igitur non licet ex historiâ rationem legis deducere, nisi forte ipse legislator hoc permiserit vel quidem jusserit; et multo minus ratione quâdam uti meris conjecturis suffultâ (1). Huc pertinere videntur L. L. 20 et 21, ff. de legib.

REGULA QUINTADECIMA.

Deficientibus regulis hucusque traditis, ad æquitatem confugiendum (2).

Quæritur V. G. quid sibi velit § 3. art. 1409. C. C. hod. per verba : *rentes ou dettes passives qui sont personnelles aux deux époux.* Ambigua sunt hæc verba : significant enim vel reditus et debita quibus singuli conjuges ante matrimonium gravati erant (art. 1485), vel reditus et debita quibus alter-

(1) Thibaut, l. l. § 9. Recedendum itaque ab opinione multorum, et quidem Thomasii, § 81—84, docentium et historiæ et conjecturarum aliorumque, in ratione legis inveniendâ, rationem haberi posse.

(2) Thibaut, l. l. § 15. Art. 59, adumbr. C. C. fut.

uter jam ante nuptias tenebatur ex caussâ acquisitionis rei cujusdam immobilis (art. 1437). In hâc ambiguitate sensum priorem prævalere non patitur æquitas. Sic enim fieret ut societas bonorum, quæ inter conjuges viget, non nisi quoad usuras gravaretur reditibus ordinariisque debitis quibus singuli conjuges erga alios tenebantur; ubi tamen ex adverso lucratur reditus et debita ordinaria quibus alii erga conjuges gravati erant, idque non tantum quoad usuras, sed et quoad ipsam sortem (art. 1401, nº 1 et 2). Sensus vero posterior æquitati valde consentaneus est : res enim immobilis jam ante matrimonium alterutri quæsita ipsa ad societatem non spectat (art. 1401. Nº 3), ergo nec sors debita societatem adstringere debet ; fructus vero ejusdem rei ad societatem pertinent (art. 1401. Nº 2), ergo usuræ eidem oneri esse debent.

Quamvis æquitas non sit signum in ipsis verbis elucens, nihilominus interpretandi caussâ adhiberi potest, cum omnibus cognita esse debeat.

REGULA SEXTADECIMA.

Si nec æquitate res dirimi potest, sententia mitior prævalere debet (1). Exempla præbet Lex 11, § 1 et 2. ff. de duobus reis constit.

Refert Thomasius, § 159, 160 et 167, opinionem eorum qui putant verba dubia in *favorabilibus* latius, in *odiosis* strictius interpretanda, *mixta* vero, pro magnitudine boni, modo favorabilia, modo odiosa censeri, ita tamen ut, cæteris paribus, favor censeatur potior (2). Quæ interpretationis regula reji-

(1) Thibaut, l. l. § 15. Art. 59, adumbr. C. C. fut.
(2) Vid. Grotius, l. l. Lib. II, C. 16, § 10—19. Puffendorf, l. l. Lib. V, C. 12, § 12—15.

citur et ab ipso Thomasio (1), et a multis aliis (2). Variæ afferuntur ab ipsis rationes; paucis vero quæstionem absolvi posse videtur. Scilicet leges a bono proficiscentes legislatore, omnes favorabiles sunt, utpote vel malum avertentes vel bonum promoventes. Sin vero summus imperans aut improbus aut imperitus sit, ita ut forte lege suâ nec bonum quoddam procuret, nec malum depellat, non ideo dici potest eumdem minorem habuisse voluntatem quam si bonus fuisset.

Hoc tamen animadvertendum est dispositione quâdam positivâ certam materiam favorabilem odiosamve haberi posse, vel saltem statui posse certam materiam latæ vel strictæ interpretationis esse (3).

Proponit Thibaut (4) regulam ex quâ hanc deduci posse videtur : *Si verba obscura in aliquo sensu sumpta tertiæ parti nociva forent, in alio potius sensu sumenda sunt quo damnum avertatur.* Sed hæc regula ad legem spectare non videtur; respectu enim ad imperantem circa regulas generales versantem, nullus subjectus tertia pars dicitur. Videtur ergo id quod Thibaut tradit spectare ad privilegia singulis concessa, eo magis quod leges romanæ ab eo citatæ omnes de ejusmodi

(1) § 162—176.

(2) Barbeyrac, litteris J. J. ad Grotium, l. l. Lib. II, C. 16, § 10, item in notâ primâ ad § 10, et in notâ primâ ad § 12, C. 16, Lib. II, ejusdem operis ex latino in gallicum sermonem translati. Auctor notarum fere omnium ad § 12—15, C. 12, Lib. V, Puffendorfii, de Jure nat. et gent. Heineccius in Puffendorf, de Off. hom. et civ. Lib. I, C. 17, § 9. Vid. quoque Projet de code civil français, Liv. prélim. tit. 5, art. 10, et Toullier, l. l. Liv. I, nº 150.

(3) Conf. L. L. 12 et 20, ff. de R. J. Art. 1313, 1350 et 2063. C. C. hod.

(4) L. l. § 14.

privilegiis tractant. Regula tamen utilis esse potest in jure romano explicando, quatenus scilicet hoc jus constitutiones privilegia concedentes complectitur.

APPENDIX

De iis quæ, verbis ambiguis, peculiaria locum habent.

Si legislator dixerit quamnam significationem inter plures adhibitam velit, vel si constanter cuidam voci eamdem significationem tribuerit, nullum de vero sensu dubium superest (1).

Alioqui videndum est an verba sint *vulgaria* seu *popularia*, vel *technica* seu *termini artis*. Prioribus tribuenda est ea sitignificatio, quæ tempore promulgationis apud humaniores usitata est, non quæ apud illitteratos vel ex proprietate grammaticâ, quæ est ex origine.

Sic verbum gallicum *parents* pro omnibus consanguineis accipiendum est, ubi apud illitteratos patrem et matrem (ouders) solos indicat, et ex origine omnes ascendentes, siquidem venit a voce latinâ *parentes*, quæ apud Romanos, et præsertim jurisconsultos, ascendentes indigitabat (2).

Quod vero vocabula technica attinet, ea secundum definitionem prudentum cujusque artis explicanda (3): sic vox *exceptio*, in rubricâ tituli 9, Lib. II, codicis formularum, longe aliter est usurpanda, ac in articulo 1166, C. C. hod. Priori enim loco juridice, posteriori vero logice accipienda est.

(1) Art. 51, adumb. C. C. Fut.

(2) Ferrière, Dictionnaire de droit et de pratique, V. *Parents*.

(3) Art. 51, C. C. fut. Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 3 et 4. Hertius, notâ 2ª ad Puffendorf, Lib. V, cap. 12, § 3. Grotius, Lib. II, cap. 16, § 2 et 3.

Quod si verba vulgaria, apud humaniores, vel technica, apud eruditos, plures significationes habeant, secundum regulas generales supra traditas lis dirimenda est; et si nec per has dubium tolli potest, sensus tralatus, si quis sit, proprio cedere debet (1).

§ 2us.

De interpretatione adhibendâ tunc cum pugna adest seu contrarietas.

Si diversarum legum, diversis temporibus editarum, alia aliter caveat, et tamen aliquatenus simul vim suam exserere possint, prior a posteriori penitus abrogata dicenda non est; etenim quidquid jam existit, existere pergit, nisi probetur ab eo recessum fuisse; quod in casu nostro, quoad totam antiquam legem, probari nequit (2).

Variis autem modis fieri potest ut ejusmodi leges simul vim suam exserant.

1°. Si una per alteram explicari possit. Cujus rei exemplum afferrent art. 657 et 662, C. C. hod., si ad diversas leges pertinerent; art. enim 657, nec consensum vicini nec arbitrium judicis requirens, indulget uni dominorum parietis communis facultatem faciendi aliqua, quæ art. 662 non nisi consentiente vicino, vel arbitrio judicis accedente, permittit. Sed prior per posteriorem explicari potest, quasi conglobati dicerent : *Tout copropriétaire peut faire bâtir contre un mur mitoyen, et y faire placer des poutres ou solives dans toute l'é-*

(1) Art. 52, adumbr. C. C. fut.
(2) Art 66, adumbr. C. C. fut. GRONOVII notâ 4â ad GROTIUM, Lib. II, cap. 16. L. 2, ff. de constit. princ.

paisseur du mur, à cinquante-quatre millimètres près; pourvu que le voisin y consente, ou qu'à son refus, on ait fait régler par experts les moyens nécessaires pour que le nouvel ouvrage ne soit pas nuisible aux droits de l'autre.

2°. Si de rebus diversis intelligi queant (1). Exemplum sumi potest ex art. 866 et 924, C. C. hod., quorum prior ad legem 19ª aprilis, posterior ad legem 3ª maii 1803, pertinent. Art. 924 ipse requirit ut bona non donata ejusdem sint qualitatis ac bona donata. Art. vero 866 optime restringi potest ad casum ubi bona donata et non donata diversæ qualitatis sunt.

3°. Si una lex de multis rebus, altera de unâ tantum aut de aliquibus accipi valeant (2). Exempli caussâ afferri possent art. 733 et 750, C. C. hod., si ad leges diversas pertinerent. Prior fert omnem successionem ascendentibus vel collateralibus delatam, in duas æquales scindi debere partes, quarum una ad lineam paternam, altera pertinere debet ad lineam maternam; nec consanguineos paternos in lineâ maternâ, et vice versâ maternos in paternâ quidquam vindicare posse. Posterior art. oppositam continere sententiam videtur; fert enim, patre matreque mortuis, fratres sororesque defuncti totam sibi arrogaturos esse successionem; nec distinguit inter fratres germanos et unilaterales, ita ut hi ad unam tantum spectantes lineam, totam acquisituri sint hæreditatem, exclusis cæteris ascendentibus collateralibusque. Attamen art. 733 de omnibus ascendentibus collateralibusque intelligendus est, et art. 750 de solis collateralibus qui sint fratres sororesve. Ille ergo regulam, hic exceptionem continet.

(1) Art. 66, adumbr. C. C. fut.

(2) Cicero, de Invent. Lib. II. Art. 66, adumbr. C. C. fut.

Quæri nunc merito potest undenam judicandum sit 1° legem unam per alteram explicari posse; 2° aliam de aliis rebus intellegi valere; 3° unam de multis, alteram de unâ tantum aut de aliquibus. Hoc igitur quæri potest, nam hæc omnia arbitrario modo fieri profecto nequeunt. Et respondendum videtur legem posteriorem prioris explicationem habendam, quatenus per se possibile est ut revera res ita se habeat, et contrarium non probatur. Et hoc idem valet circa legem aliam de aliis rebus intelligendam. Quoad unam de multis, alteram de unâ tantum aut de aliquibus accipiendam, distinguendum est: etenim si posterioris legis verba dubia sint, ita ut vel plures habeant, vel plures habere possint sensus, hæc ipsis tribuenda est significatio quæ quam minime legi antiquiori detrahit. Sin vero clara sint, eatenus restringi debent quatenus clarorum verborum sensus, secundum regulas de interpretatione restrictivâ tradendas, coarctare licet.

Quod si duæ leges nullatenus simul operari queant, sponte fluit utriusque rationem haberi non posse; sic enim neutra operaretur, voluntasque omnino foret inefficax, quod vitandum, quatenus fieri potest. Electio ergo facienda, quæ anceps esse non potest, siquidem voluntas quæ lex dicitur, non aliter ac quælibet alia mutari queat, ita ut ad posteriorem legem respiciendum sit (1). Exemplum præbet lex 23 februarii, anni 1815 (2), quæ conciliari nequit cum articulis 375, 376, 377, 380, 381, 382, C. C. hod., discrimen admittentibus inter patrem matremque, ex unâ parte, et proximos cognatos

(1) Art. 65 et 67, adumbr. C. C. futuri. L. ult. de const. princ. PUFFENDORF, Lib. V, cap. 12, § 6. THOMASIUS, in Dissert. de prioritate ac posteritate temporis dubiâ atque incertâ, cap. 3. PLUTARCHUS in Symposiaco, cap. 9.

(2) Journal officiel, Tom. IV, pag. 154 et suiv.

ex alterâ; patrem inter et matrem; inter filium majorem et minorem; inter minorem emancipatum et non emancipatum; inter minorem 16 annis incæptis et majorem hâc ætate; patrem viduum inter et eum qui convolavit ad secundas nuptias; inter matrem viduam et eam quæ iterum nupsit; inter filios legitimos, naturales, incestuosos et adulterinos.

Quod diximus *ad posteriorem legem respiciendum esse*, locum non habet, nisi ob aliquam caussam dici possit priorem voluntatem potiorem esse; unde patet regulam: *Lex posterior abrogat priorem,* prout fere omnes juris regulæ, nimis generalem esse, assurgendumque ad regulæ rationem, hancque tutius applicari. Fac institutiones post digesta promulgatas esse : non ideo institutiones, in pugnantibus, digestis prævalere debebunt; etenim universe legislator noluit quid novi in institutionibus statuere, sed tantum breviter tradere intendit quod latius digestis continetur, ita ut non pro institutis, sed pro pandectis, militet voluntas imperantis. Aliquando tamen institutiones digestis præstabunt, scilicet tunc cum constiterit imperatorem voluisse in institutionibus jus novum introducere, ita ut pro institutionibus militet legislatoris voluntas. Unde nunc constat in casu proposito ad regulam : *Lex posterior abrogat priorem,* respici non posse; sed potius ad rationem hujus regulæ assurgendum esse, quæ est voluntas legislatoris, universe pro lege posteriori militans, interdum tamen non.

Quando duæ ejusdem legis propositiones, diversis locis collocatæ, inter se pugnant, major urget necessitas ut leges concilientur, siquidem hic non idem patet exitus qui presto est tunc cum lex alia alio tempore lata fuit. Conciliatio ergo multo magis tentanda, id est perpendendum nonne

lex una per alteram explicari possit (ut art. 657, C. C. hod. per art. 662); annon de rebus diversis intelligi queant (cujus rei exemplum afferrent art. 866 et 924, C. C. hod., si ad unam eamdemque legem pertinerent); vel una de multis rebus, altera de unà tantum aut de aliquibus (ut art. 733 et 750, C. C. hod.) (1).

Sed nec in hoc casu arbitrario modo leges conciliari possunt; et ideo ad normam quamdam confugiendum est, ad normam scilicet quam in legibus diverso tempore latis conciliandis adhibendam diximus.

Et si nulla conciliatio possibilis inveniatur, alio quodam modo res expediatur incesse est. Sed qualis via ineunda sit non ita liquet. Nonnulli putant quemadmodum, aliis interpretationis regulis deficientibus, ambiguitas æquitate solvi potest, sic et insuperabilem contradictionem eo quod æquum est dirimi valere. Sed reprehenduntur a Thibautio (2), sic fere ratiocinante : Inter ambiguitatem et contradictionem magni interest : scilicit verbis ambiguis, remoto joco, prolatis non nisi unam eamdemque voluntatem significare intendit legislator, et ideo censeri potest voluisse id quod æquitati congruit quin alia probata voluntas obstet. Sed in casu contradictionis duas voluntates emisit, pugnantes quidem, sed tamen emisit, intenditque utramque efficacem futuram, cum errore ductus putaret utramque simul operari posse, vel saltem non animadverteret easdem simul operari non valere. Idcirco neutra, æquitatis caussâ, eligi potest quin altera probata voluntas obnitatur. Suam opinionem deinde affert Thibaut, atque putat interpretatione authenticâ, seu lege interpretativâ, quæ dicitur, litem dirimendam esse.

(1) Pothier, ad Pandect. Justin. Lib. I, tit. 3, § 25. L. 15, ff. de legibus et Art. 66, adumbr. cod. civ. fut.

(2) L. l. § 15.

Sed videndum nonne ipse Thibaut reprehensione dignus sit. Quænam erunt partes imperantis a quo interpretatio postulatur? An dicere debet se alterutram tantum habuisse voluntatem, cum tamen, ut ipse Thibaut existimat, utramque habuerit? An hoc interpretari? Annon potius unam ex pugnantibus legibus abrogare? Et si putet Thibaut has imperantis partes esse, an sibimetipsi constat?

An forte arbritratur Thibaut legislatori incumbere conciliationem quam frustra jurisconsulti tentârunt, quæque forte magis ipsi quam hominibus privatis possibilis est? Sed sæpe sæpius imperanti non plura, non meliora voluntatis signa sunt quam hominibus privatis. Et si forte in eo statu constitutus est ut potius quam alii veram voluntatem detegere possit, an ideo eamdum revera inveniet, et si forte invenerit, an ea conciliationi non resistet?

Nonne ergo dicendum duas quidem esse voluntates, sed neutram, obstante alterâ, effectum producere posse? Et si ita res se habeat, quid interest inter voluntatem non existentem et eam quæ nullos effectus sortiri possit? Non magis una quam altera obligationem imponere potest, non magis una quam altera leges antiquiores abrogare. Unde leges positivæ anteriores, et hisce deficientibus, jus naturæ servandum videtur.

Dico *jus naturæ*, non autem *æquitatem;* questio enim est de civibus obligandis, atqui principia æquitatis, quatenus ad jus naturæ non pertinent, officium quidem, non autem obligationem imponunt.

Nemo objiciat ad æquitatem nos provocasse quando de inquirendâ voluntate, verbis ambiguis vel nullum sensum præ-

bentibus actum est. Ibi enim est lex quædam positiva quæ per æquitatem determinata, ad eamdum æquitatem subjectos stringit.

Quidquid sit, jus positivum hodiernum non sinit judicem ob insuperabilem contradictionem sententiam recusare (1); et ideo sane ad æquitatem vel benignitatem confugere potest, jure naturæ deficiente (2).

§ 3us.

De quibusdam generalibus ad interpretationem cui, verbis obscuris, locus est, spectantibus.

Quæ hactenus dicta sunt procedunt in obscuritate quæ, adhibitâ rectæ interpretationis arte, aliquo modo vinci possit; illis vero quæ adeo obscura sunt ut humanum superent intellectum, incassum suam curam operamque interpres consumpserit. Puta si id quod scriptum est prorsus legibile non sit, vel intelligi nequeat; si omnis conjectura voluntatis deficicit; si voluntas nullum exitum, ut in vere perplexis, invenire possit; si manifeste sint pugnantia in sermone aliquo, nisi forte, ut jam dictum est, unus sermo alteri sit posterior (3).

Quantacumque sit debita nostra reverentia in leges justinianeas, non tamen iis applaudimus qui pro aris et focis sustinent nullas, in iis plane divinis, deprehendi posse antinomias, legemque in aliâ parte aperte abrogatam cum abrogante, vel leges in unâ eâdemque parte sibi invicem aperte contradicentes, mediis quibuscumque conciliare allaborant; ita ut non suum intellectum ad voluntatem legislatoris, sed

(1) Art. 4, C. C. hod. Art. 14, C. C. fut.

(2) Conf. art. 68, adumbr. C. C. fut.

(3) Thomasius, § 177—186.

ad propriam voluntatem imperantis detorqueant intellectum; quâ viâ impossibile est ut quis jurisconsultus evadat, cum ea ab interpretationis justæ tramite deflectat, sed fieri aliquem sophistam et verborum cavillatorem (1).

Huc pertinent præsumptiones, colores, aliaque diverticula quæ in jure explicando abhiberi solent. Huc pertinent præcipue fictiones quibus juris romani, imo et hodierni interpretes liberalius utuntur; parum memores ex rerum naturâ fictionem nullam esse, fictionemque nullam aliam adhiberi posse quam quæ jure positivo stabilita sit (2). Inde qui putant ex art. 727, C. C. hod. indignos, ipso delatæ hæreditatis momento, ab eâdem vi legis arceri, immerito disputant majorem 21 annis, ob defuncti internecionem non delatam, *cum effectu retroactivo* indignum fieri.

Ideo forte juris romani vel hodierni interpretes tam mirum in modum se gerunt, quod prætores romanos imitari studeant, parum animadvertentes non solere prætorem interpretari, sed legi vim inferre.

Fit etiam ut, quando obscuritas insuperabilis est, ipse summus imperans dicat qualis fuerit voluntas. Quo casu *interpretationem authenticam* adhiberi, *legemque interpretativam* ferri vulgo dicitur. Quod indistincte verum non videtur. Etenim verba obscura et voluntatis expositio, vel ab eâdem vel a diversis personis procedunt. Si a diversis personis, ea quæ voluntatem exponere suscipit, profecto non magis veram voluntatem exponere potest quam ii omnes qui hucusque, in eâ exponendâ, operam frustra consumpserint, ita ut peri-

(1) Thomasius, § 187—191.

(2) Bentham, Traités de législation, Tom. I, pag. 114.

culum sit ne in errorem incidat. Quo casu non prioris legislatoris voluntatem exponit, non antiquiorem legem interpretatur, sed novam omnino fert. Fateor quidem fortuito fieri posse ut explicatio veræ voluntati congruat, ita ut profecto interpretatio sit; sed ipse non magis quam judices, jurisconsulti, doctores, cæterique, se certum dicere potest interpretationem esse, ita ut vera voluntas quasi a tesserarum jactu penderet. Idcirco cur magis ipsi sit facultas interpretandi non video (1). Sin vero obscuritas et explicatio ab eâdem personâ procedunt, hæc sane potius quam alii veram voluntatem cognoscere generatim valet, et ideo caussa quædam est cur ipsi liceat interpretari, cum alii incassum explicationem tentârunt. Verum quidem est fieri posse ut et hoc quidem casu legislator veram voluntatem non detegat; sed fieri etiam potest ut judex interpretationem possibilem reputans veram intentionem non inveniat, et tamen interpretatione ipsi non interdicitur.

(1) Conf. Thomasius, l. l. Lib. I, cap. 3, § 3. Heineccius, l. l. Lib. I, § 104, cum scholio.

CAPUT POSTERIUS.

De verbis claris, et de aliis signis etiam tunc plerumque inspiciendis ut sciatur nonne vel alia omnino, vel laxior, vel strictior sit voluntas quam ea quæ verbis indicatur.

Diximus supra, verbis quidem claris, *plerumque* ad alia signa respiciendum esse; quod satis innuit *non semper*, vocibus perspicuis, ad alia confugiendum. Videbimus igitur, sectione priori, quandonam verbis claris omnino stare debeamus; et, sectione posteriori, quandonam liceat alia signa inspicere, et, quatenus hæc alia signa postulent, a verborum clarorum sensu recedere. Quâ in re limites non faciles sunt positu.

SECTIO PRIOR.

Quandonam verbis claris omnino standum sit.

Si ipse legislator dixerit verbis claris omnino standum esse, profecto neque ab iisdem recedere licet, neque frustra alia

signa inspicienda sunt; est enim quasi imperans dixerit: *Volo hoc, aliud vero, vel plus, vel minus non volo.*

Si quis objiciat ex aliis signis constare imperantem vel aliud, vel plus, vel minus voluisse; huic reponimus id quod alia signa indicant minime fuisse in voluntate imperantis, ut hic ipse verbis declaravit. Unde non immerito quis dixerit alia signa ei imprudenti excidisse : quod non mirum, siquidem non voluntatis manifestandæ caussâ adhibeantur, ita ut intentionis manifestatio eorum consequentia quidem, non autem scopus sit.

Ejusmodi vero declaratio raro admodum cuidam legis particulæ adjicitur, et ideo alia quædam regula, quâ res expediatur, abhibenda est.

Articulus 49 adumbrationis C. C. fut. suppeditat hanc : *Lorsque les expressions d'une loi ont un sens si clair que l'intention supposée ne peut d'aucune manière se concilier avec les expressions, il n'est point loisible au juge de prononcer contre la lettre évidente de la loi, sous prétexte de cette intention* (l'intention du législateur), *et bien moins encore sur le fondement d'une équité idéale* (1).

Sed nova oritur quæstio, quandonam scilicet verba illam quam dicit articulus perspicuitatem præ se latura sint. Et responderi posse videtur verba tunc tantæ perspicuitatis esse, cum ex ipsis constat ea adhibita fuisse ne aliud, vel plus,

(1) Conf. HERTIUS, notâ 6a ad PUFFENDORF, Lib. V, C. 12, § 21. Projet de code civil français. Liv. prélim. tit. 5, art. 5. TOULLIER, l. l. Liv. I, n° 149, § 2 et 3.

vel minus locum habeat (1); V. G. omnia et singula verba art. 566, C. C. hod. perspicua sunt: ob certam tamen caussam legislatori tribui posse videtur voluntas latior eâ quæ verbis indicatur, nimirum rem accessoriam cedere domino rei principalis, non tantum cum separari possint, ita ut seorsim existere queant; sed et tunc cum separari omnino nequeant. Cur ita? Quia ex verbis non sequitur voluisse legislatorem ne idem locum habeat cum separatio possibilis non sit. Sed si sic sonarent art. verba : *Lorsque deux choses appartenant à différens maîtres ont été unies de manière à former un tout, ce tout appartient au maître de la chose qui forme la partie principale, pourvu néanmoins que les deux choses soyent séparables.* Tali casu verbis omnino standum foret, sequidum ex iis ipsis constaret legislatorem eadem adhibuisse ne idem locum habeat tunc cum res separari non possint.

Nonne tamen legislatoris voluntas qualiscumque sequenda est quatenus probari potest? Atqui hic voluntas vel alia, vel laxior, vel strictior, ex aliis nempe signis, probari valet..... Probari non valet; quandoquidem verba voluntatem ita indicent ut nec alii, nec laxiori, nec strictiori locus esse queat (2).

(1) Aliam regulam proponit MONTESQUIEU, Esprit des lois, Liv. VI, ch. 3, al. 2, hanc nempe: *Là où la loi est précise, le juge la suit; là où elle ne l'est pas, il en cherche l'esprit.* Id est verba quæ veram legislatoris voluntatem referant, nihil amplius, nihil minus (hic enim est sensus vocis gallicæ *précis.* Dictionnaire de LAVEAUX), omnino sequenda sunt. Sed utrum verba id quod voluit imperans, nec plus, nec minus referant, hoc scire non possumus quin voluntas aliter quam ex verbis nobis cognita sit. Et ideo per illustrissimi viri regulam necessitas alia signa perpendendi non vitatur.

(2) Huc pertinent trita: *Dum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. Non de legibus, sed juxta leges judicandum.* L.

Quid tamen si alia signa tanti valeant quanti verba de quibus agitur? V. G. si voces alio loco posita, *omnimodâ* perspicuitate prædita, diversam, laxiorem vel strictiorem voluntatem indicent? Res in antinomiam abit; quapropter non secus ac in pugnâ insuperabili procedendum est.

Notandum superest majorem perspicuitatem requiri ut extensio impediatur, quam ut restrictio vel mutatio. Quantulacumque enim perspicuitas diversæ vel strictiori voluntati adversatur, non vero latiori; perspicuæ enim voces generatim, quoad rem tractatam, indigitant voluntatem, circa vero rem non tractatam, intentionem nullam, nec ideo contrariam demonstrant.

SECTIO POSTERIOR.

Quandonam liceat alia signa inspicere et, quatenus hæc alia signa postulant, à verborum clarorum sensu recedere.

Quando verba clara hanc tamen perspicuitatem quam modo dixi non habent, tunc ad alia signa respicere licet.

Si ex aliis inspectis signis non appareat voluntatem aut omnino aliam, aut latiorem, aut strictiorem fuisse, non est cur verbis non stemus.

Sin vero ex aliis signis evincitur voluntatem aut prorsus diversam, aut laxiorem aut strictiorem fuisse, prout alia signa postulant, voluntas exponenda.

12, § 1, ff. qui et a quib. manumissi. Projet de C. C. franç. Liv. prél. tit. 5, art. 7. Conf. THOMASIUS, § 151. PUFFENDORF, Lib. V, cap. 12, § 10 et 21. HERTIUS, notâ 6, ad PUFFENDORF, Lib. V, cap. 12, § 21.

Unde triplex interpretatio, verbis claris, adhibetur. Prima est expositio voluntatis ab eâ quam verba clara indigitant omnino diversæ. Secunda, expositio voluntatis laxioris eâ quam verba clara significant. Tertia, expositio voluntatis strictioris eâ quæ verbis claris indicatur.

Secunda vocari solet *interpretatio extentiva*, quasi quæ verborum cognitum sensum ad totam voluntatem extendit. Tertia vero *restrictiva*, quasi quæ verborum cognitum sensum ad minus latam voluntatem restringit. Quæ nomina, si adæquata sint, non immerito prima *mutativa* appellabitur, quasi quæ sensum cognitum mutat, ut voluntati prorsus diversæ congruat (1).

(1) Ex hucusque dictis nunc patet nostram dividendi et subdividendi rationem esse hanc: Interpretatio aut, verbis obscuris, aut verbis claris, adhibetur; ea vero quæ, verbis claris, locum habet vel mutativa, vel extensiva, vel restrictiva est.

Ab hâc dividendi et subdividendi ratione vulgo longe aberrant. Alii enim interpretationem in duas species distribuunt, scilicet in *authenticam*, quæ a legislatore proficiscitur, quando scilicet lex tam obscura est ut ipse legislator consulendus sit quem sensum legi dari velit; et *doctrinalem*, quæ a doctoribus, jurisconsultis, judicibus aliisve procedit, quando nempe legem secundum regulas rectæ interpretationis explicant. Alii vero hisce speciebus tertiam addunt, quam *usualem* vocant, quamque locum habere dicunt quando judex ex rebus antea judicatis legem interpretatur.

De authenticâ nos non loquimur, quia, si quando vera interpretatio esse possit, ea tamen vel secundum regulas supra traditas et infra tradendas fit, et ideo a doctrinali non secernenda est; vel, regulis rejectis, solâ adjuvante memoriâ, voluntas exponitur, quod in tractatum non cadit.

Quod interpretationem usualem attinet, hæc vera interpretatio non est; etenim vel in jus non scriptum res judicatæ transierunt, quo casu judices legem dubiam ex rebus antea judicatis non interpretantur, sed res judicatas tamquam legem applicant; vel in consuetudinem nondum transierunt, et

De singulis deinde, et primum quidem de extensivâ, tunc de restrictivâ, et tandem de mutativâ sermo erit.

ne tunc quidem legem dubiam judices explicant, sed explicationem sive recte sive perperam ab aliis factam adferunt, quasi dixerint: *Sic intellexerunt alii, ergo sic intelligendum est.* Quod in nostratibus tribunalibus frequenter, invitâ Themide, locum habet. (SERVAN, OEuvres diverses. *Liége*, 1819. Tom. II, pag. 148.) Unde negligendæ leges 37, 38, 23, ff. de legib. item negligendus TOULLIER, l. l. Lib. I, nº 160.

Sola ergo nobis remanet tractanda interpretatio quæ vulgo doctrinalis nuncupatur. Hæc ab omnibus fere auctoribus distrahitur in *declarativam, extensivam* et *restrictivam.* Declarativa plerisque illa est quam nos, verbis obscuris, locum habere diximus, quasi quæ sensum verborum declaret; extensiva vero et restrictiva apud eos idem sonant quod apud nos. HEINECCIUS, de Jure nat. et gent. Lib. I, § 103. THOMASIUS, § 8, 9, 10, 87. GROTIUS, Lib. II, cap. 16, § 20.

Varias ob rationes ab hisce quidem recedendum putamus; scilicet

1º. Non una tantum interpretationis species declarativa dicenda est, siquidem omnes voluntatem rectricem declarant. Ast, inquiunt, illa quæ vulgo declarativa vocatur, declarat, idque *directe*, sensum verborum; voluntatem vero non *directe* sed *indirecte* tantum, id est per verum sensum verborum, declarat: aliæ autem species, si quid declarant, voluntatem eamque directe declarant. Quamvis res ita se haberet, nihilominus omnes species declarativæ forent, una scilicet verum sensum verborum, aliæ voluntatem declarent; quapropter non foret una præ cæteris declarativa dicenda. Sed ne ita quidem res se habet. Quis enim probet interpretatione quæ, verbis obscuris, adhibetur verum verborum sensum declarari? Nonne hic sensus incognitus est, et ideo voluntas aliunde quærenda? Hoc quidem fateor voluntatem declaratam vero sensui forte consentaneam esse, sed etiam fieri potest ut sit prorsus alia, laxior vel strictior. Itaque non tantum omnes interpretationis species declarativæ, sed et declarativæ ejusdem generis sunt.

2º In divisione vulgari interpretatio declarativa, extensiva et restrictiva pari passu ambulant, nec prima ad divisionem, reliquæ ad subdivisionem pertinent. Quod perperam. In primâ scilicet specie aliquid est quod non in

§ 1us.

De interpretatione extensivâ.

Ait Thomasius in interpretatione extensivâ, præter regulam *de ratione legis inspiciendâ*, vix quamdam aliam habere

duabus aliis, et vicissim in hisce quidpiam invenitur quod non in primâ. Hæc itaque non est reliquis singulis, sed reliquis simul opponenda; et vice versâ non reliquæ singulæ, sed reliquæ simul primæ opponi debent. Igitur non dividendum est in tres partes, sed in duas; et deinde altera pars, quatenus necessarium est, subdividenda.

3o. In vulgari dividendi modo interpretationis species quam nos mutativam appellamus, silentio prætermittitur. Attamen si extensivam admittant interpretationem, quia fieri potest ut voluntas sit sensu verborum latior; si restrictivam agnoscant, quoniam fieri potest ut voluntas sit significatione verborum strictior; etiam admittere debent mutativam, nam non minus fieri potest ut voluntas omnino sit alia. Unde si suum dividendi modum retinere velint, in quatuor partes dividere deberent, prout nos in tres partes subdividimus.

Dicit Thibaut, l. l. § 12, neque inter diversas interpretationis species, neque inter diversa legum genera, distinguendum esse, quamdiu in exponendâ voluntate versamur; sed huic solo principio inhærendum : *Ubi de voluntate constiterit, ibi hæc voluntas pro lege servanda, sive verba obscura sint, sive clara, sive voces perspicuæ latiorem, strictiorem vel diversam voluntatem referant.* Fateor ultro rem sic absolvi posse, sed cum in aliis casibus alio aliquatenus modo se gerere debeat interpres, confusionis vitandæ caussâ, quoad interpretationis species, dividere et subdividere malui.

Quod attinet interpretationem *abrogantem* quam dicunt aliqui (Thibaut, l. l. § 7 et 22), hæc interpretatio dici non potest. Quælibet enim interpretatio versatur circâ exponendum id quod tempore legis confectæ legislator volebat, minime sollicita de subsequenti voluntatis cessatione.

Cæterum si quis putet interpretationem quamdam abrogantem admittendam esse, ideo quod ratio legis postea omnino cessare potest; is, si velit

locum (1), ideoque hanc interpretationis speciem fere unice niti canone hoc : *Ubi eadem est ratio, ibi eadem est juris dispositio* (2).

sibi constare, interpretationem quoque *derogantem* admittat necesse est, cum scilicet æque fieri possit ut ratio legis aliquatenus ex post facto cesset. Immo cum ratio legis subinde latior fieri valeat, eâ quoque de caussâ peculiaris interpretatio statuenda foret.

Neque de interpretatione *mixtâ* verba faciemus. Nihil aliud enim est nisi interpretationes extensiva et restrictiva simul operantes. Conf. THIBAUT, l. l. § 7 et 26.

Nec majorem rationem habebimus expositionis voluntatis verbis perspicuis congruentis, utpote quæ, verbis salvis manentibus, nullam utilitatem sibi conjunctam habet. THIBAUT, l. l. § 7 et 27.

Quando civitatis leges fundamentales, quas vocant, mutantur, antiquæ leges non fundamentales, de quibus nihil dictum est, eatenus mutationem subeant necesse est, quatenus requiritur ut legibus fundamentalibus consentiant. Quæ tacita mutatio nova lex, non autem interpretatio veterum legum mihi videtur. Idcirco de interpretatione *politicâ* quæ dicitur verba non faciam (Conf. THIBAUT, l. l. § 8).

Quod interpretationem *grammaticalem* spectat, jam supra monuimus eamdem ad nostrum argumentum non pertinere.

Animadvertendum, in interpretationibus mutativâ, extensivâ et restrictivâ, dubium et sublationem dubii ex eodem fonte profluere; non enim ob verba, sed ob alia signa dubium exoritur, et ob eadem alia signa, si sufficientia sint, dubium tollitur.

Placuit aliquibus, et articulo quidem 63, adumbr. C. C. fut., numquam, verbis dubiis, ab interpretatione extensivâ vel restrictivâ (et ideo nec ab interpretatione mutativâ), exordium fieri posse, sed ante omnia interpretationem declarativam, quam vocant, tentandam esse. Hæc opinio non extra controversiam posita videtur. Etenim si verba nullam voluntatem indigitant,

(1) § 85, pr.

(2) § 88. Conf. HEINECCIUS, l. l. Lib. I, § 103.

Cujus opinionis firmandæ caussâ sequentia afferri possunt, nempe legislatorem, quamvis de casu qui agitur nihil dixerit, nec forte cogitaverit, de ratione saltem, id est de malo vel de privatione boni cogitasse, malumque vitare et bonum promovere voluisse, uti ex verbis quoad certos casus adhibitis patet. Voluntatem ergo in applicatione quidem, non autem in principio applicando deesse, ita ut dicere liceat futurum fuisse ut legislator ad casum parem applicuisset principium, si de hoc casu cogitasset. Legistatorem ex tribus sÿllogismi partibus conclusionem tantum expressisse, et ideo *majorem*, quæ generalis est, etiam voluisse, quandoquidem conclusio eamdem supponat.

E contrario disputat Thibaut (1), ob solam eamdem rationem, legem extendi non posse, et merito, ut videtur; ratio enim cur quis velle debeat, non statim est voluntas.

Neque fundamenta quibus sententia contraria innititur, difficilia sunt eversu. Aiunt nempe legislatorem de ratione, id est de malo vel de privatione boni cogitasse; sed videndum superest an de totâ ratione, de toto malo, de totâ pri-

ex aliis signis directe quæritur voluntas, eaque prout est, ita ut de aliâ, latiori vel strictiori quærendâ quæstio non supersit. Verbis vero ambiguis, si constet legislatorem nihil aliud voluisse nisi unum ex iis quæ sermo indicat, non potest vel alii voluntati vel strictiori vel laxiori detegendæ locus manere. Sin vero hoc non appareat, ante omnia voluntas verbis non indicata perscrutanda est, et si hæc legislatori tribuenda sit, supradicta opinio sane locum non habet; si imperanti adscribenda non sit, tunc ad significationes verborum redeundum, unaque eligenda; nec ab eâ recedendum ob voluntatem aliunde quærendam, siquidem ejusmodi inquisitio jam frustra instituta sit.

(1) § 2, 3, 16 et 17.

vatione boni cogitaverit; videndum superest nonne solum malum, solam privationem boni ad quæ verba quadrant animo agitaverit. Profecto malum vitare, bonum promovere legislator voluit; sed quousque? an eatenus tantum quatenus ferunt verba, an vero totum malum, totam privationem boni? Hoc est quod quæritur. Quod adjiciunt de tribus syllogismi partibus, hoc alicujus sane momenti esset, si constaret legislatorem per modum syllogismi processisse, quandoquidem tunc de voluntate generaliori jam constaret. Sed, nisi verba ipsa syllogismum referant (1), quis dicat legislatorem eumdem adhibuisse, ideoque majorem et omne id quod majori continetur voluisse, et tamen eo ipso momento conclusionem tantum, id est aliquid ex iis quæ majori continentur expressisse, eâ mente ut omnia ad quæ major quadrat, locum habeant?

Ob solam itaque eamdem rationem, interpretatio extentiva admitti non potest (2). Sed leges positivæ judici concedere possunt jus verba legis, ob eamdem rationem, ad alios casus

(1) A quo casu non longe distat art. 60, adumbr. C. C. fut.

(2) Hoc tamen non semper æque planum videtur. Quid V. G. juris erit, vigente codice civili hodierno, circa materias nonnullas titulum specialem condere nolente, atque easdem, occatione datâ, sub aliâ quâdam materiâ tractante, non quasi ad hanc tantum materiam pertinere debeant, sed quia, in hâc materiâ tractandâ, sese dederat occasio easdem definiendi. Exemplo sint art. 720, 721 et 722, C. C. hod.

Quemadmodum legem extendere, ob solam eamdem rationem, non licet, ita ne ob majorem quidem rationem extensio judici permissa haberi potest. Etenim ne fortior quidem ratio cur quis idem velit, jam voluntas dici potest.

Quod si nec ob eamdem, nec ob fortiorem quidem rationem, interpretatio extensiva adhiberi queat, multo minus, ob rationem tantum, similem, ea uti potest interpres.

extendendi (1); quâ licentiâ datâ, profecto, ob eamdem, rationem, legem extendere saltem aliquatenus licet; quousque vero, hoc ad meum argumentum minime spectat, siquidem id quod tunc judex sub legem trahit, tamen imperans legem de quâ agitur condendo, non voluit (2).

Quæ hactenus dicta sunt, ad rationem legis spectantia, cum ratione decidendi non sunt confundenda. Hæc enim, cum sit latior lex, quæ lege strictiori applicatur, ad omnes casus pertinet in quos latior lex quadrat, quamvis lege strictiori non comprehensos; ita quidem ut strictior non tam, ab eamdem rationem, extendatur, quam laxior, prout est, applicetur (3).

Si non eâdem ratione, quo ergo fundamento interpretatio extensiva nitatur perpendendum est.

Ante omnia animadvertendum nullis signis voluntatem prorsus probari. Quod et de verbis quam maxime perspi-

(1) Quo pertinent L. L. 10, 11, 12, 13, 27 et 32, ff. item L. fin. C. de legib.

(2) Quæ cum ita sint, prætermittere licet omnia illa quæ de lege, ob eamdem rationem, aliquatenus extendendâ, aliquatenus non extendendâ, apud varios exstant auctores, tum putantes extensionem ex ipsâ naturâ rei, ob eamdem rationem, fieri posse, tum existimantes extensione tunc tantum uti posse interpretem cum lex quædam positiva hoc ei indulserit.

(3) Thibaut, l. l. § 16. Huc spectare videtur art. 60, adumbr. C. C. fut. Latioris legis per strictiorem applicatio fit, vel sine caussâ, et tunc potius nocet quam prodest; vel legis generalioris dilucidandæ caussâ, quo referri potest art. 1164, C. C. hod. (exemplum præbet art. 524, C. C. hod.); vel dubii circâ aliquem casum tollendi gratiâ, ut in art. 1298, ejusdem codicis.

cuis valet, cum aliter sentire, aliter loqui quis possit. Sed, conventione circa verborum significatione positâ, uti poni debet, præsertim cum de legislatore agitur, verba clara voluntatem probant; et ideo signa, ob quæ extendere interpres velit, si verba sint, sufficere profecto possunt. Unde regularum, verbis ambiguis, vel nullam significationem habentibus, adhibendarum prima et secunda legis extendendæ caussâ adhiberi possunt (1).

Quod alia supra allata signa attinet, ea non magis quam ratio legis voluntatem probant, et ideo extensioni fundamento esse nequeunt. Quod idem de aliquot signis hic, non vero illic facientibus dicendum est, ita ut V. G. ne fraudis quidem vitandæ caussâ extendere liceat.

Hæc ita, nisi lex quædam positiva jusserit ob signa regulis 3a, 4a, 5a, 6a, 7a, 8a, 9a, 10a, 11a, 12a, 13a, 15a et 16a contentata, vel ut frandes evitentur (2), ad alios casus verba extendi. Quod perinde ac extensio, ob eamdem rationem, jubente quâdam lege positivâ, adhibenda, ad meum argumentum non pertinet, cum nec in nostro casu id quod præter verba decernendum esset, legislator ipsâ lege extendendâ voluerit.

Verum quæritur quo pacto fieri possit ut duo tantum signa

(1) Neque ulla præterea distinctio adhibenda utrum lex de quâ extendendâ quæritur, sit favorabilis an odiosa, siquidem, ut supra diximus, omnes leges vel favorabiles sunt, vel perinde operari debent ac si fovorabiles essent. Conf. THOMASIUS, § 161, et supra citata.

(2) Quo pertinent L. L. 29, 30 et 25, ff. de legib. Nec aliter rem intelligit THIBAUT, l. l. § 14.

De fraudibus vide THOMASIUM, § 100 et 102, supponentem, ob solam eamdem rationem, extensionem licere.

hic valeant, tot vero, præter ea, aliis uti possit interpres cum de verbis nullum vel plures sensus præbentibus agitur.

Præmonendum est videri Thibautium (1) ne tunc quidem cum verbis nulla vel plures significationes sunt, ulla alia, præter duo prima, admittere signa, nisi legislator dixerit ea esse admittenda (2).

Nos tamen existimamus omnia supra relata signa ibi admitti et posse et debere, quamvis judex iisdem hic uti nequeat. Scilicet verba quantumvis dubia probant aliquam esse voluntatem, quam ideo judex silentio prætermittere nequit, cujus tamen rationem habere non potest quin aliquo signo determinetur : atqui, duobus primis signis deficientibus, non nisi per reliqua determinari potest. Sed cum de verbis claris ad alium casum extendendis quæritur, tunc, duobus primis signis deficientibus, non probatur legislatori fuisse quamdam voluntatem, reliquis signis determinandam.

Fatcor tunc cum verba nullum vel plures sensus præ se ferunt, fieri posse ut legislator aliud voluerit quam quod ex reliquis signis evincitur, sed multo facilius fieri potest ut id voluerit quod ex signis sequitur; et ideo quod signis indicatur potius sane eligendum.

Quando nunc signa talia sunt ut voluntatem latiorem adfuisse probent, tunc etiam in casu de quo verba strictiora

(1) L. l. § 14 et 15 junctis.

(2) Quo fit ut, cum deinde (l. l. § 27), nullâ lege permittente, rationem in verbis ambiguis explicandis admittit, colore quodam uti debeat, quasi regula *de ratione inspiciendâ*, nihil aliud esset nisi consequentia alius regulæ *de naturâ* nempe *negotii attendendâ*.

non loquuntur, extensio admittenda, qualiscumque sit lex, correctoria, pænalis, etc. (1).

Igitur regulæ: *Exceptiones sunt strictæ interpretationis* nulla, ex rerum naturâ, ratio habenda est. Forte valet quando agitur de extensione, lege quâdam positivâ permittente, adhibendâ ob eamdem rationem, vel ob alia signa voluntatem non necessario probantia (2). Sed eatenus ad quæstionem propositam non spectat.

Ex dictis sequitur jam ex solâ rerum naturâ argumentum *a contrario sensu*, regula: *Inclusio unius est exclusio alterius*, regula: *Qui dicit de uno negat de altero*, non semper admittenda. Et si lege quâdam positivâ extensio, vel ob eamdem rationem, vel ob reliqua signa, fieri debeat, multo minus dictum argumentum, dictæque regulæ applicari possunt.

Ex dictis etiam consequens est non semper, quidquid vulgo diçant, extensionem ex rerum naturâ prohiberi, argumentumque *à contrario* admittendum esse, in explicandis edictis codice justinianeo contentis. Et si respiciamus ad L. L. 10, 11, 12, 13, 27 et 32, ff. item ad L. fin. C. de legib. multo minus in explicandis edictis argumentum laudatum valet. Hoc tamen fatendum est etiam tunc cum lege positivâ permissum est leges, ob rationem vel reliqua signa, extendere, in rescriptis extensioni majorem usum esse quam in edictis; rescripta nempe ob rationem decidendi indefinite, id est quousque ratio hæc militat, extensionem accipiunt.

(1) Non obstat Thibaut, § 19, quippe qui dicto loco de extensione, ob eamdem rationem, lege quâdam positivâ permissâ, loquitur.

(2) Vid. Thibaut, l. l. § 19.

Animadvertendum est, quando interpretatione extensivâ judex utitur, legem tunc in casu quodam operari in quo, verbis de quibus agitur inspectis, non operaretur. Quo præcipue pertinet tritum gallicum : *La lettre tue, l'esprit vivifie.*

§ 2[us].

De interpretatione restrictivâ.

Quod causas attinet sufficientes ut latior admittatur voluntas quam verbis indicatur, eæ, cum voluntatem plene probent, sane sufficientes etiam sunt ut admittatur voluntas significatione verborum strictior. Potest igitur ob antecedentia vel consequentia, item ob legem posteriorem clarius loquentem, coarctatio admitti.

Sed quæritur an, extra illas caussas, etiam voluntas restringi possit; et primo an, ob strictiorem rationem legis, restrictio admittenda sit.

Si ageretur de ratione decidendi, restrictio sane locum habere posset (1); nam nihil aliud est hæc ratio nisi lex jam existens novâ lege deinde applicata : atqui applicatio non latior esse potest quam ipsum principium applicatum (2). Sed a ratione decidendi hic abstrahendum est, deque ratione legis solâ disserendum.

(1) Conf. Thibaut, l. l. § 22.

(2) Huc referri potest art. 62, adumbr. C. C. fut. ponens intentionem exprimi strictiorem applicatione quam inde, per modum dispositionis, legislator deducit (Conf. art. 1163, C. C. hod.). Hoc diversissimum est a strictiori ratione legis de quâ infra : loquitur enim art. 62, adumbr. C. C. fut. de casu ubi strictior intentio jam cognita est; sed cum de ratione legis agitur tunc adhuc quæritur utrum, ob strictiorem rationem, intentio strictior sit nec-ne.

Procul dubio, ob strictiorem legis rationem, coarctatio procedere debet, si lex quædam positiva jusserit ad rationem legis respici. Sed casus hic ad argumentum nostrum non spectat.

Hoc prætermisso casu, negat Thibaut (1), ob rationem aliquatenus cessantem, coarctari verba posse. Sed ea quæ sententiæ probandæ caussâ affert, non ex rerum naturâ petita, potius ad prudentiam politicam spectant. Præterea leges romanæ ad quas provocat, solummodo pertinent ad casum ubi id ad quod ratio non quadrat, raro evenit. Denique (§ 24), quatuor restrictionis exempla affert quorum primum, secundum et tertium cessante ratione innituntur. Quapropter non immerito dubitet quis an hæc sententia vel ipsimet habeatur vera.

Quæritur etiam quid, præter rationem, de aliis signis in extendendâ lege non admittendis, quoad restrictionem dicendum sit : quid de aliquibus signis huc spectantibus, ad extensivam vero non quadrantibus; V. G. de signo quod continetur regulâ : *Quod in favorem alicujus introductum est, in ejus odium retorqueri non debet* (2).

(1) § 22, 23 et 24.

(2) An ex casus emergentis repugnantiâ cum voluntate coarctatio fiat, meum non est investigare, siquidem de voluntate, eâque originariâ, tantum quærere debeam. De quæstione prætermissâ conf. GROTIUS, L. 2, C. 16, § 22, 23, 24, 26, 27, 28 et 29. PUFFENDORF, L. 5, C. 12, § 19, 23, cum not. THOMASIUS, § 103, 104, 105, 117, 43, 44, 45, 118, 120 — 142. BARBEYRAC, notâ 1â ad interpretationem gallicam GROTII, L. 2, C. 16, § 22, notâ 2â ad interpretationem gallicam PUFFENDORFII, L. 5, C. 12, § 19, et notâ 82â ad GROTIUM, L. 2, C. 16. HERTIUS, notâ 2â ad PUFFENDORF, L. 5, C. 12, § 19.

Hâc de re sententia Thibautii (1) videtur esse hanc, nempe talia signa ad restringendum minime valere, nisi forte dispositione quâdam positivâ statutum fuerit restrictionem admittendam esse.

Putat ergo laudatus auctor, ob antecedentia et consequentia, item ob legem posteriorem clarius loquentem, restringi posse; non autem, ob rationem legis vel reliqua quæ diximus, nisi et horum jusserit legislator rationem haberi.

Hujus opinionis forte statui potest fundamentum hoc, nempe ex aliis signis demonstrari quidem legislatorem debuisse non velle, non autem eumdem non voluisse.

Si quis soli contemplationi inhærens, sententiam hanc admittere voluerit, brevi forte ab eâdem abhorruerit, si ad praxin oculos converterit. Tot enim tantique casus sunt ubi legislator plus dixerit quam senserit, inque quibus, si sine distinctione lex applicanda foret, bona, fama, vita civibus, sine ratione sufficienti, adimenda essent! Si forte hoc incommodum aliter quam per interpretationem restrictivam vitari potuerit in casu relato ab Heineccio (2), alii casus excogitari possunt in quibus idem remedium præsto non est, ut ex tribus Thibautii exemplis supra laudatis videre est.

Quid ergo? Videndum an non et ob alia signa restrictio admittenda, idque forte ex eodem fundamento quo nixi supra dixerimus extensionem denegandam. Scilicet ideo in casu de quo lex locuta non est, hæc, ob alia signa, operari nequit,

(1) § 14.

(2) Recitat. in instit. § 28.

quia alia signa non probant voluntatem in casu prætermisso adfuisse. Et itidem, cum alia signa aliquatenus contra verba faciunt, ea quidem eatenus non destruunt, cum voluntatem contrariam non probent; sed tamen debilitant ea, suscitantia nempe dubium an legislator idem in casu de quo agitur voluerit; an non verba, quoad hunc casum, ipsi exciderint : ita ut sermo, in casu de quo agitur, non amplius voluntatis probationem sufficienter secum trahat, nec ideo, quoad hunc casum, operari debeat.

Quæ si forte ita sint, insuper quæri potest an ob qualemcumque cessationem rationis, ab ob qualiacumque alia signa restrictio admittenda sit. Et respondendum est tunc tantum coarctationi locum esse, cum talis est cessatio rationis, cum talia sunt cætera signa, ut sufficientia sint ad probationem ex verbis orientem debilitandam.

Unde quod cessationem rationis attinet (1), videndum an unica fuerit ratio an plures : si unica fuerit, restrictio generatim procedit, siquidem universe rationis unicæ cessatio probationem ex verbis orientem debilitare potest. Verum ubi plures fuerint rationes, distinguendum an omnes sint æquales, an una principalis reliquæ accessoriæ : priori casu, unâ tantum deficiente, non procedit restrictio; nam probatio ex verbis oriens inde non debilitatur, siquidem rationes superstites æque legislatorem movere potuerint (2). Posteriori, coarctatio locum babet, si principalis ratio cesset, non si secundariæ (3).

(1) Ut, ob cessationem rationis, interpretatio restrictiva admitti queat, requiritur ut aliquâ ratione legislator motus fuerit : requiritur etiam ut ratio cognita sit, idque eo modo qui ad promulgationem legum præscriptus est.

(2) Thibaut, l. l. § 25. Hoc non placet Thomasio, § 146 et 147.

(3) Conf. Thibaut, l. l. § 27, in fine.

Præterea restrictio rejicienda est quando casus in quibus ratio cessat a circumstantiis pendent (1); siquidem tunc dici possit legislatorem generalem legem condidisse, et nullam exceptionem adhibuisse, quia ipse regulam generalem constituens, circumstantiarum rationem habere non potest; nullam etiam exceptionem judici permisisse, ne operosæ lites oriantur. Immo tunc dici potest nativam quidem rationem cessare, sed dispositionem longius progredi ob aliam rationem, ne scilicet operoræ lites oriantur.

An, quando casus in quibus ratio cessat rari sunt, hâc solâ de caussâ, idem dicendum sit, hoc magis dubium est. Nonnulli auctores disputant restrictionem et tunc denegandam, sed afferunt exempla in quibus agitur de casibus a circumstantiis pendentibus. Videndum ergo nonne ideo tantum quod casus raro eveniunt, dicere liceat legislatorem de hisce casibus forte non cogitasse, ita ut probatio ex verbis oriens eatenus debilitetur, et ideo restrictio admittenda sit. Quæ si forte ita sint, L. L. 4, 5, 6. ff. de legib. et tritum : *De raris non curat prætor*, tunc tantum alicujus momenti esse possunt cum agitur de raris a circumstantiis pendentibus.

Non prætereundum est quod ait Thomasius (2), ex Grotio (3) et Puffendorfio (4), requiri nempe ut ratio legis deficiat quoad *potentiam*, non sufficere ut cesset quoad *actum*. Hujus propositionis valde obscuræ sensus est hic : *Non sufficit incom-*

(1) Quod et aliis verbis dici potest nempe : *quando casus in quibus ratio cessat indeterminati sunt, seu singulos tangunt.*

(2) § 155, 156 et 157.

(3) L. 2, C. 16, § 25, n° 1.

(4) L. 5, C. 12, § 20.

modum quod vitare voluit legislator, revera non adesse, requiritur insuper ut nec adesse possit. Exemplum egregium præbet Thomasius (1), sed in hoc etiam alia ratio præsto est, et ideo dici nequit rationem cessare (2).

Notandum superest restrictionem ob rationem legis cessantem adhiberi non posse, si non nisi arbitrario modo in eâ versari possit interpres, ut in art. 721, C. C. hod. (3).

Ex iis nunc quæ de restringendis verbis ob rationem legis cessantem diximus, erui potest quatenus uti possimus regulâ : *Cessante legis ratione, cessat lex ipsa.*

Hæc de cessatione rationis, non indistincte sufficienti ut verba coarctentur. Quod alia signa attinet, hæc non omnia sufficientia dici possunt ut probationem ex verbis orientem debilitent; V. G. leges anteriores verborum fidem ancipitem non efficiunt; etenim ut eâ de caussâ dubia fieret, oporteret ut imperans a legibus semel latis recedere non posset (4).

Ex omnibus illis quæ de restringendis verbis, sive ob rationem cessantem, sive ob alia signa diximus, patet quatenus admittenda vel rejicienda regula : *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

(1) § 157.

(2) Conf. Projet de code civil français, liv. prélim. tit. 5, art. 9.

(3) Conf. Thibaut, l. l. § 18.

(4) Regula *de odiosis potius quam aliis restringendis*, non magis quam regula *de favorabilibus potius quam aliis extendendis*, valere potest. Thomasius, § 161.

§ 3us.

De interpretatione mutativâ.

Quatenus admittenda vel rejicienda interpretatio extensiva, eatenus mutativa locum habere vel non habere potest, ita ut sub hoc respectu pari passu ambulent; in utrâque enim voluntas quædam probanda est quam verba de quibus agitur non probant.

Cæterum mutativa duplex est. Etenim alia signa vel ejusmodi sunt ut voluntas a toto verborum sensu appareat diversa, vel talia tantum ut aliquatenus sententia dissimilis sit. Hoc posteriori casu interpretationi mutativæ restrictiva inest; scilicet verborum sensus aliquatenus tollitur (interpretatio restrictiva), et in locum sublatæ partis aliud substituitur.

Exempla quædam mutativæ interpretationis attulisse sufficiet.

Sic sonat art. 553, C. C. hod. : *Toutes constructions, plantations et ouvrages sur un terrain ou dans l'intérieur, sont présumés faits par le propriétaire à ses frais et lui appartenir, si le contraire n'est prouvé, etc.* Quæritur an ex hujus art. verbis : *sont présumés....... lui appartenir, si le contraire n'est prouvé,* verum sit ædificium in fundo Petri exstructum *præsumi esse Petri, nisi contrarium probetur.* Non; sed ex antecedenti art. 646 revera Petri est, idque adeo ut contrarium probari nequeat; et sic art. 553 intelligendus. Quæ interpretatio sensui verborum nihil addit, nihil detrahit, et ideo nec extensiva nec restrictiva est; sed sermonis significationem prorsus mutat, quapropter mutativa dicenda.

Hæc sunt verba art. 611, C. C. hod. : *L'usufruitier à titre particulier n'est pas tenu des dettes auxquelles le fonds est hypothéqué : s'il est forcé de les payer, il a son recours contre le propriétaire, sauf ce qui est dit à l'art.* 1020, *etc.* An ergo fit ex art. 1020 ut interdum fructuarius cujusdam rei particularis regressum non habeat contra debitorem personalem, ad recuperanda debita quæ fundi retinendi caussâ solverit? Non; sed ex dicto art. hoc sequitur, nempe legatario quandoque plus juris esse, ipsique actionem ad luitionem pignoris competere, minime exspectandâ actione hypothecariâ, quâ ad solvendum cogatur. Unde verba : *sauf ce qui est dit à l'art.* 1020, mutanda in voces : *indépendamment de ce qui est dit à l'art.* 1020.

PARS TERTIA.

Quanti in jure civili hodierno interpretando valeant et emendationes quas codicis prima adumbratio gradatim subiit, donec tandem lex evaserit, et observationes curiarum, tribunorumque; item ea quæ in concilio sanctiori, cum singuli articuli perpenderentur, undique dicta sunt; et tandem orationes quas oratores seu consulum seu tribunorum in concilio legatorum populi habuerunt.

Ipsius partis rubrica ostendit divisionem in quinque capita instituendam. Hoc tamen monendum est nos ordinem rubricâ indicatum non omnino servaturos, sed, ut tanto facilius reliqua pertractari queant, ordituros ab iis quæ in concilio sanctiori, cum singuli articuli perpenderentur, undique dicta sunt; que brevitatis caussâ *discussiones* vocare liceat.

CAPUT PRIUS.

De discussionibus.

Multum apud plerosque, in interpretando codice civili hodierno, pollent, et magis quidem olim discussiones pollebant. Nos vero putamus auctoritatem verborum reliquorumve voluntatis signorum iisdem minime inesse; idque triplici ratione.

1°. Quia multis vitiis contaminantur et præcipue sequentibus :

a. Non semper ex ipsis patet quid fuerit decisum. V. G. lege 1435 vetatur ne uxor, post exstinctam societatem bonorum, pecuniæ suæ collocationem acceptet. An vero ante exstinctam societatem liceat, nequicquam ex discussionibus quæsiveris; ita enim in hâc quæstione versantur ut non appareat aliquid fuisse decisum, nedum quid decisum fuerit.

b. Nonnumquam in vado hæret instituta decisio. V. G. in codice adumbrato cavebatur legem quæ nunc est 504, locum

habere in testamentis et donationibus inter vivos; quod, cum in contraversiam deduceretur, penitius enucleandum rejectum fuit in aliud tempus, videlicet quando lex 504 iterum perpenderetur; ast hæc altera discussio prætermissa fuit.

c. Inconsiderata quædam, et prout discutientibus obvia fuerunt, ipsis irrepserunt, quod et fatetur ipse Locré (1). *Les discussions,* inquit, *présentent quelques froissemens dans les opinions, quelques hésitations, quelques idées vagues et incohérentes.* V. G. affirmatur discussionibus legem 46 nihil cavere de prætermissionibus, ne, cavendo quo pacto expleri possint, ipsa lex caussa sit et illecebra prætermissionum; additurque has facile a judice expletum iri pro rei adjunctis et naturâ. Ast quid interest quâ viâ hæ rimæ expleantur, si modo expleri possint, quandoquidem eadem, si qua sit, utro bique illecebra est ad prætermissiones, videlicet eas explendi facultas.

Affirmatur iisdem discussionibus vocabulum *excès* lege 231 substitutum fuisse vocabuli : *attentat à la vie,* ne conjux actionem ad divortium conjugi intentando, caussam capitis ipsi moveat, aperto ita et delato crimine capitali. Verum ex lege 236 oportet ut conjux qui actionem de divortio conjugi movet, facinora, caussam et fundamentum actionis, enucleate et sigillatim edisserat. Quid autem discriminis utrum singulari et propriâ locutione : *attentat à la vie,* facinus significetur, utrum vocabulo generali *excès*, ita ex adjunctis restringendo singulatimque definiendo ut ad molitionem in vitam excedat? Profecto utrobique res eodem recidit, reusque in vitæ discrimen adducitur.

(1) L. l. Tom. I. Pag. 74.

d. Vix possibile est ut quæ inter discutiendum decisa fuere, ipsissima scripto sint tradita, nihilque adulterini scriptis irrepserit.

e. Fieri potest ut ipsi sententiarum auctores eas adulteraverint; quod innuere videtur Locré (1).

2°. Quia voluntatem legislatoris non referunt.

Etenim exhibent quidem mentem concilii sanctioris, et aliquatenus collegii tribunorum; sed neutrum legislatoriâ gaudebat potestate, quippe quæ erat penes concilium legatorum populi (corps législatif). Hujus ergo voluntas adeunda: atqui incertum omnino est utrum ipsi eadem quæ concilio sanctiori et collegio tribunorum voluntas fuerit.

Ast, inquiunt, et penes concilium sanctius collegiumque tribunorum potestas legum ferendarum saltem partim erat. Esto: non mens partis, sed totius legislatoris agitur.

Nec magis obstat discussiones legatis populi notas fuisse. Hinc quidem colligi potest dicti concilii collegiique sententiam legatis populi fuisse notam, probatam autem colligi nequit.

3°. Quia editæ quidem fuerunt, non autem eo modo promulgatæ qui legibus tunc vigentibus præscriptus erat in hunc finem ut cives leges servare debeant.

Quod si, ob rationes allatas, discussiones voluntatis legislatoris signa haberi nequeant, consequens est interpretem iisdem uti non posse ad inveniendam voluntatem quam verba

(1) L. l. Tom. I. Pag. 76.

vel alia signa non indicant, et multo minus ad evertendam voluntatem verbis vel reliquis signis indigitatam.

Inde colligitur quanti faciendum id quod in discussionibus ad art. 64, C. C. hod., teste Locré (1), dictum est, matrimonium scilicet iniri non posse nisi tribus elapsis diebus, inde a die alterius proclamationis exeunte, computandis (trois jours francs); ita ut si altera hæc denunciatio primâ mensis sit facta, non nisi quintâ nuptiæ contrahi possint; nam ut triduum integrum inter hanc proclamationem et nuptias interjiciatur, oportet ut non imputetur prima, et ut quarta sit penitus elapsa. Ast ex ipsis legis 64 verbis videre est quam falsa hæc sint et insulsa; cavet enim lex illa : *Le mariage ne pourra être célébré que le troisième jour depuis et non compris celui de la seconde publication ;* quæ tertia dies, inde a die alterius denunciationis computanda, in nostrâ hypothesi est quarta mensis, ita ut eâ ipsâ die nuptias iniri haud prohibeantur.

Quid ergo si discussiones cum verbis aliisve signis consentiant? Superfluæ omnino sunt, cum quidquid efficiant, idem verbis vel aliis signis jam effectum sit.

Ast fieri potest ut dubium exoriatur an discussiones verbis aliisve congruant nec-ne : nonne tunc alicujus momenti haberi possunt? Quatenus fieri potest ut consentiant, supervacuæ sunt; quatenus ut dissentiant, rejiciendæ.

Si discussiones pro signis voluntatem indicantibus haberi nequeant, an non saltem iis uti potest judex tamquam ratione scriptâ tunc cum, lege deficiente, ad naturam rei confugere

(1) L. l. Tom. I. Pag, 419.

debet? Si discussiones rei naturæ contrariæ sint, iisdem sane ut ratione scriptâ, uti judex non potest. V. G. negatur discussionibus lege 317, C. C. hod., idem jus legatariis concedi quod hæredibus, hâc, præter alias, ratione : *Une succession étant une propriété, on ne peut refuser aux héritiers du mari la faculté de faire valoir leurs droits et de détruire les obstacles qui en gênent l'exercice, en contestant l'état des enfans.* Sed quâ ratione successio legitima magis proprietas est atque jus, quam successio testamentaria, alterâ a lege, alterâ a testatore, utrobique gratis proficiscente? Ex juris principiis hæredibus mariti actio datur ne auferat ipsis hæreditatem uxoris filius, nullo jure nixus; quidni legatariis idem suum jus eodem modo tueri liceret?

Sin vero rei naturæ consentaneæ discussiones sunt, facile iis caremus, sufficiente scilicet naturâ rei jam aliunde demonstratâ. V. G. lege 112, C. C. hod. cavetur : *S'il y nécessité de pourvoir à l'administration de tout ou partie des biens laissés par une personne présumée absente, et qui n'a point de procureur fondé, il y sera statué par le tribunal de première instance, sur la demande des parties intéressées.* Ante autem quam statuatur de modo consulendi rei familiari, decidendum utrum dominus sit absens præsumendus, quod non privati sed judicis est decidere : ast cujusnam judicis? Ex discussionibus statuendum est a judice domicilii; itidem ex naturâ rei, quippe cum status personæ agitur. Supervacua itaque hæc discussio est.

Quod si dubium exoriatur an contrariæ consentaneæve sint, dilemmate hoc uti possumus : Sunt vel contrariæ vel consentaneæ; si contrariæ, rejiciendæ; si consentaneæ, inu-

tiles. Uno verbo non immerito quis dixerit discussiones tunc nihil esse aliud nisi de naturâ rei aliquorum hominum sententia.

An ergo omnino nihili faciendæ discussiones? Tanti valent quanti commentarius quidam de lege scriptus.

CAPUT SECUNDUM.

De emendationibus quas codicis prima adumbratio gradatim subiit, donec tandem lex evaserit.

Si vera fuerit emendatio, videlicet si non sermo tantum, sed et res ipsa immutata fuerit, certum est auctores immutationis a sententiâ pristinis verbis expressâ, ad sententiam verbis substitutis indicatam deflexisse. Sed hactenus compertam tantum habemus voluntatem concilii sanctioris, quippe quod vel immutaverit ipsum vel immutationem procedentem a fractione cui nomen erat : *Section de législation du conseil d'état,* scienter reliquit. Quod spectat ad concilium legatorum populi, cum posteriora verba admiserit, prioribusque aliud significaretur, indubitatum est ipsum noluisse quod sibi hæc, voluisse quod sibi illa verba velint. Vera itaque seu rei immutatio legislatoris voluntatem exhibet.

Sed an illa immutatio non consignantius legislatoris voluntatem indicat? Consignantius indicare potest voluntatem auctorum immutationis, videlicet concilii sanctioris, non autem concilii legatorum populi, nisi et ipsum noverit pristina verba et ad ipsa, legem sanciendo, attenderit; quod undenam probetur nescio.

V. G. codice adumbrato cavebatur per fratres germanos a totâ hæreditate excludi avos cum ipsis ad eamdem hæreditam competitores; art. 750 codicis sanciti idem cavetur, prætermisso tamen et deleto vocabulo *germains*. Atqui dictus art., prout nunc est, et nullà ratione habitâ immutationis jam probat voluisse concilium sanctius, sicuti et concilium legatorum populi, ut fratres qualescumque, sive germani, sive consanguinei, sive uterini avos excludant. Hoc igitur voluerunt dicta concilia, siquidem admiserint legis verba uti sese habent, videlicet deleto vocabulo *germains*, et solo manente vocabulo *frères*, quo omnes fratres continentur. Immo concilium sanctius omnes fratres, exclusis avis, vocasse consignantius probari potest, ratione habitâ immutationis ab ipso concilio sanctiori profectæ. Sed non idem de concilio legatorum dicendum, nisi priora verba cognoverit, horumque memor fuerit ubi posteriora adprobavit.

Si non res sit mutata, sed vocabula tantum, ita ut substituta vocabula idem sonent ac pristina; compertum est voluntatem fuisse mutatam concilii sanctioris, utpote quod alius rei significandæ gratiâ verbis aliis usum est; non vero concilii legatorum, cui probata fuere posteriora legis verba, quorum eadem est significatio ac priorum. Et quamvis legatis compertum fuisset alia vocabula fuisse usurpata ut alia res

significaretur, nihilomagis conjicere liceret ipsum, invitâ ratione, eadem accepisse in alium quam in germanum et obvium sensum.

Si ex legis membris connexis ac consonis primum fuerit immutatum, quin, concentus caussâ, immutatum fuerit et subsequens, immutationis ratio haberi potest ad explicandam legem; nam non probando primam partem, quî legislator voluisset ut maneret subsequens quæ primæ appendix est? Idque potissimum de codice civili, quandoquidem concilio legatorum quod comprobabat primam partem, huic subsequentem accommodare non licebat, cum nec immutare nec immutanda proponere posset.

Exemplo sit lex 809, C. C. hod. Creditores qui non intercesserunt et ante confectas rationes solutaque reliqua sese sistunt, num legatarios tantum, num et creditores demissos appellare possunt? Solos legatarios appellare licet ipsis, perinde ac iis qui post confectas rationes salutaque reliqua sese sistunt. Huic sententiæ adversatur posterior ejusdem legis pars, quâ duas hypotheses in priori parte agi supponitur, ubi ex nostrâ sententiâ una tantum esse potest. Sed in codicis adumbratione, priori legis parte revera agebantur duæ hypotheses; nimirum, cum creditores non intercedentes post confectas rationes et soluta reliqua sese sisterent, non nisi legatarios appellare poterant; cum vero antea, regressum habebant son solum contra legatarios, sed et contra creditores. Hæc vero hypothesis in priori art. parte supressa fuit, quin huic supressioni posterior pars accommodata fuerit.

CAPUT TERTIUM.

De observationibus curiarum.

Si observationes hæ, sive a fractione concilii, sive ab ipso concilio sanctiori resputæ fuerint, ita ut concilio legatorum non fuerint propositæ, affirmare non licet legatos idem voluisse. Multo minus affirmari potest concilium sanctius idem intendisse, quippe quod ipsum repudiaverit observationes vel a fractione repudiatas non restituerit.

Unde, si curia cassationis, cum decreverit actionem ad rescindendam venditionem ob læsionem enormem mobilem esse, hâc ratione mota fuerit, nempe se codici formularum inserendum proposuisse articulum quo id caveretur; suam ipsius voluntatem voluntati legislatoris suffecit; nam proposita lex reprobata fuit, nec, salvis juris principiis, probari potuit.

Si contra observationes fuere probatæ, et sermoni insertæ, tanti quanti alia quæcumque verba valent. Si probatæ quidem fuere, verbis autem codicis non insertæ, eadem earum virtus est ac discussionum quæ in verbis desiderantur.

CAPUT QUARTUM.

De observationibus tribunorum.

Idem de his, quod de observationibus curiarum, esto judicium.

CAPUT QUINTUM.

De orationibus quas oratores seu consulum seu tribunorum, in concilio legatorum populi habuerunt.

Orationes illæ, licet habitæ a concilii sanctioris aut collegii tribunorum membris, non ideo exhibent voluntatem horum collegiorum, siquidem ab ipsis non fuerunt comprobatæ. Quæ igitur illarum orationum vis est ac momentum? Si constet ipsas consentaneas esse sententiis concilii sanctioris aut collegii tribunorum, horum quidem voluntatem referunt, sed superfluæ sunt, cum ex sententiis eorumdem collegiorum, aliunde probatis, idem colligatur. Si constet consentaneas non esse, nullius sunt momenti. Si de neutro constet, dilemma proponi potest hoc : Consentiunt vel non: si consentiunt, superfluæ sunt; si non consentiunt, nullius sunt momenti.

Non pluris itaque per se valent quam scripta hominis privati cui paterent duorum collegiorum acta. Immo quandoque minoris sunt momenti, tunc nempe cum oratores non collegiorum sententiam, sed quod ipsi senserint elocuti sunt. A quâ culpâ verisimiliter tribunus Faure vacuus non est, cum ad legem 559, C. C. hod. affirmat, invitis perspicuis legis verbis, dominum agri a quo pars vi fluminis fuit avulsa, hanc repetere posse per annum post captam ab altero possessionem.

X.

FRANC. NIC. GISL. BAGUET

COMMENTATIO

AD

QUAESTIONEM LITERARIAM.

FRANC. NIC. GISL. BAGUET

NIVELLENSIS,

PHILOSOPHIAE ET LITERARUM CANDIDATI
IN ACADEMIA LOVANIENSI,

COMMENTATIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM
ET LITERATORUM PROPOSITAM:

Colligantur, disponantur et illustrentur Fragmenta Chrysippi, *Philosophi Stoici; ita ut in exemplum sibi proponant discipuli præstantissimas illas Commentationes, quæ in eodem genere a doctissimis Wyttenbachianæ Disciplinæ alumnis exstant conscriptæ, ut* Mahnii *V. Cl. De Aristoxeno*, Bakii, *V. Cl. De Posidonio*, Nieuwlandii *De Musonio et* Lyndeni *De Panætio.*

QUAE PRAEMIO ORNATA EST VIII. IDUS OCTOBR.
MDCCCXXI.

Nos quoque apes debemus imitari, et quæcumque ex diversâ lectione congessimus, separare. Melius enim distincta servantur.

SENECA Epist. LXXXIV.

PRAEFATIO.

Cum perlegissem Quæstiones ab Amplissimo Philosophorum Ordine in Academiâ Lovaniensi propositas, diutius me dubium hæsisse fateor, utrum ad Chrysippeam Scriptionem animum adjicerem necne. Cognitis enim egregiis illis Batavorum hominum disputationibus, ad quorum exemplum hanc ipsam esse instituendam significaverat Ordo, ac diligentius præterea ponderatis Summi Wyttenbachii ver-

bis (1), facile intellexi ad munus illud cum laude aliquâ administrandum non adcuratam solummodo Philosophiæ et omnis Historiæ Literariæ scientiam requiri, sed subtiliorem etiam multâque lectione et usu paratam sermonis Græci Latinique cognitionem: ut illorum virorum et ingens omnis eruditionis copia et orationis Latinæ rara quædam sinceritas et elegantia in admirationem potius me abriperent, quam ad imitandum incitarent. Felices itaque prædicavi Batavos illos juvenes qui ab ineunte ætate Græcis Latinisque literis diligenter imbuantur et optimis utriusque Antiquitatis auctoribus tractandis ita jam pueruli adsuefiant, ut peractis aliquot in Academiâ annis eximium aliquod industriæ ac doctrinæ

---

(1) In Miscellan. Doctrin. Part. II. pag. 242. «Qui perditi Auctoris memoriam et reliquias illustrandas sibi delegit, is continuo necessitatem sibi imposuit omnes et veterum et recentiorum libros evolvendi et legendi, in quibus aliquid idoneum suo proposito exstare putet; quâ ex operâ recte institutâ nascitur cognitio promta et parata universæ Historiæ Literarum, ejusdemque locus adhuc vacans opere confecto expletur.»

specimen possint exhibere, quod vel doctioribus laude et commendatione dignum videatur. Sed eo magis meam sortem vidi esse lugendam qui, ut erat haud ita pridem nostrarum ratio scholarum, exiguâ admodum Latinarum Literarum scientiâ instructus et Græcarum plane ignarus in Academiam sim delatus, ut quod temporis ad pervolutandos et adcuratius cognoscendos Veteres omnis generis Scriptores impendendum erat, id in elementis addiscendis esset consumendum. Multum igitur mihi constitit et laboris et temporis, donec eo essem profectus, ut veram illam et quasi regiam viam quam Batavi fere omnes ingressi sunt aliisque monstrarunt (1), et ipse ingrederer Auctoresque Antiquos deinceps pertractare instituerem. Quam rationem, a præceptoribus tanto opere nobis quotidie commendatam, licet jam inierim ipsoque usu sim

---

(1) Wyttenbachius in Præfat. ad Select. Princip. Historicor. pag. XXXI, sq. edit. alt. Idem in Vitâ Ruhnkenii pag. 35, sqq. (in Ejus Opuscc. Var. Arg. Tom. I. pag. 553, sqq.).

expertus præstantissimam illam esse ut ad doctrinæ fructum ita ad animi voluptatem; plurimum tamen abest ut tales fecerim in Antiquis Literis progressus quales in *Wassenaerio*, beato suo discipulo, prædicat WYTTENBACHIUS (1). Attamen ipse *Wassenaerius*, qui idem hoc de Chrysippo argumentum sibi tractandum elegerat, cum latiorem illius ambitum esse, quam ut brevi conficeretur, sensisset, eo abjecto aliud idque facilius esse circumspiciendum existimavit (2). Quidni igitur mihi erat hæsitandum, qui vix tirocinia posuerim nec nisi paucissimos adhuc Scriptores Antiquos adcurate perlegere potuerim? Quidni a suscipiendo hoc opere materiæ tam difficultas quam amplitudo et varietas deterrere me debebat?

Ad præcipuum vero hoc impedimentum duo

---

(1) In Addend. ad Phædon. pag. 337. in Memoriâ Guilielmi Ludovici Van Wassenaer, insertâ illâ Miscellanæ Doctrinæ Libro III. pagg. 4, 8, 12 et sq.

(2) Ibidem pag. 13, sq.

alia accedebant; alterum, quod libris permultis qui in ejusmodi scriptione desiderari minime possunt, mihi erat carendum (1); alterum quod, cum bonam diei partem absûmeret scholarum officium, in tantas adductus essem angustias ut vix ad colligendam ac disponendam materiam nedum ad explicandam et singula, ut fieri oportuerit, e criticis legibus dijudicanda tempus superesset.

Sed, dixerit aliquis, quid tu tandem, et argumenti magnitudinem perspiciens et tuæ tibi tenuitatis conscius, opus tamen adgredi non dubitasti tuas vires longe exsuperans? An immemor tu fuisti Horatiani illius (2):

(1) Ægre præsertim carui duobus Operibus, J. Jonsii, De Scriptoribus Historiæ Philosophicæ, et Galeni Editione Charteriana. Quod propterea hic esse monendum videbatur, ne meæ tribueretur sive ignorantiæ sive negligentiæ, si quid fuerit in hac Commentatione prætermissum aut minus recte judicatum, quod melius jam docuerat Jonsius. Basileensem Operum Galeni editionem, quam solam potui impetrare undeque plurima Chrysippi fragmenta erant describenda, mancam hinc inde esse constat plurimaque in eâ vitia residere, quæ magnâ saltem ex parte haud dubie correxerit diligentior Galeni editor Charterius.

(2) De Art. Poët. vss. 39 et 40.

Quid ferre recusent,
Quid valeant humeri?

Et merito quidem hæc mihi esse exprobranda non diffiterer, nisi Ordinis ipsius in proponendâ hac Quæstione consilium ab ejusmodi reprehensione me tueri quodam modo videretur. Neque enim exigere ille potuit, ut ab adolescentulo in tantâ temporis brevitate liber conscriberetur omnibus numeris absolutus, qui a judicii ac doctrinæ ubertate et elegantiâ eruditioribus quoque commendetur: sed hoc unice videtur voluisse, Civibus Academicis idoneam suppeditari materiam in quâ exercerent vires juveniles suamque in frequentandis scholis assiduitatem et industriam comprobarent. Quod habens persuasum ad ineundum certamen me duxi esse accingendum, non tam præmii ambitione commotus, quod facile patiar me dignioribus impertiri, quam incredibili quodam incensus Literarum studio, quod nullam me prætermittere sinit augendi meam scientiam et amplificandi opportunitatem. Nec autem umquam dubium mihi fuit quin talis in scribendo periclitatio, tametsi

manca sit neque contribuat quidquam ad fines doctrinæ, in qua versetur, proferendos, plurimum certe scribenti afferat utilitatis eumque excitet ad majora in posterum suscipienda. Quod si enim a reliquis commodis discesseris, hoc saltem habet ejusmodi exercitatio, ut laboris assiduitati nos adsuescat viamque doceat ac rationem, qua meliori aliquando cum successu in simili argumento elaboraturi et de literis bene promerere aliorumque studia adjuvare et nobis ipsis laudem parere atque doctorum hominum benevolentiam conciliare possimus.

Ad totius argumenti descriptionem quod attinet, ipse equidem sentio non optimam a me esse electam; elegi tamen de industriâ. Ne enim nimium temporis esset collocandum in Fragmentis ad Stoicorum rationem ita disponendis, ut res ipsæ, quæ iis continentur, quodam modo inter se colligarentur, illa eodem fere exhibui ordine quo a Diogene maxime Laertio ejusque commentatore Menagio recensentur: cum antea breviter de Rebus et paullo

explicatius de Doctrinâ Philosophi egissem. Tripartita igitur est hæc nostra Dissertatio. Ac prima quidem pars in Vita et Rebus Chrysippi versatur, altera Doctrinam ejus complectitur et Placita, tertiâ demum continentur quæ ad nostram notitiam pervenere Fragmenta brevibus nostris animadversionibus illustrata.

Quod reliquum est, rogo doctissimos hujus Disputationis judices, ut benigne eam excipiant et si, cui præmium decernant parum ipsis digna visa fuerit, ita tamen sibi persuadeant nec voluntatem mihi defuisse nec de laboris constantiâ me quidquam remisisse donec scriptionem ad finem perduxissem. Quod si autem cadere tantum in me censuerint Ovidianam illam sententiam,

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas (1);

operæ atque industriæ hac in re positæ me numquam pœnitebit. Scrib. VIII. Kalendas Junias MDCCCXXI.

---

(1) Ovidius Epist. ex Pont. III. 4. 79.

PARS PRIMA.

DE VITA ET REBUS CHRYSIPPI.

§. I.

Chrysippus, Philosophus Stoicus, natus erat Solis, Ciliciæ urbe (1), quæ postea Pompeiopolis dicta est (2), patre qui-

(1) Intelligitur hoc ex innumeris Veterum locis, quorum potiores indicasse sufficiat. Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 179. Plutarchus De Exilio p. 605. B. Galenus in Protreptico Cap. VII. p. 19. Willet. : τίς γὰρ ἦν Σταγείρων λόγος, εἰ μὴ δι' Ἀριστοτέλην; τίς δ' ἂν Σόλων, εἰ μὴ δι' Ἄρατόν τε καὶ Χρύσιππον; Athenæus Lib. III. p. 89. D. Tom. I. pag. 349. Schweigh. Origenes Contra Celsum Lib. IV. pag. 196. B. Lib. V. p. 621. C. Solinus Polyhist. Cap. XLI. edit. Delrion. Antwerp. 1572. pag. 194. Erat autem Solorum urbs artium ac doctrinarum studio in primis florens: quod vel ex uno Luciani loco apparet, ubi Solensium cum Cypriorum, Babyloniorum et Stagiritarum eruditione conjungitur: In Piscator. sive Revivisc. Cap. 19. Tom. III. p. 136. Bip. ubi vid. Scholiast. et Solanus pag. 476. Nec minus illa erat doctorum hominum famâ nobilitata. Inde enim, præter Aratum, orti erant *Crato, Clearchus,* Aristotelis discipulus, *Philemon,* recentioris Comœdiæ auctor, alii: vid. Scholiast. Luc. l. l. Ger. Jo. Vossius De Histor. Græc. Lib. I. cap. 9. p. 48. sq. Idem De Poëtis Græcis Cap. VIII. pag. 58.

(2) Strabo Lib. XIV. p. 988. B. Almelov. p. 958. Falcon. Μετὰ δὲ Λάτμον Σόλοι πόλις ἀξιόλογος τῆς ἄλλης Κιλικίας ἀρχή· — εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν

dem Apollonio (3) quodam, qui antequam Solos transferret domicilium, Tarsi, Ciliciæ in urbe primariâ, habitaverat (4). Hinc factum esse videtur, ut Chrysippus et ipse a nonnullis Tarsensis diceretur (5): quamquam non desunt qui utriusque urbis proximitatem hujus rei caussam fuisse existiment.

De puerili ejus institutione nihil omnino a Veteribus proditum legitur, nec quæ de reliquâ vitâ hinc inde dispersæ

Πομπήϊος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγιγνομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιςα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους· καὶ μετωνόμασε Πομπηϊόπολιν. STEPHANUS BYZANT. De Urbibus, voce Σόλοι, pag. 677. Berkel. ἀνεκτίσθη ὑπὸ Πομπηΐου, καὶ μετωνομάσθη Πομπηϊόπολις (Ita enim legendum cum Almelov. ad loc. Strab. laud., non Πομπηϊούπολις). Add. DIO CASSIUS in Hist. Rom. Lib. XXXV. cap. 20. pag. 98. Reimari, ac de re ipsâ PLUTARCHUS in Vitâ Pompeii p. 633. E. cap. 28. Tom. VI. pag. 92. Schæf. Conf. etiam SOLINUS, loco not. præced. mem.

(3) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 179. SUIDAS quidem in voce Χρύσιππος, Tom. III. p. 691. Kust. eum non Ἀπολλωνίου dicit, sed Ἀπολλωνίδου; quæ res STANLEJUM Hist. Philos. p. 646. induxit, ut Apollonidæ nomen ab Apollonii diversum crederet. Sed notandum ei erat frequentem esse apud Antiquos primitivorum nominum et patronymicorum permutationem: quod egregie docuit Summus HEMSTERHUSIUS ad Luciani Timon. pag. 414. Bip. IDEM ad Aristophanis Plutum v. 90. p. 325. edit. Batav. Add. Jo. TOUPIUS in Emendatt. in Suidam Tom. II. Præf. pag. 10. sq. GISB. KOENIUS ad Gregorium Corinthium De Dial. L. Gr. pag. 290. Schæf.

(4) STRABO Lib. XIV. p. 988. B. Almelov. pag. 958. Falcon. cum Solensem esse Chrysippum dixisset, addit: πατρὸς ἦν Ταρσέως ἐκεῖθεν μετοικήσαντος.

(5) SUIDAS in voce Χρύσιππος, Tom. III. pag. 691. Kust. ubi dicitur Σολεὺς ἢ Ταρσεύς: sed IDEM simpliciter eum *Tarsensem* appellat in voce Ζήνων· Διοσκουρίδου, Tom. II. pag. 9. Ceterum duo nomina gentilia eidem auctori tribuere non alienum esse ab Antiquorum consuetudine pluribus exemplis docuit Nobilissimus LYNDENUS in Dissertatione De Panætio Rhodio pag. 22.

mentiones reperiuntur, ejusmodi sunt, unde justa illius vitæ descriptio contexatur. Pleræque enim quæ de Chrysippo narrantur facetæ historiolæ, partim indignæ tam præstanti viro, non e puris fontibus haustæ sed hominum sermonibus divulgatæ, res miras ac singulares sectandi studio, literis esse a nonnullis consignatæ videntur. Sed qualiacumque illa sint, brevis certe eorum commemoratio non prorsus abhorrere a nostro instituto videbatur: ita tamen ut lepidis his narratiunculis ad finem rejectis, priori loco ageremus de gravioribus Chrysippi rebus, quæ ut cognitu utilia sunt et jucunda, ita momenti forsitan aliquid habere possunt ad ipsam ejus rationem adcuratius percipiendam ac dijudicandam.

§. II.

Ac primum quidem, quod Chrysippum Stoicum Philosophum diximus, hoc cum res ipsa tum aperta Veterum testimonia declarant. Cum enim Zeno Citiensis fundamenta jecisset Stoicæ doctrinæ, qui eum excepere Cleanthes et Chrysippus hanc rationem non modo tuebantur ac propagabant, verum etiam suis ipsi studiis excolebant et amplificabant. Et de Cleanthe quidem hic non est dicendi locus. Chrysippus vero de Stoicorum placitis tuendis et subtilius explicandis quam egregie promeruerit non est quod operose demonstremus, quandoquidem omnes fere auctores uno ore profitentur, eum in Principes hujus Sectæ esse referendum. Diserte quidem sic vocatur A. Gellio (6); alii vero antistitem Stoæ (7) eum

(6) Noct. Attic. Lib. VI. cap. 2.

(7) Athenæus Lib. VIII. pag. 335. B. Tom. III. pag. 235. Schweighæus. Χρύσιππον, τὸν τῆς Στοᾶς ἡγεμόνα κατὰ πολλὰ θαυμάζω, ἔτι μᾶλλον ἐπαινῶ, κ. τ. λ.

prædicant aut firmum illius præsidium (8), alii aliter nec minus honorifice eum appellant (9). Quod si autem discesserimus etiam a singularibus his laudibus, quibus certatim quasi efferre Nostrum conati esse videntur Auctores Antiqui, maximam tamen fuisse viri famam vel ex eo satis intelligeretur, quod numquam fere memoratur nisi cum summis ac præstantissimis Antiquitatis Philosophis conjunctus (10).

---

(8) CICERO Academ. Lib. IV. cap. 24. « Chrysippus fulcire putatur porticum Stoicorum. » Et ferebatur de eo iambicus hic versus:

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά·

quem servavit DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 183.

(9) ORIGENES Contra Celsum Lib. IV. pag. 196. MARCIANUS ICtus in Leg. 2. Digest. De Legibus Senatusque Cons. (I. 3.) « Philosophus summæ Stoicæ sapientiæ Chrysippus » : ubi GEBAUERUS recte defendit *summæ* cum MENAGIO ad Diog. Laert. p. 339. SOLINUS Polyhist. Cap. XLI. p. 194, edit. Delrion. Antw. 1572. similiter appellat Chrysippum « Stoicæ sapientiæ potentissimum. » ATHENÆUS Lib. XV. pag. 686. F. Tom. V. pag. 505. Schweigh.: ὁ θαυμασιώτατος Χρύσιππος. IDEM Lib. VII. pag. 278. E. Tom. III. pag. 15. Schw. Χρύσιππος ὁ ὄντως φιλόσοφος καὶ περὶ πάντα ἀνήρ.

(10) *Areius Didymus* (non *Numenius*, conf. Lyndenus V. Ampl. in Dissert. De Panætio pag. 10) apud EUSEBIUM in Præparat. Evangel. Lib. XV. cap. 18. pag. 820. D. qui Zenonem, Cleanthem et Chrysippum appellat τῆς αἱρέσεως τοὺς πρώτους καὶ πρεσβυτάτους. Conf. HIMERII Orat. XIV. §. 23. pag. 650. Wernsdorfii; MARC. ANTONINUS De Rebus Suis Lib. VII. §. 19. p. 214. Gatak. D. AUGUSTIN. De Civit. Dei Lib. IX. cap. 4. Tom. VII. p. 169. C. ed. Antwerp. Et frequens est mentio Chrysippi cum his aliisque Stoicorum celeberrimis conjunctio, ut apud Plutarchum et Laërtium, ita apud alios plurimos. Conf. CICERO Tuscul. IV. cap. 5. init. « Chrysippus et Stoici. » : ubi Jo. DAVISIUS hæc annotat: « Reliquis generali nomine de-

§. III.

Quo ætatis anno et quibus rationibus motus ad Philosophiam animum adjecerit Chrysippus, non constat. Hoc solummodo proditum est, eum lanceâ prius se exercuisse (11) et cum tota res familiaris in Fiscum diffluxisset, ad Philosophiæ studium se applicuisse (12). Quid autem intelligendum sit il-

signatis, Chrysippus ῥητῶς appellatur, quia vir ille præcipuæ fuit inter Stoicos auctoritatis: » item GALENUS De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. V. Tom. I. pag. 288. lin. 33. Basil. «καθάπερ ὅ, τε Χρύσιππος δοξάζει καὶ πάντες οἱ Στωϊκοί.» Nec minus frequenter in societatem summorum Antiquitatis virorum, Platonis, Aristotelis, aliorum admittitur. GALENUS De Curandi Ratione Lib. II. Tom. IV. pag. 52. lin. 19. Basil.; Πλάτων καὶ Ἀριςοτέλης καὶ Θεόφραςος καὶ Ζήνων καὶ Χρύσιππος ἅπαντές τε οἱ ἐλλόγιμοι φιλόσοφοι. IDEM Adversus Lycum Tom. V. pag. 331. lin. 45. et in libro qui inscribitur Πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς Ἱπποκράτους Ἀφορισμοῖς ὑπὸ Ἰουλιανοῦ Tom. V. p. 339. l. 1. p. 340. l. 40. p. 344. l. 23. Conf. GREGORIUS NAZIANZENUS Advers. Julian. Orat. III. p. 66. B. Morell.: Πλάτωνες, καὶ Χρύσιπποι, καὶ ὁ σεμνὸς Περίπατος καὶ ἡ Στοά: et THEODORI METOCHITÆ Miscellanea Philosophica et Historica, nuper admodum in lucem protracta a Mullero et edita a Kiesslingio, Lipsiæ 1821. ubi pag. 74. recensetur cum Aristotele, Platone et Galeno; pag. 165. cum Parmenide, Empedocle, Democrito, Anaxagora, aliis; conf. ibid. pag. 90, 526 et 529. SCHOLIAST. Luciani in Piscator. sive Revivisc. Cap. 19. p. 136. Bip.: Κράτων καὶ Χρύσιππος ἄμφω Σολεῖς οὐκ ἄσημοι κατὰ φιλοσοφίαν, καὶ μάλιςα Χρύσιππος. Sed hæc sufficiant.

(11) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 179. Χρύσιππος πρότερον δόλιχον ἤσκει: cujus rei nusquam alias occurrit mentio.

(12) IDEM ibid. segm. 181. Ἑκάτων δέ φησιν ἐλθεῖν αὐτὸν ἐπὶ φιλοσοφίαν, τῆς οὐσίας αὐτοῦ τῆς πατρῴας εἰς τὸ βασιλικὸν ἀναληφθείσης. Iisdem fere verbis, sed omissâ Hecatonis auctoritate, hæc refert HESYCHIUS MILESIUS sive ILLUSTRIUS De Philosophis, extr., ad calcem Diog. Laert. 1616. pag. 67. Nam exscripsit solummodo hic auctor Diogenem Laërtium, ut monuit etiam Jo. A. FABRICIUS Bibl. Græc. Tom. V. pag. 567. not. m.

lud lanceæ exercitium et quomodo factum sit ut bonis paternis privaretur, nusquam explicatum legitur. Athenas autem delatus, ubi postea Civitatem quoque obtinuisse videtur (13), Zenonem (14), vel, ut verius traditur ab aliis, Cleanthem (15) audivit, cui deinde in Scholâ successit (16). Insuper eum cum

(13) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1034. A. ex Antipatro cum narrasset Zenonem et Cleanthem cives Athenienses fieri noluisse, addit: ὅτι μὲν εἰ καλῶς οὗτοι, Χρύσιππος οὐκ ὀρθῶς ἐποίησεν ἐγγραφεὶς εἰς τὴν πολιτείαν, παρείσθω. Conf. DIO CHRYSOSTOMUS Orat. XLVII. pag. 523. B.

(14) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 179.

(15) IDEM ibid. ex *Diocle* et aliis. Conf. etiam Segm. 182. SUIDAS, voce Χρύσιππος, Tom. III. pag. 691. seq. Kust. SIMPLICIUS in Comment. in Epicteti Manuale p. 329. B. Tom. IV. p. 522. Schweighæus. VALERIUS quidem MAXIMUS Lib. VIII. cap. 855. fol. 278. Ascensii, narrat Cleanthem « adolescentem quæstu extrahendæ aquæ nocturno tempore inopiam suam sustentasse; diurno Chrysippi præceptis percipiendis vacasse, » ut non discipulus Cleanthis fuerit Chrysippus, sed magister. Verum hic locus tam aperto laborat sive auctoris errore sive librarii vitio, ut vix amplius quemquam moretur post ea quæ jam monuerunt OLIVERIUS ad eumdem et MENAGIUS ad Diog. Laert. Lib. VII. segm. 174. p. 336. Quod vero Idem simile vitium latere opinatur in hoc *Porphyrii* loco apud CYRILLUM Adv. Julian. pag. 167. A. pag. 95. B. Spanhem.: Χρύσιππος δὲ, ὁ Σωκράτει ἑπόμενος, οὐδὲ τοῖς γινομένοις ἐπιλέγειν ἠξίου το, Τίς οἶδεν; ἀλλ' ὅτι, Πάντως τοῦτο ἄμεινον ἦν: Cleanthis nomen in Socratis a librario permutatum esse suspicans; ne nos idem statuamus movemur gravissimâ WYTTENBACHII auctoritate, qui proferens hæc Porphyrii verba in Animadverss. ad Plutarchi Moralia Tom. II. p. 778. nihil in iis vitii notavit, sed levi correctione ita tacite rescripsit: Χρύσιππος δὲ Σωκράτει ἑπόμενος, κ. τ. λ. : ut non successisse Socrati, sed imitatus tantummodo illum hâc in re esse dicatur Chrysippus.

(16) SUIDAS voce Χρύσιππος, Tom. III. pag. 691. Kust. eum dicit καθηγησάμενον τῆς Στωϊκῆς σχολῆς μετὰ Κλεάνθην. STRABO Lib. XIII. pag. 908. B. Almelov. Tom. II. pag. 877. Falconer. cum de urbe Asso esset locutus, per-

Arcesilao et Lacydâ in Academiâ esse philosophatum, e Sotione refert DIOGENES LAERTIUS (17), neque vero quando id fecerit adcuratius determinans. Sed admodum probabile est jam juvenili ætate disserendi illas exercitationes cum Academicis fuisse ab eo institutas, quando certis Veterum testimoniis constat, priusquam Stoicorum placita scriptis defenderet, tam multa eum jam colligisse contra Sensus et Perspicuitatem, contra Consuetudinem et Rationem, ut hæc ipsa, cum postea essent impugnanda, ei non parum negotii facesserent (18).

---

git: *ἐντεῦθεν ἦν Κλεάνθης, ὁ Στωϊκὸς φιλόσοφος, ὁ διαδεξάμενος τὴν Ζήνωνος τοῦ Κιτιέως σχολὴν, καταλιπὼν δὲ Χρυσίππῳ τῷ Σολεῖ.* Conf. *Areius Didymus* apud EUSEBIUM in Præparat. Evang. pag. 820. D. et CLEMENS ALEXANDRINUS Stromat. Lib. I. pag. 301. C. ed. Paris.

(17) Lib. VII. segm. 183: *τέλος δὲ Ἀρκεσιλάῳ καὶ Λακύδῃ, καθά φησι Σωτίων, παραγενομένοις* (fort. *παραγενόμενος*) *ἐν Ἀκαδημίᾳ συνεφιλοσόφησε.*

(18) CICERO Academ. Lib. II. cap. 27. ubi vid. GOERENZIUS pag. 160. PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1036. B et C: *Ἐπὶ τοῖς κατὰ Συνηθείας ἐκδοθεῖσιν οὕτω κομῶσι* (*οἱ Στωϊκοί*) *καὶ μεγαληγοροῦσιν, ὥστε τοὺς πάντων ὁμοῦ τῶν Ἀκαδημιακῶν λόγους εἰς ταὐτὸ συμφορηθέντας οὐκ ἀξίους εἶναι παραβαλεῖν οἷς Χρύσιππος ἔγραψεν εἰς διαβολὴν τῶν Αἰσθήσεων. Καὶ τοῦτο μὲν ἀπειρίας τῶν λεγόντων ἢ φιλαυτίας σημεῖόν ἐστιν· ἐκεῖνο δὲ ἀληθὲς, ὅτι βουληθεὶς αὖθις συνειπεῖν τῇ Συνηθείᾳ καὶ ταῖς Αἰσθήσεσιν, ἐνδεέστερος γέγονεν αὐτοῦ καὶ τὸ σύνταγμα τοῦ συντάγματος μαλακώτερον.* Quam ob rem iidem Stoici vituperare illum aliquando etiam solebant, dictitabantque armatos ab illo esse cum reliquos Academicos tum maxime Carneadem. Conf. CICERO l. l. et præter indicatum Plutarchi locum, hos præcipue ex eodem illius opere: pag. 1036. F. 1037. A. De Commun. Notit. pag. 1059. B. C. et Inscriptionem mox proferendam not. 20. Attigerunt etiam hanc rem GUIL. THEOD. BAUMHAUER V. Ampl. in Observatt. Literar. annexis Specimini Juridico, Lugd. Batav. 1811. Cap. II. pag. 37. not. 37. et JO. RUD. THORBECKE V. D. in Responsione ad Quæst. Philosophicam: De eo quod, in Dogmaticis oppugnandis, inter Academicos et Scepticos interfuit; Cap. IV. pag. 62. sq. (Annal. Acad. Lugd. Batav. 1819–1820).

§. IV.

Et quoniam de Præceptoribus Chrysippi diximus, age, paucis item de Discipulis videamus: quo loco breviores ut simus, facit docta diligentia Nobilissimi LYNDENI, ad quem, quod criticam rationem attinet, malumus lectores amandare quam vires ipsi nostras, quas impares huic rei sentimus, in aliis iisque uberioribus conquirendis exercere.

Jam qui perpenderit quanta fuerit Chrysippi eruditio, quanta auctoritas; quâ quidem per haud exiguum temporis spatium sectæ suæ rationem tam honorifice sustinuerit; is dubitare vix poterit, quin innumeros idem habuerit discipulos. Sed singulari quadam fortunæ adversitate accidisse videtur ut, paucissimis exceptis, nulla fere eorum notitia ad nostram memoriam perveniret. Eum vero ad senectutem usque auditoribus fuisse stipatum, intelligitur ex *Hermippi* narratione apud DIOGENEM LAERTIUM (19), et quantâ eum veneratione illi pro-

---

(19) Lib. VII. segm. 184. ubi mortuus esse dicitur Chrysippus in sacrificio quo a discipulis esset vocatus. Ceterum *Demetrius* in Homonymis narraverat, eum primum esse ausum sub divo scholam habere in Lyceo: ut refert DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 185. Magnam vero apud posteros quoque fuisse ejus auctoritatem, vel inde colligi potest quod ii Stoicorum qui illius placita sequebantur peculiari Chrysippeorum nomine insigniebantur. A JAMBLICHO, Introduct. ad Nicomachi Geraseni Arithm. pag. 12. memorantur οἱ Χρυσίππειοι: quos certe SAM. TENNULIUS in Comment. ad h. l. pag. 92. Nostri Sectatores intelligendos esse existimat. Conf. GALENUS De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. V. Tom. I. pag. 292. lin. 8. Basil.: ubi nominantur οἱ ἀπὸ τοῦ Χρυσίππου: de qua locutione conf. J. FR. FISCHERI Animadverss. ad Welleri Gramm. Græc. Tom. IV. pag. 115. p. med. et G. H. SCHÆFERI Annot. ad Dionys. Halicarn. De Compos. Ver-

sequerentur, docet PLUTARCHI locus, ubi *Aristocreon* quidam, Chrysippi discipulus et familiaris, æream ei imaginem cum insigni inscriptione in columnâ posuisse perhibetur (20).

Sed omnium eorum qui Chrysippi disciplinâ utebantur vix ulli tanta fama celebritas contigit quanta duobus illis, quorum memoria disertis quoque Veterum testimoniis continetur, *Zenoni Tarsensi* ac *Diogeni Babylonio*, sive *Seleuciensi*. Ac de *Diogene* quidem, Panætii magistro, qui cum Carneade Academico et Critolao Peripatetico ab Atheniensibus Romam ad Senatum missus erat, docte exposuit auctorumque tam veterum quam recentiorum locos diligenter collegit ac dijudicavit Clar. LYNDENUS (21). *Zeno* autem, paucioribus quidem

---

bor. pag. 26. sqq. Iidem alias a GALENO dicuntur *οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον*, Op. mem. Lib. IV. pag. 279. lin. 29. Lib. V. pag. 293. lin. 48. Lib. IX. pag. 338. lin. 25., ut sponte appareat, non Chrysippum cum discipulis, sed solos Chrysippi sectatores hic esse intelligendos. Addi igitur hæc possunt iis quæ in Animadverss. ad Welleri Gramm. Græc. attulerunt FISCHERUS et KUINOELIUS Tom. IV. pag. 220.

(20) De Stoicis Repugnantiis pag. 1033. E.: *Ἀριστοκρέων γοῦν, ὁ Χρυσίππου μαθητὴς καὶ οἰκεῖος, εἰκόνα χαλκῆν ἀναστηλώσας ἐπέγραψε τόδε τὸ ἐλεγεῖον,*

Τόνδε νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκε
Τῶν Ἀκαδημιακῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Eumdem Aristocreontem, ut Chrysippi sororis filium, memorat DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 185. dicens eum cum Philocrate fratre a Chrysippo esse institutum et ad Philosophiam præparatum. Sic enim malo interpretari verbum *συγκροτεῖν*, quam *arcessere* cum MEIBOMIO. De qua significatione jam monuerunt Js. CASAUBONUS ad h. l. et ad locum ab eo e Zenone prolatum Lib. VII. segm. 32. JOACH. KUEHNIUS pag. 528.

(21) In Dissertatione De Panætio Rhodio pag. 16. et pag. 31. sq.

scriptis, at magnâ discipulorum frequentiâ nobilitatus (22), propterea potissimum hoc loco est memorandus quod non solum discipulus erat Chrysippi sed eumdem etiam ut successor in Stoicorum Scholâ excepit (23).

§. V.

Ipsum vero Chrysippum magno fuisse ingenio ac singularem quamdam habuisse in rerum naturâ earumque caussis indagandis et cognoscendis subtilitatem, nemo est, credo, qui infitietur, quandoquidem hoc non ex fragmentis tantum ad nostram memoriam servatis apparet, verum etiam e disertis Veterum testimoniis (24). Ac tantum quidem illius acumen

---

(22) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 35.: *βιβλία μὲν ὀλίγα γεγραφὼς, μαθητὰς δὲ πλείστους καταλελοιπώς.*

(23) Chrysippi *διάδοχος* diserte dicitur Suidæ, in voce *Ζήνων· Διοσκουρ.* Tom. II. pag. 9. Kust., Eusebio in Præparat. Evangel. Lib. XV. cap. 14. pag. 816. C. et *Areio Didymo* ap. eumdem Eusebium pag. 820. D. Sed hunc ipsum, neque Diogenem Babylonium, quod perperam nonnulli e Ciceronis verbis (De Divinat. I. 3.) effecerant, Chrysippo in Stoâ successisse, argumentis docuit Nobilissimus Lyndenus in Dissert. laud. pag. 14. sqq.

(24) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 179. eum dicit *οὐ τυχόντα γενόμενον κατὰ φιλοσοφίαν*, sed *ἄνδρα εὐφυῆ καὶ ὀξύτατον ἐν παντὶ μέρει* : *Damascius* autem ipsum et Aristotelem *τοὺς εὐφυεστάτους τῶν παλαιῶν γενομένους* : in Isidori Philosophi Vitâ apud Photium in Bibliothecâ, CCXLII. pag. 1035. Hoeschel. Insigne autem de eo est Ciceronis judicium, De Nat. Deor. Lib. III. cap. 10. « Chrysippus, homo sine dubio versutus et callidus; versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur; callidos autem, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit: » coll. Academ. Lib. II. cap. 24. De Finibus Lib. II. cap. 14. De Divinat. Lib. I. cap. 3. et Seneca De

fuisse perhibetur ut, quum ipse continuo perspiceret quibus quæque res argumentis niteretur, rogaret præceptorem ut, probatione omissâ, dogmata tantum sibi exponeret (25). Minime igitur mirandum esse videtur, Chrysippum non anxie se ad Sectæ suæ placita adstrinxisse, verum illud potius egisse, ut tam explicandis rebus obscuris quam incertis adcuratius definiendis animi ingeniique vires ad emendandam et magis etiam stabiliendam Stoicorum rationem conferret. Quo factum est, ut sæpius contra ipsum Cleanthem disputaret et hinc inde etiam ab illius Zenonisque placitis discederet (26).

Beneficiis Lib. I. cap. 3. pag. 264. Lips. « Chrysippus, penes quem subtile illud acumen est et in imam penetrans veritatem, qui rei agendæ caussâ loquitur, et verbis non ultra, quam ad intellectum satis est, utitur. » GELLIUS in Noct. Att. Lib. VI. cap. 2. : quos locos partim acceptos referimus FRED. CREUZERO V. Cl. qui eos apposuit ad Cic. loc. De N. D. supra laud. pag. 517. Et *acumen* quidem *Chrysippi* velut in proverbium abiisse, intelligitur e D. HIERONYMI Epistolâ XXXVII. Tom. IV. pag. 277. init. edit. Martinay. coll. AUGUSTINI Epist. XVI. Tom. II. pag. 15. F. Antwerp.

(25) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 179 : *τῷ Κλεάνθῃ πολλάκις ἔλεγε, μόνης τῆς τῶν δογμάτων διδασκαλίας χρῄζειν, τὰς δὲ ἀποδείξεις αὐτὸν εὑρήσειν.*

(26) CICERO Academ. Lib. II. cap. 47 « Quid? cum Cleanthe, doctore suo, quam multis rebus Chrysippus dissidet? » DIOGENES LAERTIUS l. l. *Χρύσιππος ἐν τοῖς πλείςοις διηνέχθη πρὸς Ζήνωνα, ἀλλὰ καὶ πρὸς Κλεάνθην.* Et *Antipater Tarsensis* (de quo vid. Jo. A. Fabricii Bibl. Gr. Tom. III. pag. 537. sq. Harl. et Lyndenus V. Cl. De Panætio pag. 33. sqq.) opus peculiare composuerat *Περὶ τῆς Κλεάνθους καὶ Χρυσίππου διαφορᾶς* : quod laudatur PLUTARCHO De Stoicis Repugnantiis pag. 1034. A. Nec tamen pervicaciâ sed veritatis studio ductum contra doctorem disputasse, manifestum est ex versibus illis :

Ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ᾽ ἀνήρ,
Πλὴν εἰς Κλεάνθην· τοῦτο δ᾽ οὐκ εὐδαιμονῶ.

§. VI.

Neque vero ingenii solum præstantiâ excelluit, sed immensæ quoque et multiplicis, quam usu et laboris assiduitate sibi paraverat, eruditionis copiâ. Et ad industriam quidem illius et eruditionem probandam vel solæ sufficerent Antiquorum mentiones, qui cum diligentissimis ac doctissimis viris qui umquam exstiterint, eum conferre non dubitant (27). Nunc vero testantur scripta fere innumera, quæ a Veteribus memorantur, tantæ illa varietatis, ut non modo omnes Philosophiæ partes (28), sed plures alias præterea doctrinas complecterentur (29): neque temere dixisse videtur VALERIUS MAXIMUS (30),

---

quos, ut frequenter ei usurpatos, adfert DIOGENES LAERTIUS l. l. Conf. etiam ATHENÆI locus not. seq. proferendus.

(27) Isidorum Philosophum *Damascius* refert dixisse, Aristotelem et Chrysippum τῶν παλαιῶν εὐφυεςάτους καὶ φιλομαθεστάτους γεγονότας, ἔτι δὲ καὶ φιλοπόνους: in illius Vitâ apud PHOTIUM in Bibliothecâ, CCXLII. pag. 1035. Hoeschel. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 180. πονικώτατον παρ' ὀντινοῦν γεγονότα. ATHENÆUS in Deipnoss. Lib. XIII. pag. 565. A. Tom. V. pag. 39. Schweigh., ubi ita de Chrysippo: Χαίρω γὰρ πάνυ τῷ ἀνδρὶ διά τε τὴν πολυμαθίαν καὶ τὴν τοῦ ἤθους ἐπιείκειαν. Conf. præterea quæ dedimus supra not. 10.

(28) Nihil ab eo in Stoicis fuisse prætermissum, auctor est CICERO De Finibus Lib. I. cap. 2. §. 6.

(29) SUIDAS in voce Χρύσιππος, Tom. III. p. 682. Kust. testatur, eum conscripsisse non *philosophos* tantum libros, verum etiam *historicos* et *grammaticos*: et CICERONI dicitur « in omni historiâ curiosus, » Tuscull. Disputatt. Lib. I. cap. 45. ab init. Conf. etiam DIO CASSIUS Lib. LXII. cap. 29. pag. 1025. fin. Reimari.

(30) Lib. VIII. cap. 845. fol. 277. Ascens. Pertinent huc etiam quæ per

studium illius in tractandis ingenii sui monumentis tantum operis laborisque sustinuisse, ut ad ea quæ scripsisset penitus cognoscenda longâ vitâ esset opus. Scripsit autem septingenta quinque volumina, ut LAERTIUS (31) refert et cum eo consentiens SUIDAS, qui librorum ab eo compositorum numerum dicit excessisse septingenarium (32). Eo igitur magis est dolendum, libros hos unius acutissimi Philosophi ad unum omnes interiisse nec nisi brevia eaque forsitan adulterata fragmenta nostram ætatem tulisse, quo ex illis, si integri exstarent, melius profecto quam ex ullius alius Stoici Philosophi monumentis cognosceremus non modo quid revera senserint Stoici de singulis rebus quæ in doctorum hominum disceptationem cadunt, verum etiam quam viam et rationem secuti quibusve artibus usi sint ad placita sua contra reliquas Philosophorum familias defendenda ab illorumque reprehensionibus vindicanda (33).

---

jocum dicta sunt a LUCIANO, Hermotim. s. De Sectis Cap. 48. Tom. IV. pag. 65. Bip. ubi Lycinus, postquam inter ipsum et Hermotimum convenerat, ad Pythagoræ, Platonis, Aristotelis præcepta percipienda viginti annis opus esse, sic pergit : *Χρυσίππῳ δέ γε οὐκ ἔτι ἐρήσομαί σε πόσα* (sc. *ἔτη θετέον ἐςί*)· *οἶδα γὰρ παρά σου ἀκούσας, ὅτι τετταράκοντα μόγις ἱκανά.*

(31) Lib. VII. segm. 180.

(32) Voce *Χρύσιππος*, Tom. III. pag. 691. sq. Kust. *Συντέταχε βιβλία πλείω ἢ ψ′, φιλόσοφά τε καὶ ἱςορικὰ καὶ γραμματικά.*

(33) Multum igitur abest, ut probemus quæ ab aliis decantata repetens durius de Chrysippi scriptis pronuntiavit JO. ALB. FABRICIUS in Bibl. Gr. Tom. III. pag. 548. Nobis placet sententia LUD. CASP. VALCKENARII, doctissimi popularis, qui ut nihil umquam scripsit nisi diligenter meditatus ita nec in hac caussâ temere judicasse videtur. Conqueritur enim interitum

§. VII.

Jam si quis consideraverit quam immensa fuerit rerum a Chrysippo tractatarum multitudo quamque admirabilis varietas (34), et si præterea perpenderit quantæ illi difficultates fuerint superandæ, ut quam a Zenone et Cleanthe accepisset doctrinam imperfectam et adversariorum vituperationibus obnoxiam, melioribus argumentis ipse firmaret ac tueretur; facile concedet fieri vix potuisse ut, quo præstitisset ingenii acumine et laboris assiduitate, eâdem præstaret orationis concinnitate et elegantiâ (35). Accedit quod cum ipsâ Stoicorum

---

Chrysippeorum operum; quæ si nobis superessent, intellecturos nos esse ex illis quam multa Cicero derivasset in opera sua philosopha. Diatribâ De Euripidis Fragmm. pag. 28. Nec dubium profecto est, quæ De Legibus primo ac De Finibus tertio libro disputat Cicero ea integra fere e Chrysippo esse desumta. Vid. Jo. Aug. Goerenzius in Introductione ad libros De Legibus pag. XXV. sqq. et ad Lib. II. cap. 13. §. 32. pag. 152. Idem ad Lib. IV. De Finibus cap. 11. pag. 454. alias.– Ceterum tanta fuit Chrysippi apud posteros quoque auctoritas, ut scripta ejus non lectitarentur tantum assidue ab adolescentibus, Arrianus Epictet. Dissertatt. Lib. II. cap. 16. §. 34. p. 261. Schweigh., sed in scholis etiam a magistris explicarentur: Arrianus Op. mem. Lib. III. cap. 21. §. 7. pag. 834. Schw. et ipsius Epicteti Manuale Cap. XLIX. Tom. III. pag. 58. ubi e Codice Paris. pro Χρύσιππον legendum est τὸ Χρυσίππειον, *pensum ex Chrysippo*, monente Jo. Schweighæusero ad h. l. pag. 166.

(34) Τοῖς πράγμασι πλεονάσαντα, *rerum copiâ et ubertate abundantem* eum dicit Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 180.

(35) Idem ibidem eum dicit τὴν λέξιν οὐ κατορθώσαντα. Chrysippum parum curasse sermonis nitorem et puritatem, ex plurimis Veterum locis constat, Grammaticorum cum maxime qui sæpius eum hoc nomine reprehendunt.

disciplinâ durities quædam et asperitas arcte erant conjun-

PHRYNICHUS in Eclogg. pag. 181. 311. LOBECKII, qui ipse conferatur ad Epitomam pag. 350. PHAVORINUS col. 1393. lin. 45. Præcipue autem memorandi sunt duo loci simillimi elegantissimorum in hoc genere judicum, CICERONIS De Oratore Lib. I. cap. 11. extr.: « Videmus iisdem de rebus jejune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse, neque ob eam rem Philosophiæ non satisfecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte alienâ facultatem. » et DIONYSII HALICARN. De Compositione Verbor. pag. 5. lin. 24. Sylburg. pag. 68. Schæf.:– *καὶ οἱ τὴν φιλοσοφίαν ἐπαγγελλόμενοι καὶ τὰς διαλεκτικὰς ἐκφέροντες τέχνας, οὕτως εἰσὶν ἄθλιοι περὶ τὴν σύνθεσιν τῶν ὀνομάτων, ὥστε αἰδεῖσθαι καὶ λέγειν. ἀπόχρη δὲ τεκμηρίῳ χρήσασθαι τῷ λόγῳ Χρυσίππου τοῦ Στωϊκοῦ. περαιτέρω γὰρ οὐκ ἂν προβαίην· τούτου γὰρ οὔτε ἄμεινον οὐδεὶς τὰς διαλεκτικὰς τέχνας ἠκρίβωσεν, οὔτε χείρονι ἁρμονίᾳ συνταχθέντας ἐξήνεγκε λόγους τῶν ὀνόματος καὶ δόξης ἀξιωθέντων.* Quod si in laudato Ciceronis loco HARLESIUS ad Fabricii Bibl. Gr. Tom. III. pag. 547. tacite corrigens legit «neque ob eam rem philosophiæ satisfecisse», omissâ particulâ *non;* infelicem esse hanc emendationem appareret ex eodem CICERONE De Finib. Lib. I. cap. 5. «A Philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner; si non habeat, non admodum flagitem.» Ceterum, si GALENO fides est habenda, nec ipse Chrysippus hoc suum vitium celabat. Ita enim ille loquitur, De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. III. Tom. I. pag. 272. lin. 7. sqq. Basil.: *Ἐγὼ δ᾽ ὧν μὲν καὶ αὐτὸς ὁ Χρύσιππος ᾔσθετο περιττῶς εἰρημένων ὑφ᾽ ἑαυτοῦ καὶ τάχ᾽ ἂν τῳ δοξάντων, ὡς αὐτός φησιν, ὑπὸ γραμματιστοῦ τινος ἢ γραὸς ἀδολεσχούσης εἰρῆσθαι, βέλτιον ᾤμην εἶναι μηδ᾽ ὅλως μνημονεύειν.* Nec ab obscuritatis vitio liberum fuisse Chrysippum intelligitur ex ARRIANI Dissertatt. Epicteteis Lib. I. cap. 17. §. 13. Tom. I. pag. 93. sq. et ipsius EPICTETI Enchiridio Cap. XLIX. Tom. II. pag. 57. Schweigh. Add. SENECA De Beneficiis Lib. I. cap. 4. pag. 265. Lipsii. et præcipue GALENI locus §. VIII. not. 39. apponendus. *Spinæ* Cleanthis et *contorta* Chrysippi memorantur etiam D. HIERONYMO, Apolog. Advers. Rufin. Lib. I. Tom. IV. col. 385. edit. Martinay. Logicis tamen scriptis elaborandis majorem adhibuisse videtur diligentiam, siquidem verum prædicat VALERIUS MA-

4.

ctæ (36); quas nec Panætius deinde ac Posidonius evitassent nisi a suæ familiæ ratione aliquantum discedentes ad Socraticam potius disserendi elegantiam et venustatem, Peripateticis illam et Academicis propriam, se retulissent (37). Cum autem Chrysippi tempore maximæ essent inter Stoicos et Academicos discordiæ cumque Academici impugnare et penitus evertere conarentur Stoicorum rationem, quod a Panætio et Posidonio factum est, id vix tum quidem a Chrysippo fieri potuisset, si eodem quo illi, fuisset pulchri sensu a naturâ præditus.

§. VIII.

Quod si quis quærat cur tam multa scripserit Chrysippus, hujus rei tres potissimum caussas indicat DIOGENES LAERTIUS, primam, quod sæpius de eodem argumento scribere adgre-

---

XIMUS Lib. VIII. cap. 854. fol. 277. Ascens. « Octogesimo anno coeptum ante quadragesimum λογικῶν exactissimæ subtilitatis volumen reliquit Chrysippus. »

(36) CICERO De Oratore Lib. III. cap. 18. « Stoici orationis genus habent, fortasse subtile, certe acutum : sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum, ac totum ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possis. » Brut. Cap. 31. « Stoicorum adstrictior est oratio aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt. » De Finibus Lib. IV. cap. 28. « Horridiores evadunt Stoici, asperiores, duriores et oratione et moribus. » Conf. ibid. Lib. IV. cap. 4.

(37) Hoc autem factum ab iis esse egregie docuerunt Duumviri doctissimi LYNDENUS et BAKIUS, ille in Dissertatione De Panætio pag. 59. sqq., hic in Posidonii Rhodii Reliquiis Doctrinæ pag. 24. sqq. et pag. 30. sqq.

deretur et quæ scripsisset, postea sæpe corrigeret, alteram, quod de omnibus rebus scriberet in quas incidisset, tertiam, quod magnam testimoniorum copiam scriptis suis adponeret (38). Et primum quidem tam ex ejus fragmentis et librorum titulis apparet quam ex ipsâ rei naturâ, qua fieri aliter non potuit quam ut in tantâ scriptorum multitudine plura exciderent festinantius perscripta et adumbrata solummodo, in quibus deinceps multa emendanda, adcuratius determinanda aut limanda reperiret. Quam rem alio loco (39) diserte

---

(38) Lib. VII. segm. 180. Ἐπλήθυνε δὲ τὰ συγγράμματα, πολλάκις ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ δόγματος ἐπιχειρῶν, καὶ πᾶν τὸ ὑποπεσὸν γράφων καὶ διορθούμενος πλεονάκις· πλείστῃ τε τῶν μαρτυριῶν παραθέσει χρώμενος.

(39) Lib. X. segm. 27. Πολλάκις ταὐτὰ γέγραφε Χρύσιππος, τῷ μὴ ἐπελθεῖν· καὶ ἀδιόρθωτα ἔλιπε τῷ ἐπείγεσθαι. Legimus enim ἔλιπε pro vulg. εἶλκε, probantes JOACH. KUHNII emendationem ad hunc locum propositam pag. 545. Neque vero quod altero loco Noster dicitur ἀδιόρθωτα sua scripta reliquisse, altero ea πλεονάκις διορθοῦσθαι, hæc sibi adversantur, ut nonnulli crediderunt. Illud enim de eo tempore dictum solummodo videtur, quo primum scripta vulgaverit, ut nihil impediret quin postea, ubi in eamdem materiam incidisset, ea corrigeret et emendaret quæ prius ἀδιόρθωτα reliquisset. Pertinet huc etiam GALENI locus insignis, ubi Chrysippo exprobratur obscuritas cum intempestivâ quadam brevitate conjuncta. De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. III. Tom. I. pag. 268. lin. 3. Basil. Καίτοι τήν γε συντομίαν οὐδὲ καθ' ἕνα τῶν ἑαυτοῦ λόγων ἐζήλωκεν, ἀλλ οὕτω μακρός ἐστιν, ὡς πολλάκις ἐν ὅλῳ βιβλίῳ πολυειδῶς ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἄνω τε καὶ κάτω τοὺς λόγους ἑλίττειν. Τὸ μὲν δὴ τῆς ἀσαφείας αὐτῷ σύνηθες, ἀσθενείᾳ τῆς ἑρμηνευτικῆς δυνάμεως ἑπόμενον, καί μοι δοκεῖ καὶ αὐτὸς αἰσθανόμενος αὐτῆς, τρὶς καὶ τετράκις ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐπὶ πλεῖστον ἐκτείνειν τοὺς λόγους οὐκ ὀκνεῖ· τὸ δὲ τῆς βραχυλογίας ἀηθές τε καὶ σπανίως ὑπ' αὐτοῦ γιγνόμενον, ἐν οἷς ἂν μάλιστα λόγοις ἄφυκτον αἰσθάνεται τὸ σφάλμα τῶν ἑαυτοῦ δογμάτων. Conferatur præcipue Ejusd. Op. Lib. II. pag.

testatur idem DIOGENES LAERTIUS. Ad alterum, ut de omnibus scriberet quæ sibi occurrissent, cum suâ ipse ingenii alacritate impulsus esse videtur tum æmulatione Epicuri, a quo cum noluisset scriptorum multitudine superari, tantum usque reposuit quantum Epicurus volumen edidisset (40). Ad testimoniorum denique frequentiam quod attinet, negari nequit Chrysippum illà sic esse abusum, ut justæ vituperationis locum daret adversariis. Sæpius enim cum res obscure enuntiatæ argumentis essent probandæ, his neglectis, ad exempla ex Historiâ desumta aut ad Poëtarum locos confugit in iisque adferendis adquiescendum sibi esse existimavit: tantumque in eo fuit hoc citandi studium, ut interdum integra fere aliorum opera suis scriptis insereret (41). Hinc factum est ut et

---

253. lin. 33. *Χρυσίππῳ μὲν γὰρ καὶ τοῦτο φίλον, οὐ δὶς ἢ τρὶς, ἀλλὰ καὶ τετράκις, ἐνίοτε καὶ πεντάκις ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἐν διαφερούσαις πραγματείαις διέρχεσθαι· φυλάξαιτο δ' ἄν τις αὐτὸ τῶν χρόνου φειδομένων.* Et propterea potissimum difficile esse veram ejus sententiam assequi et de scriptis illius judicare, queritur idem GALENUS Op. mem. Lib. IV. pag. 275. lin. 18.:– *εἰ μὲν οὖν ἀεὶ τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ὁ Χρύσιππος ἔγραψε, καὶ μὴ διεφέρετο πρὸς αὐτὸν ἐν τοῖς πλείστοις δόγμασιν ἐπαμφοτερίζων, οὐδ' ἂν ἐμοὶ μακρὸς ὁ τῆς ἀντιλογίας ἐγίνετο λόγος· ἐπεὶ δ' ἄλλοτε ἄλλα περὶ τῶν αὐτῶν εὑρίσκεται γράφων, οὐκέτι ῥᾴδιον οὔτε τὴν γνώμην ἑρμηνεῦσαι τἀνδρὸς, οὐθ' ὅπῃ σφάλλεται δεικνύναι.*

(40) DIOGENES LAERTIUS Lib. X. segm. 26. *Ἐζήλου δὲ αὐτὸν (Ἐπίκουρον) Χρύσιππος ἐν πολυγραφίᾳ· καθά φησι Καρνεάδης, παράσιτον αὐτοῦ τῶν βιβλίων ἀποκαλῶν. εἰ γάρ τι γράψαι ὁ Ἐπίκουρος, ἐφιλονείκει τοσοῦτο γράψαι ὁ Χρύσιππος.* Ceterum de acerrimo, quo Chrysippus tenebatur, scribendi studio conferendus quoque est locus PLUTARCHI, qui eum dicit, *ὅ, τι ἂν ἐπέλθῃ λέγοντα*, De Stoicis Repugnantiis pag. 1047. B.

(41) Ita, cum totam fere Euripidis Medeam libro cuidam inseruisset et qui in manibus librum haberet interrogatus esset, quidnam eo contineretur,

multi sæpe hoc nomine eum reprehenderent (42) et *Apollodo-*

---

illum reposuisse : *Chrysippi Medeam*, refert DIOGENES LAERTIUS. Lib. VI. segm. 181. Hoc Poëtas, Euripidem maxime imitandi studium in Chrysippo obiter etiam notarunt LUD. C. VALCKENARIUS in Diatriba De Fragmm. Euripid. pag. 28. sq. rursus in Annotationibus ad Euripidis Hippolytum vs. 253. pag. 190. 2. E. vs. 322. pag. 298. 2. B. DAN. WYTTENBACHIUS V. Cl. ad Plutarch. De Sera Numinis Vindicta pag. 18. ac denuo ad Moralia Tom. I. pag. 296. sq. ubi laudat Plutarchum De Stoic. Rep. pag. 1043. E. 1044. B. F. et A. Gellium Lib. V. c. 16. Insigne item exemplum Euripidis versuum a Chrysippo insertorum habes apud PSEUDO-PLUTARCHUM De Nobilitate, in Jo. Christ. Wolfii Anecdotis Græcis P. II. p. 242. sq. in edit. Wyttenbachii Vol. V. pag. 964. sq.

(42) GALENUS De Hippocrat. et Platon. Decret. Lib. III. pag. 265. lin. 34. Basil. ubi plures poëtarum locos adfert quibus usus sit Chrysippus ut doceret animum sedem in corde habere : sed antea eum sic appellat : Οὐ μὴν τοῦτο γ' ἦν σοι τὸ ἀμφισβητούμενον, ὦ φίλτατε Χρύσιππε, εἰ τὸ θυμούμενον τῆς ψυχῆς ἐν καρδίᾳ κατῴκισαι, ἀλλ' εἰ τὸ λογιζόμενον, ὅπερ ἐχρῆν ἀποδείξαντα, μὴ πολλὰ κάμνειν ὑπὲρ τοῦ θυμουμένου, μηδ' ἐμπιπλάναι τὸ βιβλίον ἐπῶν ποιητικῶν, ὧν ἐφεξῆς γράφεις ὧδε· κ. τ. λ. IDEM ibid. Lib. V. pag. 296. lin. 28. Bas. ubi postquam exemplo e Platone desumto ostendisset quomodo poëtarum versibus sit in prosâ oratione utendum, ita pergit : ἠβουλόμην δ' ἂν καὶ τὸν Χρύσιππον ἀνεγνωκέναι τε τὴν ῥῆσιν αὐτοῦ, προσεσχηκέναι τε τὸν νοῦν αὐτῇ. πάντως γὰρ ἄν τι καὶ αὐτὸς ὤνητο, μαθὼν ὁπηνίκα τε προσήκει καλεῖν Ὅμηρον μάρτυρα καὶ περὶ τίνων πραγμάτων. οὔτε γὰρ ἐν ἀρχῇ τῶν λόγων, ἀλλ' ἐπειδὰν ἱκανῶς ἀποδείξῃ τις τὸ προκείμενον, ἀνεπίφθονον ἤδη καὶ τοὺς πρεσβυτέρους ἐπικαλεῖσθαι μαρτυρήσοντας, οὔτε περὶ πραγμάτων ἀδήλων παντάπασι, κ. τ. λ. Similia sæpius leguntur apud EUMDEM in eodem opere, ut pag. 267. lin. 9. 48. pag. 268. lin. 29. pag. 268. fin. et sq. pag. 270. lin. 10. pag. 274. lin. 40. sqq. pag. 282. lin. 20. Præcipue huc pertinet locus e Libro II. pag. 253. lin. 23 : τὰ γὰρ ἰδιωτικά τε καὶ ῥητορικὰ λήμματα αἰδοῦνται παραλαμβάνειν εἰς ἀποδείξεις ἐπιστημονικὰς, ὧν πέπλησται τὰ Χρυσίππου βιβλία, ποτὲ μὲν ἰδιώτας ἐπικαλούμενα μάρτυρας ὧν ὑποτίθεται λημμάτων· ἔστι δὲ ὅτε ποιητὰς ἢ τὴν βελτίστην ἐτυμολογίαν, ἤ τι ἄλλο τοιοῦτον, ἃ περαίνει μὲν οὐδὲν, ἀναλίσκει δὲ καὶ κατατρίβει

rus Atheniensis, pro Epicuri diligentiâ et eruditione propugnans, ei exprobrare non dubitaret: si quis quæ aliena essent de illius libris sustulisset, vacuam illi chartam relictum iri (43). Sed duriorem esse hanc exprobrationem nemo erit qui diffiteatur. Poterat sane quod modum eâ in re excederet, reprehendi Chrysippus, neque vero quod philosophas disputationes versibus admiscendis exhilarare et veterum historiarum memoriâ illustrare studeret: quod ubi cum delectu fit et elegantiâ, miram conciliat orationi suavitatem et laudem haud vulgarem scriptori: qua laude doctissimi quique Antiquorum, in primisque elegantissimus omnium Plato, maxime floruerunt.

§. IX.

Proximum est, ut ætatem Chrysippi definiamus: qua de re auctores inter se dissentiunt. LUCIANUS enim dicit vixisse eum annos unum et octoginta (44); et similem traditionem secutus

---

μάτην ἡμῶν τὸν χρόνον, αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐνδεικνυμένων αὐτοῖς, ὡς οὐκ ἐςιν ἐπιςημονικὰ τὰ τοῦ συμπεράσματος λήμματα. Sed sufficiat unum *Diogeniani Peripatetici* locum ex EUSEBIO addidisse, in Præparat. Evangel. Lib. VI. cap. 8. pag. 263. A. B. Ille enim cum allatis Homericis versibus docuisset, non cepisse Chrysippum Homeri de Fato sententiam, adjicit: *ὥς' οὐχ ὅπως σύμψηφον ἂν ἔχοι τὸν Ὅμηρον ἐν τῷ πάντα καθ' εἱμαρμένην γίνεσθαι νομίζειν· ἀλλὰ καὶ ἐναντιούμενον, εἴ γε ἐκεῖνος μὲν ὅτι πολλὰ γίνεται παρ' ἡμᾶς σαφῶς καὶ πολλάκις εἴρηκε, τὸ δ' ὅτι κατὰ ἀνάγκην πάντα συμβαίνει, οὐδαμοῦ ῥητῶς λέγων ἂν εὑρεθείη.* Conf. præterea AUG. FERD. NAEKIUS V. D in libro De Choerili Samii Fragmentis, Lipsiæ, 1817. 8. pag. 213. sqq. et pag. 236. sq.

(43) Apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 181.

(44) In Longævis Cap. 20. Tom. VIII. pag. 126. Bipont.

esse videtur Valerius Maximus, cum narraret octogesimo tandem anno perfectam ab eo Logicam esse quam ante quadragesimum inchoasset (45). Sed major eâ in re fides habenda erit *Apollodoro* ac *Suidæ,* quippe qui de industriâ de eâ loquantur et quorum testimonia egregie congruant cum verbis *Anonymi auctoris* in Descriptione Olympiadum. Hic enim ad Olymp. CXXV. ann. 1. cum archon Athenis esset Gorgias, monet natum esse eo anno Chrysippum (46). Nunc *Apollodorus* in Chronicis prodit apud Diogenem Laertium (47), Chrysippum vixisse annos tres et septuaginta, mortuum autem esse Olympiade CXLIII; quâ in re Suidam quoque habet consentientem (48). Quæ igitur cum contulerimus, apparebit Chrysippum attingere octogesimum annum non potuisse, sed ad summum pervenisse ad septuagesimum tertium. Vera autem hæc esse, cum difficilior omnino sit earum rerum dijudicatio, equidem non affirmaverim; probabiliora certe esse videntur et a recentioribus plerisque temporum scrutatoribus comprobata (49).

---

(45) Lib. VIII. cap. 854. Ascens. quem locum supra laudavimus not. 35.

(46) Quem librum cum ipsis nobis inspicere non licuisset, laudavimus ex Jo. Meursii Lectionibus Atticis Lib. IV. cap. XXVII. (in Thesauro Gronov. Tom. V. pag. 1882).

(47) Lib. VII. segm. 184.: *ἀπελθεῖν ἐξ ἀνθρώπων, τρία καὶ ἑβδομήκοντα βιώσαντα ἔτη κατὰ τὴν τρίτην καὶ τετταρακοστὴν καὶ ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα.* Sic enim, cum *centenarius* numerus in textu antea defuisset, legendum monuit jam Meursius in Lectionibus Atticis l. l. et post eum Jac. Palmerius Exercitatt. in Auctores Græcos pag. 457. itemque Menagius ad hunc Laërtii locum pag. 339. et G. J. Vossius De Historicis Græcis Lib. I. cap. 17. pag. 113.

(48) Voce *Χρύσιππος*, Tom. III. pag. 692. Kust.

(49) Eduardus Corsinus in Fastis Atticis Tom. IV. pag. 80. Chrysippi

§. X.

Atque hæc fere sunt quæ de Chrysippi Vita et Rebus memorabilia ad nostram notitiam prodiderunt Antiqui. Restat, ut his alia quædam adjiciamus quæ, licet ficta ex parte aut incerta saltem et dubia esse ideoque minus ad rem pertinere videantur, non tamen omnino esse hoc loco prætermittenda existimavimus. Quoniam autem in ipsis Veterum libris confuse aut obiter narrentur nec ullo modo inter se contineantur, fieri non potest, ut certum quemdam ordinem servemus. Promiscue igitur ea referamus.

Ac primum quidem Lucianus, ut ingeniosus ita malitiosus Philosophorum obtrectator, avaritiam exprobrat Chrysippo. Nam in Vitarum Auctione (50), instituto jocoso inter Chrysippum et Emtorem colloquio dicentem illum facit, fœnerari Sapientem decere nec usuras modo sed usurarum quoque alias usuras capere, item sapientiæ nomine mercedes ab adolescentibus sumere. Et postremum hoc reverâ et jure fecisse non Chrysippum solum, sed Zenonem et Cleanthem, memorat etiam Quinctilianus (51).

---

diem natalem refert ad Olympiad. CXXIV, 3/4, hoc est U. C. 473. ante Chr. 279; obitum vero ad Olymp. CXLIII, 4/1, hoc est U. C. 546. ante Chr. Conf. Ed. Simsonius Chronic. pag. 1114 et pag. 1303. sq. Wesseling. Sethus Calvisius in Opere Chronologico, Francof. 1650. fol. pag. 350. Dionys. Petavius De Doctrinâ Temporum Tom. II. pag. 343 et 348.

(50) Cap. 23 et 24. Tom. III. pag. 108. sq. Bipont.

(51) Institutt. Orator. Lib. XII. cap. 7. §. 9.

Narrantur alia, unde conjicere quis facile possit arrogantem fuisse Chrysippum aut saltem nimio sui amore et admiratione captum (52). Sed maximâ ex parte hæc explicanda sunt e Stoicorum tam disciplinæ severitate quam peculiari quodam res miras ac singulares (παράδοξα) proferendi studio.

Ita Diogenes Laertius perhibet, cum reprehensus esset a quodam quod apud Aristonem cum multis se non exerceret, respondisse : Si ad multos me applicarem, non philosopharer (53); item cum interrogatus a quodam esset, cui filium daret in disciplinam, dixisse: Mihi: nam si quemquam me præstantiorem nossem, ipse eo moderatore philosophiæ operam darem; unde dictum de eo esse:

Οἶος πέπνυται, τοὶ δ' ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι (54).

---

(52) Conf. Jo. Frid. Richter De Chrysippo Stoico Fastuoso, Lipsiæ 1733. 4.

(53) Lib. VII. segm. 183. Ὀνειδισθεὶς ὑπό τινος, ὅτι οὐχὶ παρὰ Ἀρίστωνι μετὰ πολλῶν σχολάζοι, Εἰ τοῖς πολλοῖς, εἶπε, προσεῖχον, οὐκ ἂν ἐφιλοσόφησα. Est vero argutum et ingeniosum hoc responsum, quoniam verbis ludens pro πολλοῖς dixit τοῖς πολλοῖς, *vulgaribus philosophis, philosophorum plebi* (Vid. de hac Articuli potestate Dan. Wyttenbachius V. Cl. ad Plutarchi Moralia Tom. I. pag. 377. Ph. Car. Hessii Observationes Criticæ in Plutarchi Vitam Timoleontis pag. 101. et præcipue Godofr. Henr. Schæferi V. D. Meletemata Critica P. I. pag. 3.), significans rariores esse qui vere philosopharentur: quod in Constitutione quadam dixerat etiam *Antoninus Pius* Imperator: Φιλοσόφων οὐκ ἐτάχθη ἀριθμὸς, διὰ τὸ σπανίους εἶναι τοὺς φιλοσοφοῦντας: quæ ejus verba nobis servavit Modestinus JCtus in Lege 6. §. 7. Digest. De Excusationibus (Lib. XXVII. Tit. I.).

(54) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 183. Est autem hic versus Homericus desumtus ex Odysseâ X. 494. sq. ubi ita dicitur de Tiresiâ vate:

Item superbiæ ejus tribuunt quod cum tam multa scripsisset, nulli umquam Regi librum inscripserit: ὅτι τοσαῦτα συγγράψας, οὐδενὶ τῶν βασιλέων προσπεφώνηκεν (55). Neque consectatum eum esse

---

Τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια,
Οἴῳ πεπνῦσθαι· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

quem locum multi deinceps in suum usum converterunt, ut PLATO De Republicâ Lib. III. cap. 1. pag. 386. D. Steph., ubi ASTIUS in Commentario pag. 440. perperam amandat ad Iliad. XXII. 262. PLUTARCHUS in Regum et Imperatorum Apophthegmm. pag. 200. A. Tom. I. p. 794. Wyttenb. IDEM in Vitâ Catonis Majoris extr. Tom. III. pag. 283. Schæf.: quo utroque loco hæc de Scipione dixisse perhibetur Cato; itemque in tertio hoc, Præcept. Gerendæ Reipublicæ pag. 805. A. Tom. IV. pag. 230. Wyttenb. BASILIUS MAGNUS in Oratione De Legendis Græc. Libr. pag. 59. Sturzii: aliique plures. Ceterum continere me nequeo quin commemorem, hoc loco etiam DAN. WYTTENBACHIUM esse usum in aureo illo libro, cujus lectione tantopere delector, De Vitâ Ruhnkenii pag. 246. ubi Ruhnkenium dicit, quum quæsitum esset, quantum de Literis mereret Villoisonus, ita respondisse: Est sane doctissimus juvenis Villoisonus; sed oportebat eum ad nos venire, meâque et Valckenarii disciplinâ uti.

(55) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 185. Notandum autem est h. l. verbum προσφωνεῖν, quod apud posteriores auctores sæpius habet vim *librum aliquem alicui inscribendi, dicandi, nuncupandi,* ut apud ipsum DIOGENEM Lib. IV. segm. 38. ubi vid. MENAGIUS pag. 178. ap. PLUTARCHUM Adversus Colotem pag. 1107. E. Κολώτης βιβλίον ἐξέδωκεν, ὃ Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ προσπεφώνηται. CICERONIS Epistol. ad Atticum Lib. XV. ep. 13. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus προσφωνοῦμενque Ciceroni: item apud Sacros Scriptores, III. Esdr. IV. 14. eâdemque significatione usurpatur προσφώνησις PLUTARCHO in Vitâ Tiberii Gracchi Cap. 8. Tom. VII. pag. 10. Schæf. Βλόσσιος ὁ φιλόσοφος Ἀντιπάτρου τοῦ Ταρσέως γεγονὼς ἐν ἄστει συνήθης, καὶ τετιμημένος ὑπ' αὐτοῦ προσφωνήσεσι γραμμάτων φιλοσόφων: ac CICERONI in Epist. ad Atticum Lib. XIII. ep. 12.

Principum benevolentiam, inde quoque manifestum est quod, cum literis a Cleanthe petiisset Ptolemæus ut vel ipse ad eum veniret vel quempiam e discipulis mitteret, Chrysippus ut proficisceretur commoveri non poterat sed Sphærus Bosporanus ad hoc munus explendum erat eligendus (56). Ac de Sphæro hæc res ex ATHENÆO quoque nota est, qui eum dicit τὸν συσχολάσαντα μὲν Χρυσίππῳ παρὰ Κλεάνθει, μετάπεμπτον δὲ γενόμενον εἰς Ἀλεξάνδρειαν ὑπὸ τοῦ βασιλέως Πτολεμαίου (57).

Porro cum dialecticum aliquando contra Cleanthem insurgere vidisset eique fallaces conclusiunculas proponentem, Desine, inquit, grandiorem a rebus gravioribus abducere, sed nobis junioribus hæc proponito (58); et alio tempore, ubi quis seorsim sedato animo de re aliquâ cum eo disceptarat sed accedentem deinde turbam conspiciens contendere cœperat, ei acclamavit:

Οἴμοι κασίγνητ' ὄμμα σὸν ταράσσεται·
Ταχὺς δὲ μετέθου λύσσαν ἀρτίως φρονῶν (59).

---

(56) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 185.

(57) Lib. VIII. cap. 50. pag. 354. E. Tom. III. pag. 307. Schweigh. Ejusdem Sphæri mentio occurrit apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 37. 159. Lib. IX. segm. 15. et apud CICERONEM in Tuscull. Disputatt. Lib. IV. cap. 24. ejusque itineris Alexandrini apud eumdem DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 177. ubi de ejus Vitâ et Scriptis deditâ operâ exponit. Conf. etiam ad h. l. MENAGIUS pag. 337.

(58) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 182.

(59) DIOGENES LAERTIUS l. l. Versus autem sunt ex EURIPIDIS Oreste v. 253. (v. 243. Matth.); ubi pro ἀρτίως φρονῶν legitur ἄρτι σωφρονῶν : quod

Ad domesticam Chrysippi vitam quod attinet DIOGENES LAERTIUS ex *Demetrii* Homonymis narrat, unâ eum aniculâ fuisse contentum (60); quæ eadem, auctore *Diocle*, dixisset quingentos illum versus quotidie scribere consuevisse (61); item, ut aliunde refert DIOGENES, Chrysippi sola crura inebriari, quoniam in potationibus, ceteroquin tranquillus, crura tantummodo agitasset (62).

Ut ad inventionem sufficeret, ter helleboro animum detersisse scribit T. PETRONIUS (63), et simile quid de aliis philosophis narratur, veluti de Carneade (64). Sed quoniam hæc

---

idem in Laertii loco restituendum putat Is. CASAUBONUS. Ceterum iisdem his versibus eleganter usus est Summus WYTTENBACHIUS in Vitâ Ruhnkenii pag. 247.

(60) Lib. VII. segm. 185. Eamdem tetigisse videtur Chrysippus in fragmento Commentarii De Jove; quod profert PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1061. A. Vid. etiam ad Laertii locum MENAGIUS. De Ejus frugalitate testatur etiam *Ælianus* Var. Hist. apud Jo. STOBÆUM, Sermon. XVII. pag. 158. lin. Tigur.

(61) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 182.

(62) Lib. VII. segm. 183.

(63) In Satyric. Cap. 88. Conf. LUCIANUS in Vitarum Auctione Cap. 23 et 24. Tom. III. pag. 108. sq. Bip. et TERTULLIANUS De Animâ cap. VI. pag. 268. B. edit. Paris.

(64) AUL. GELLIUS Lib. XVII. cap. 16. VALERIUS MAXIMUS Lib. VIII. cap. 849. fol. 276. Ascens. D. AUGUSTINUS Contra Cresconium Donatistam Lib. I. cap. 24. Tom. IX. col. 273. C. Antwerp. coll. JAC. BRUCKERI Hist. Crit. Philosoph. Tom. I. pag. 979.

res et latius patet et minus pertinere huc videtur, in indicandis potioribus locis, ubi adcuratius de hoc hellebori usu agitur, nos continebimus (65).

De mortis genere alii alia tradunt; quæ si non omnino commenticia sunt, speciem certe fabulæ præ se ferunt. Diogenes Laertius (66) eum ex *Hermippo* narrat, cum otiaretur in Odeo (67), a discipulis ad sacrificium esse vocatum ibique cum dulci mero hausto vertigine esset correptus (68), quinto die vitâ excessisse (69): unde hoc in eum esse epigramma:

---

(65) Interpretes ad laud. Gellii locum; item ad Petronium l. l. Georg. Erhardus et Boschius pag. 425. edit. Burm. Conf. etiam Anut. Foesii OEconomia Hippocratis pag. 123. et Henr. Stephani Thesaurus Linguæ Græcæ, Append. col. 849. sq. Ceterum ex hoc usu hujus plantæ originem duxit verbum ἐλλεβορίζειν, *helleboro purgare*, quod de iis usurpatum esse videtur qui aut non sanæ mentis erant aut ingenii infirmitate laborabant. Demosthenes Pro Coronâ pag. 258. init. Reiskii, Plutarchus Vitâ Alexandri M. Cap. XLI. Tom. VI. pag. 228. Schæf.

(66) Lib. VII. segm. 184.

(67) Suidas voce Ὠιδεῖον, Tom. III. pag. 752. Kust. Jo. Meursius in Ceramico Gem. Cap. XI. Idem in Panathen. Cap. X. et J. J. Barthelemius in elegantissimo opere quod inscribitur Voyage du Jeune Anacharsis en Grèce, Cap. XII. not.

(68) Suidas voce Χρύσιππος, Tom. III. pag. 692. Kust. hæc tantum dicit, mortuum esse ὑπὸ τοῦ πιεῖν ἄκρατον καὶ ἰλιγγιάσαι: et jure suspicari videtur Menagius ad Laërtii l. l., vocem γλυκὺν aliunde in hunc locum irrepsisse.

(69) Ἀπελθεῖν ἐξ ἀνθρώπων, notanda loquendi formula. Similiter Noster supra dixit in Vita Platonis Lib. III. segm. 6. Σωκράτους δ' ἀπελθόντος προσεῖχε

Ἰλιγγίασε βάκχον ἐκπιὼν χανδὸν
Χρύσιππος, οὐδ' ἐφείσατ' οὐδὲ τῆς Στοᾶς,
Οὐδ' ἧς πάτρης, οὐ τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἦλθε δῶμ' ἐς Ἀΐδεω.

Alii dicunt ridentem eum exspirasse: cum enim asinus ficus ejus manducasset, jussisse aniculam, Merum asino insuper sorbendum daret, effusumque in cachinnos exhalasse animam (70). Sed posterius hoc moriendi genus fabulosum esse,

---

Κρατύλῳ κ. τ. λ., ubi conferenda est Is. CASAUBONI Annotatio. HENR. STEPHANI Thesaur. Linguæ Gr. in voce *ἀπελεύθω*, Append, col. 483. B, Sic MENANDER dixerat in Suppositio,

Τοῦτον εὐτυχέστατον λέγω,
Ὅστις θεωρήσας ἀλύπως, Παρμένων,
Τὰ σεμνὰ ταῦτ' ἀπῆλθεν, ὅθεν ἦλθεν ταχύ.

et aliquot versibus interjectis,

Ἂν πρῶτος ἀπέλθῃς, καταλύσεις σὺ βελτίον,
Ἐφόδι' ἔχων ἀπῆλθες, ἐχθρὸς οὐδενί.

Quem locum servavit Jo, STOBÆUS in Florilegio Tit, CXXII, pag. 608. et in suam Collectionem retulit Jo. CLERICUS pag. 184. sq. Eâdem ratione dicitur *εἰς τὸ χρεὼν ἀπελθεῖν* s. *ἀπιέναι* : de quo exquisito dicendi genere vid. Summus WYTTENBACHIUS in Animadverss. ad Plutarchi Moralia Tom. II. pag. 753. sq. Neque vero huc trahendus est, ut nonnulli crediderunt, locus Evang. JOANNIS XVI. 7. *Συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω* : ubi sermo est de Ascensione in Cœlum, quod intelligitur etiam ex D. PAULI Epist. ad Ephesios IV. 8. et ex I. PETRI III. 22.

(70) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 185.

vel inde intelligitur quod idem pluribus iisque nobilioribus Antiquitatis viris evenisse narratur (71).

§. XI.

Imaginem Chrysippi Athenis in Ceramico collocatam fuisse auctor est DIOGENES LAERTIUS (72); quæ imago cum sedentis esset (73), non mirum eam occultam fere esse ab equite vicino (74), neque effici hinc potest tenui fuisse corpusculo Chrysippum (75). Ceterum eam ob caussam Χρύψιππον a Carneade esse appellatum, idem LAERTIUS tradit (76). Habebat au-

---

(71) MENAGIUS ad Diogenem Laërtium l. l. pag. 339. ex *Tertulliano* (De Animâ Cap. LII. pag. 302. C. edit. Paris.) et *Verrio Flacco* (apud Festum De Verbor. Signif. Lib. XIV. pag. 345. Dacier.) docet, Antiquos tradidisse Crassum quoque et Zeuxidem pictorem risu suffocatos mortuos esse. Maxime autem memorabilis est locus LUCIANI, ubi quæ de Chrysippo a Laërtio, eadem iisdem fere verbis de Philemone Comico narrantur: Φιλήμων ὁ Κωμικὸς *κατέκειτο μὲν ἐπὶ κλίνης ἠρεμῶν· θεασάμενος δὲ ὄνον τὰ παρεσκευασμένα αὐτῷ σῦκα κατεσθίοντα, ὥρμησε μὲν εἰς γέλωτα, καλέσας δὲ τὸν οἰκέτην, καὶ σὺν πολλῷ καὶ ἀθρόῳ γέλωτι εἰπὼν προσδοῦναι τῷ ὄνῳ ἀκράτου ῥοφεῖν, ἀποπνιγεὶς ὑπὸ τοῦ γέλωτος ἀπέθανε*: in Longævis Cap. 25. Tom. VIII. pag. 129. Bipont.

(72) Lib. VII. segm. 182.

(73) CICERO De Finibus Lib. I. cap. 11. §. 39.

(74) DIOGENES LAERTIUS l. l.

(75) Ut fecisse videtur DIOGENES LAERTIUS l. l.

(76) Loc. laud. Simili ratione Chrysippi nomen detorsisse dicitur Zeno (Sidonius Epicureus, *Menagius* ad Diog. Laërt. VII. 35. pag. 279.) a CICERONE De Nat. Deor. Lib. I. cap. 34. Sed magna ibi est in detorto nomine

tem Statua illa manum porrectam (77) : quæ manus affectio quid significaverit, e Stoicorum ratione explicat apud CICERONEM Torquatus (78). Est vero hæc res propterea etiam memorabilis quod Chrysippus in gymnasiis alias non porrectâ manu, sed constrictis digitis pingi solebat (79). Commemorat

---

Codicum discrepantia. Jo. DAVISIUS, PETRUM VICTORIUM secutus in Var. Lectt. pag. 459., docte quidem defenderat *Chesippum* ; sed recte *Heindorfius* fatuum appellat ejusmodi jocum et tali philosopho indignum. FRID. CREUZERUS V. Cl. ad. h. l. pag. 156. suspicatus erat *Trysippum* (τρύσιππον); sed unice sibi placere dicit quod plures libri exhibeant, *Chrysippam*: cujus lectionis veritatem cum erudite et ingeniose ostenderit, non reprehendent, spero, hujus Opusculi judices, si ipsam viri præstantissimi Adnotationem huc transcripsero. « Non erat quod Davisius et Heindorfius dubitarent, in Stoicum cadere hoc dicterium. Quasi vero sola mollities hoc pacto notari soleat (ut reapse notatur in Cleonymo, qui Comico Κλεωνύμη dicitur, videlicet ὡς γυναικιζόμενος. Schol. ad Aristoph. Nubes, 670.) : neque vero etiam loquacitas, fatuitas, credulitas. Nolo repetere *anum* Stoicorum fatidicam, quamquam huc quodammodo trahi possit (ex cap. 8). Sed *aniles fabellas* Stoici proferre dicuntur infra III. 5. Quidni etiam anum poterat dicere Epicureus Stoicum? Ac reverea dixit Stoicorum principem Zenonem Timon in Sillis ap. Diog. Laert. VII. 15. :

Καὶ Φοίνισσαν ἴδον λιχνόγραυν σκιερῷ ἐνὶ τύφῳ. »

Timonis hunc versum in Sillorum fragmentis refert FRID. PAUL De Sillis Græcorum Berolin. 1821. 8. pag. 46.

(77) CICERO De Finibus Lib. I. cap. 11. §. 39.

(78) De Finibus l. l. ubi vid. Jo. AUG. GOERENZIUS.

(79) SIDONIUS APPOLLINARIS Lib. IX. ep. 9. pag. 579. Savaron. « Pingitur Chrysippus digitis propter numerorum indicem constrictis, Euclides propter mensuram spatia laxatis, Cleanthes propter utrumque corrosis. » Conf. etiam pag. 587.

Chrysippi Statuam etiam PAUSANIAS in Atticis (80) : ἐν τῷ γυμνασίῳ τῆς ἀγορᾶς ἀπέχοντι οὐ πολὺ, Πτολεμαῖον δὲ ἀπὸ τοῦ κατεσκευασμένου καλουμένῳ, λίθοι τέ εἰσιν Ἑρμαὶ θεᾶς ἄξιοι· — ἐνταῦθα καὶ Χρύσιππος κεῖται ὁ Σολεύς : ex quo loco LIPSIUS (81) et MENAGIUS (82) recte collegisse videntur quem Cicero et Laërtius Ceramicum dicant, interiorem Ceramicum esse intelligendum.

Tres effigies antiquas Chrysippi dedit JAC. GRONOVIUS in Thesauro Antiquitt. Græcar. Tom. III. Lit. S. Alia in gemmâ conspicitur in LAUR. BEYERI Thesauro Palatino (83), et in nummis Pompeiopolitanorum ejus imago exhibetur ab ANDREA MORELLIO in Specimine Rei Numariæ Antiq. (84).

§. XII.

Cum consuetudo ita ferat ut qui de Antiqui alicujus Scriptoris Vitâ et Reliquiis exponat, cognomines quoque illius recenseat, ne deseruisse hanc consuetudinem videamur, age, reliquos Chrysippos nunc breviter deinceps enumeremus. Clariores autem hi fere sunt :

---

(80) Cap. XVII. §. 2. Tom. I. pag. 60. Facii.

(81) Introduct. ad Stoicam Philosophiam Lib. I. cap. 11. (Opp. Tom. IV. pag. 443. B.)

(82) Ad Lib. VII. segm. 182. pag. 338. b. Add. Jo. MEURSIUS De Ceramico Gemino Cap. XV. extr. (in Gronovii Thes. Antiquitt. Græcar. Vol. IV. col. 986. sq.)

(83) Pag. 67.

(84) Tabulâ XXV. 2. pag. 240.

Chrysippus, Pelopis et Nymphæ Astyopæ (secundum alios Danaidis) filius, quem Laius, rex Thebanorum, hospitio a Pelope exceptus adamasse eumque rapuisse dicitur. Alii quidem aliter hanc fabulam produnt. Cum vero hic Chrysippus proprie non pertinere ad hunc locum videatur, quo de doctis tantum Nostri cognominibus est agendum, locos primarios ubi hæc res copiosius narratur, hic apposuisse sufficiat. Apollodorus in Biblioth. Lib. III. cap. 5. §. 5. ibique Chr. Gottl. Heynius pag. 237. sq. Pausanias Lib. VI. cap. 20. §. 204. pag. 4. Facii. Athenæus Lib. XIII. cap. 79. pag. 602. sq. ibique a Jo. Schweighæusero Tom. VII. pag. 272. laudatus Jo. Chr. Wolfius ad Poëtrias Græcas pag. 77. not. 7. Ælianus in Var. Histor. Lib. I. cap. 21. pag. 92. Lib. XIII. cap. 5. Tom. II. pag. 170. Lehn. Versabatur autem in hac fabulà Euripidis Tragœdia, nunc deperdita, *Chrysippus*. Vid. Ælianus in Hist. Animal. Lib. VI. cap. 15. pag. 186. Schneid. Scholiast. ad Euripidis Phœniss. v. 66. et 1748. præcipue Lud. Casp. Valckenarius in Diatribâ de Euripid. Fragmm. pag. 18. sqq. et pag. 47. coll. Dan. Wyttenbachio in Select. Scholar. in Ciceron. De Nat. Deor. Lib. II. cap. 2. pag. 741. Creuz.

Chrysippus Cnidius, Medicus, qui vixit tempore Ptolemæi Lagidæ. Plurima ab eo se didicisse profitebatur Erasistratus, ut narrat Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 186. Mentio ejus occurrit etiam apud Sextum Empiricum Advers. Mathematicos Lib. I. cap. 12. segm. 258. pag. 271. Fabr. Plura qui de eo cognoscere cupiat, is adeat Ægid. Menagium ad Diogenis locum laudatum pag. 339. sq. Jo. Albert. Fabricium in Bibl. Gr. Tom. XIII. pag. 115. sq. edit. prior. et Curt. Sprengel Histoire de la Médecine depuis son origine jusqu'au dix-neuvième siècle, traduite de l'allemand par A. J. L. Jourdan. Paris, 1815.

Tom. I. pag. 365 et 447. sq. qui etiam docet vel ab Antiquioribus hunc Chrysippum Medicum sæpe confusum esse cum Chrysippo Solensi Philosopho. Sed nec ipse Sprengelius illum satis distinxisse videtur a reliquis Chrysippis Medicis. Hujus autem, de quo diximus, Chrysippi, ejusdem nominis filium Ptolemæi medicum fuisse perhibet Diogenes Laertius l. l.

Utrum vero hic Chrysippus idem fuerit atque ille quem Diogenes Laertius Lib. VIII. segm. 87. cum Eudoxo, Cnidio Medico, in AEgyptum ait esse profectum, nondum certis rationibus constat. Quamquam idem Laertius dicit Cnidium eum fuisse et Medicinæ studio operam dedisse præceptore Philistione Siculo. Lib. VIII. segm. 89. Vid. Menagius ad Diog. Laërt. VIII. 87. pag. 390. sq. Fabricius l. l. p. 116. sq.

Chrysippus, Aristagoræ filius et ejus, quem modo memoravimus, nepos. Diogenes Laertius Lib. VIII. segm. 89 : τούτου (Χρυσίππου) γέγονε παῖς Ἀρισαγόρας, οὗ Χρύσιππος Ἀεθλίου μαθητής. Ambrosius quidem ita verterat hæc verba : « Hujus filius Aristagoras fuit, cujus Chrysippus AEthlii filius, discipulus fuit » : nec Meibomius de corrigendâ hac interpretatione cogitavit. Sed Jonsius optime docuit, Χρύσιππος ad οὗ esse referendum et μαθητής ad Ἀεθλίου, eumque secutus est Fabricius in Bibl. Gr. Tom. XIII. pag. 117. Manifestum enim est e certis Veterum testimoniis, sic satis vulgarem fuisse apud Græcos hanc consuetudinem, ut avorum nomina filiis rursus imponerent (85).

---

(85) Plato in Lyside pag. 205. C. Steph. Tom. I. pag. 9. Heindorf. : ἃ δὲ ἡ πόλις ὅλη ᾄδει περὶ Δημοκράτους καὶ Λύσιδος, τοῦ πάππου τοῦ παιδὸς (h. e. Λύσιδος), κ. τ. λ.; in Theage pag. 130. A. B. Steph. Tom. I. pag. 215. Beck.:

CHRYSIPPUS, discipulus Erasistrati, celeberrimæ Medicorum Scholæ antistitis: cui FABRICIUS B. Gr. Tom. XIII. pag. 119. tribuere videtur librum Περὶ Λαχάνων, memoratum a SCHOLIASTA Nicandri ad Theriaca vers. 838. pag. 116 Schneid. (86). Eumdem De Brassicâ scripsisse docuit JOACH. CAMERARIUS ex Plinii loco Hist. Nat. Lib. XX. cap. 9. Plura de hoc Chrysippo ac de nobilissimis Medicorum Sectis, Erasistrateâ et Herophileâ, legantur apud FABRICIUM l. l. pag. 117. sq.

CHRYSIPPUS quidam, quem De Re Rustica scripsisse auctor

τοῦτό ποτε ἔπαθεν Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου υἱός, τοῦ Ἀριστείδου: et paucis interjectis: ἥκων δὲ κατελάμβανε μετ' ἐμοῦ διατρίβοντα Θουκυδίδην τὸν Μελησίου υἱὸν, τοῦ Θουκυδίδου. In Lachete pag. 179. A. Steph. Tom. IV. pag. 106. Beck.: ὅδε μὲν τοῦδε, πάππου ἔχων ὄνομα, Θουκυδίδης· ARISTOPHANES Avib. v. 283. sq.

Ἐγὼ δὲ τούτου πάππος, ὥσπερ εἰ λέγοις,
Ἱππόνικος Καλλίου, κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Hipponici autem et Calliæ per plures deinceps generationes ita se exceperunt, ut nepotibus usque avorum nomina tribuerentur. JAC. PALMERIUS Exercitatt. in Auctores Græcos pag. 752. sq. ad Aristophanis locum ab EZECH. SPANHEMIO laudatus: qui, Scholiastam refellens, copiosissime de hac re exposuit; JO. FRID. GRONOVIUS Observatt. Lib. IV. cap. 7. et G. B. LEHNERT. in Excursu ad Æliani Var. Hist. Lib. XIV. cap. 16. Tom. II. pag. 261. sq. Vid. porro ARISTOPHANES Nubib. v. 62—65, et ad hunc locum SPANHEMIUS, qui ad Joannis usque Chrysostomi ætatem hunc usum pertinuisse ostendit: unde explicandus est EUSTATHIUS ad Iliad. V. p. 441. Basil. dicens: παλαιότατον ἔθος ἦν τοὺς ἐκγόνους καλεῖσθαι τοῖς τῶν πάππων ὀνόμασιν. Plura dabunt HUGO GROTIUS ad Evang. Lucæ Cap. I. vs. 59. et FRID. GUIL. STURZIUS in Prolusione IV. De Nominibus Græcorum pag. 11. sq.

(86) Καὶ ἡ καυκαλὶς δὲ λάχανόν ἐστιν ἁλμυρόν· μνημονεύει δὲ αὐτοῦ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Λαχάνων.

est Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 186. Neque vero a Varrone et Columellâ ille recensetur in Rei Rusticæ Scriptoribus, neque aliunde cognitus est.

Chrysippus Medicus, Asclepiadeus cognominatus, æqualis Erasistrato. Coelius Aurelianus Tardar. Passionum Lib. I. cap. 4., qui Idem Celerum et Acutar. Passion. Lib. IV. cap. 8. commemorat ejus opus De Lumbricis, et Lib. II. cap. 12. De Catalepticis eum scripsisse testatur. Necdum tamen exploratum est, an non idem hic fuerit atque Chrysippus ille Cnidius, Erasistrati magister, quem supra nominavimus. Qua de re Conf. Fabricius B. Gr. Tom. XIII. pag. 119.

Chrysippus Medicus Rhodius, qui memoratur a Scholiasta Theocriti ad Idyll. XVII. vs. 128. pag. 215. Reisk. ut socius conspirationis adversus Ptolemæum Philadelphum.

De tribus aliis Chrysippis Medicis, quos diversos fuisse a priorum aliquo cum difficilius sit demonstrare, malumus ad Fabricium amandare lectores quam Veterum locos ab illo prolatos denuo adcuratius examinare: quæ quidem res præterea minus videbatur esse cum nostro instituto conjuncta. Egit autem de eâ Fabricius l. l. pag. 119. sq. ed. prior.

Chrysippum Tyrrhenum existimat Fabricius Lib. III. cap. 13. Tom. I. pag. 487. Harl. intelligi eumque ad Pythagoricos referri a Jamblicho Introduct. ad Nicomachi Geraseni Arithmetic. pag. 12: idque efficit ex his illius verbis: συγκεχυμένως οἱ Χρυσίππειοι λέγουσι, μόνον ἐςὶ πλῆθος ἕν· μόνη γὰρ αὕτη ἀντιδιέςαλται τῷ πλήθει. Sed Sam. Tennulius ad h. l. pag. 92. hæc refert ad Chrysippi Philosophi librum Περὶ Οὐσίας, de quo infra in Fragmentis.

Chrysippi Apollodoræi mentio occurrit apud Libanium in Epistolis (Lat.) Lib. III. ep. 342. pag. 819. a. Wolfii.

Chrysippus Tyaneus, auctor operis De Panificio. Athenæus Lib. XIV. cap. 57. pag. 647. C. ibique Schweighæuserus Tom. VII. pag. 555. item pag. 648 A. C. Ejusdem vero jam ante mentionem fecerat Athenæus Lib. III. cap. 79. pag. 113. B: ubi omnino conferendus est Schweighæuserus Tom. II. pag. 289.

Chrysippus, Ciceronis libertus, homo literatus, qui, ut rei familiaris quoque administrator, sæpius commemoratur ab ipso Cicerone in Epistolis ad Atticum, ut Lib. VII. ep. 2. extr. Lib. XI. ep. 2. extr. et Lib. XIII. ep. 29. pr.—Et postremo quidem loco nominandus est

Chrysippus Hierosolymitanus Presbyter, qui medio sæculo V vixit. Laudatio Theodori Martyris, quam ei tribuit Eustratius De Vitâ Functorum Statu Memorator. Cap. 22. intercidit. Sed exstat Latine ejus Encomium in Joannem Baptistam, incipiens Ἦχος σάλπιγγος, λύρα πνευματική, in Bibliothecâ Combefisii Concionatoriâ: Fabricius Bibl. Gr. Lib. V. cap. 5. Tom. VI. pag. 536. et Homilia in Deiparam, Gr. et Lat., in Auctario Bibliothecæ Patrum Ducæano, Paris. 1624. Tom. II. pag. 424. et in Bibl. Patrum Morellianâ 1644. 1654. Tom. XII. De Ejus Encomio in Michaëlem Archangelum vid. Fabricius Lib. V. cap. 5. Tom. VI. pag. 514. et Lib. V. cap. 32. Tom. IX. pag. 57. Adcuratius autem de hoc Chrysippo egit Leo Allatius in Præfatione ad laudatum Eustratii librum pag. 330. sq. qui adjectus reperitur libro Ejusdem De Purgatorio, Romæ 1655. 8.

PARS ALTERA.

DE CHRYSIPPI DOCTRINA ET PLACITIS.

CAPUT PRIMUM.

DE PHILOSOPHIA CHRYSIPPI, UNIVERSE.

§. XIII.

Quamquam in tertiâ hujus Dissertationis parte, quæ in recensendis et illustrandis Chrysippi fragmentis versatur, de singulis quoque illius placitis adcuratius agendi non opportunitas tantum ultro se offerat sed ipsa instituti nostri ratio ejus rei necessitatem nobis imponat; tamen non abs re esse duximus breviter in universum disputare de Philosophiâ Chrysippi; ne lectores, quod in tantâ fragmentorum copiâ necessario evenire oporteret, in singulis decretis conquirendis nimium defatigarentur. Illud igitur hoc loco agendum arbitrabamur, ut levis aliqua totius Chrysippeæ rationis adumbratio legen-

tium oculis subjiceretur; quo uno in conspectu viderent quænam omnino fuerit ejus doctrina et quatenus in singulis Philosophiæ partibus tractandis sive ad decessorum se rationem adcommodaverit sive immutaverit eam suisve studiis ac disceptationibus auxerit et amplificaverit.

Ac de totâ quidem Stoicorum doctrinâ copiosius exponere et longum est et a nostro proposito alienum. Quare in eo nos continebimus ut doceamus, quid omnino Philosophiam intellexerint Stoici et quomodo materias ei subjectas distribuerint; unde facilius intelligatur quæ Nostri fuerit de hac doctrinâ sententia et quantum ipse contribuerit ad excolendam illam et locupletandam.

§. XIV.

Licet autem Stoicorum alii aliter Philosophiam definiant (1), in eo tamen fere omnes consentiunt, esse eam sapientiæ sive summæ, quæ in humanam naturam cadat, virtutis studium in eâque adquirendâ exercitationem (2): quam sive sapientiam sive virtutem qui essent adsecuti, eos solos vere beatos esse

---

(1) Plures eorum definitiones recenset et dijudicat JUST. LIPSIUS in Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. II. diss. 2. (in Opp. Tom. IV. pag. 459. sq.) et Lib. II. diss. 7. pag. 465. sq. conf. JAC. BRUCKERI Histor. Crit. Philosoph. Tom. I. pag. 911. sq. ed. alt. et DAN. WYTTENBACHII V. Cl. Præcepta Philosophiæ Logicæ, Prolegom. §. I.

(2) PLUTARCHUS De Placit. Philosophor. Lib. I. pag. 874. E. Οἱ Στωϊκοὶ ἔφασαν, τὴν μὲν σοφίαν εἶναι θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων ἐπιστήμην· τὴν δὲ φιλοσοφίαν ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου· ἐπιτήδειον δὲ εἶναι μίαν καὶ ἀνωτάτω, τὴν ἀρετήν. SENECA Epist. LXXXIX. pag. 571. A. Lips. « Sapientia perfectum bonum est mentis

habendos (3). Chrysippus vero an idem plane de Philosophiæ vi ac naturâ statuerit, a nemine quidem antiquorum auctorum diserte proditum legimus; sed facile hoc cum ex totâ ejus ratione intelligitur tum ex fragmento quodam a Plutarcho nobis servato: unde non minus magnifice quam ceteros eosque præstantiores Stoicos de Philosophiâ eum sensisse apparet. Existimavit enim Philosophiam a vitæ actione minime posse separari et, si qui in otio ac tranquillitate vitam esse philosopho transigendam crediderint, eos vehementer errare nec multum differre ab iis qui voluptatem summum esse bonum opinarentur (4).

§. XV.

Sed quoniam virtus tribus maxime in rebus conspicitur, in cogitando ac disserendo, in perscrutandâ et cognoscendâ rerum naturâ ac denique in vitâ honeste et laudabiliter instituendâ,

---

humanæ: philosophia sapientiæ amor est et affectatio. Hæc ostendit, quo illa pervenit.» Conf. JUST. LIPSII Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. II. dissert. 2. pag. 459. sq.

(3) CICERO Fin. Lib. V. cap. 27. «A Zenone hoc magnifice tamquam ex oraculo dicitur: Virtus ad beate vivendum se ipsâ contenta est.» Sed hac de re adcuratius tractabimus infra Cap. IV. §. XLIX.

(4) PLUTARCH. De Stoicis Repugnantiis pag. 1033. D. CICERO De Finibus Lib. III. cap. 20. ibiq. Jo. DAVISIUS. Quæ vere Stoica esse intelligitur e PLUTARCHO op. laud. pag. 1043. C. et DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 121. Conf. VAN LYNDEN V. Ampl. in Disp. De Panætio pag. 27. et NIEUWLANDIUS, ὁ μακαρίτης, in Dissertat. De Musonio Rufo pag. 6. qui eamdem rem attigerunt.

Philosophiam et ipsam in tres partes tribuerunt Antiqui, in Dialecticam, Physicam et Ethicam. Quam triplicem rationem eum Plato et qui proxime eum excepissent in philosophando jam essent secuti (5), Zeno tandem, Stoicorum princeps, ut legem et normam quasi sancivit (6); eamque ut reliqui ejus sectatores ita Chrysippus quoque retinuit (7). Quod si plures

---

(5) CICERO Academ. Lib. I. cap. 5. « Fuit ergo jam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vitâ et moribus: altera de naturâ et rebus occultis, tertia de disserendo. » De Orator. Lib. I. cap. 15. extr. SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. VII. segm. 16. qui, enumeratis tribus philosophiæ partibus, addit: *ὧν δυνάμει μὲν Πλάτων ἐςὶν ἀρχηγὸς, περὶ πολλῶν μὲν φυσικῶν, περὶ πολλῶν δὲ ἠθικῶν, οὐκ ὀλίγων δὲ λογικῶν διαλεχθείς· ῥητότατα δὲ οἱ περὶ τὸν Ξενοκράτη καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ Περιπάτου, ἔτι δὲ οἱ ἀπὰ τῆς Στοᾶς, ἔχονται τῆςδε τῆς διαιρέσεως*: ad quem loc. vid. FABRICIUS pag. 373. THEMISTIUS Orat. XXVI. pag. 318. D. ibiq. HARDUIN. AUGUSTINUS De Civ. Dei Lib. VIII. cap. 4.

(6) PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 874. E. *Οἱ Στωϊκοὶ ἔφασαν, ἀρετὰς τὰς γενικωτάτας εἶναι τρεῖς, φυσικὴν, ἠθικὴν, λογικήν· δι' ἣν αἰτίαν καὶ τριμερὴς ἐςιν ἡ φιλοσοφία, ἧς τὸ μὲν, φυσικὸν, τὸ δὲ ἠθικὸν, τὸ δὲ, λογικόν· καὶ φυσικὸν μὲν, ὅταν περὶ κόσμου ζητῶμεν καὶ τῶν ἐν κόσμῳ· ἠθικὸν δὲ τὸ κατησχολημένον περὶ τὸν ἀνθρώπινον βίον· λογικὸν δὲ τὸ περὶ τὸν λόγον, ὃ καὶ διαλεκτικὸν καλοῦσιν.* SEXTUS EMPIRICUS Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. segm. 13. ibique FABRICIUS pag. 69. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 31. de Stoicis ac Zenone potissimum loquens: *τριμερῆ φασιν εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον· εἶναι γὰρ αὐτοῦ τὸ μέν τι, φυσικόν· τὸ δὲ, ἠθικὸν, τὸ δὲ λογικόν.* SENECA Epist. LXXXIX. pag. 571. C. Lips. qui et ipse Stoicis tribuit hanc partitionem, ita appellat tres illas Philosophiæ partes: Moralem, Naturalem et Rationalem. Neque adversatur CICERO De Finib. Lib. IV. cap. 2. extr. dicens solummodo retentam esse a Zenone hanc divisionem: quod egregie ad h. l. docuit DAVISIUS.

(7) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 39. cum Zenonem ita distribuisse Philosophiam memorasset, addit: *καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ λόγου, καὶ*

Stoicorum has Philosophiæ partes ob arctissimum, quo continentur inter se vinculum et ob lucem quam sibi mutuam afferunt, utpote a naturâ ipsâ colligatas et tamquam inter se confusas, nec in docendo a se invicem voluerint separari sed conjunctim tradi atque promiscue (8); non eamdem fuisse Chrysippi rationem manifesto apparet ex omnibus fere illius ad nostram memoriam servatis fragmentis, in quibus tres illæ partes diligenter ubique distinctæ reperiuntur.

§. XVI.

Qui vero sejungendas a se invicem has partes existimabant, iisdem de ordine quo essent collocandæ ac discentibus tradendæ, magna erat dissensio. Nam Zeno, Archedemus et Eudemus primum locum tribuebant Logicæ, alterum Physicæ, Ethicæ tertium (9); Diogenes Ptolemaënsis ab Ethicis ordiebatur, Apollodorus hæc medio loco ponebat (10); cum Panætius (11)

ἐν τῇ πρώτῃ τῶν φυσικῶν, καὶ Ἀπολλόδωρος ὁ Ἔφιλλος, κ. τ. λ. Conf. PLUTARCH. De Stoicis Repugnantiis pag. 1035. A.

(8). DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 40: καὶ οὐδὲν μέρος τοῦ ἑτέρου προκεκρίσθαι, καθά τινες αὐτῶν (τῶν Στωϊκῶν) φασίν, ἀλλὰ μεμίχθαι αὐτά· καὶ τὴν παράδοσιν μικτὴν ἐποίουν.

(9) DIOGENES LAERT. Lib. VII. segm. 40. extr. De Archedemo vid. MENAGIUS ad h. l. pag. 282.

(10) DIOG. LAERT. ibid. segm. 41.

(11) DIOG. LAERT. l. l. VAN LYNDEN V. Ampl. Disput. De Panætio pag. 67. sq.

et Posidonius (12) initium ducerent a Physicis. Ad Chrysippum quod attinet, eum hac in re parum sibi constitisse videatur, quum Logicam ante ponens, modo Ethicis tribuat alterum locum Physicis ad finem rejectis (13), modo Ethica postponat Physicis (14). Quam rem Plutarchus, minutissima quæque quibus uteretur ad probandam Stoicorum inconstantiam curiosius undique conquirens, ut caussam reprehendendi Chrysippi avide arripuit. Sed ex ipsis verbis a Plutarcho relatis luce clarius apparere nobis videtur, temere hoc inconstantiæ vitium exprobratum esse Chrysippo. Arbitrabatur enim duplicem esse docendi viam a præceptore ingrediendam, diversam illam pro discentium tam ætatis quam ingeniorum diversitate: alteram puerorum aut eorum qui rudes omnino ad philosophiam accederent, captui esse accommodatam (15), alteram potius cum naturali rerum ordine congruere ineundamque esse ab ipsis philosophis qui aut in excolendâ doctrinâ aut in eruditioribus edocendis operam collocarent.

§. XVII.

Cum enim naturæ contemplatio et rerum absconditarum investigatio multum habeat difficultatis nec nisi ab iis institui

---

(12) DIOG. LAERT. l. l. coll. BAKIO V. Cl. in Posidonii Rhodii Reliquiis Doctrinæ pag. 41.

(13) PLUTARCH. De Stoicis Repugnantiis pag. 1053. A.

(14) DIOG. LAERT. VII. segm. 40. extr. PLUTARCH. l. l. pag. 1035. C. D.

(15) PLUTARCH. l. l. pag. 1035. A. Ὁ Χρύσιππος οἴεται δεῖν τῶν λογικῶν πρῶτον ἀκροᾶσθαι τοὺς νέους, δεύτερον δὲ τῶν ἠθικῶν, μετὰ δὲ ταῦτα τῶν φυσικῶν.

cum fructu possit qui et ingenium dialecticis exercitationibus acuissent et mores emendassent atque ad honestatem conformassent, ea in puerorum institutione non injuriâ ad finem reservanda videbatur Chrysippo (16). Quod si autem quæritur, quo ordine sint singulæ materiæ disponendæ, ut naturaliter altera ex alterâ consequatur, recte priorem locum Physica tenent, Moralia posteriorem. Quæ res egregie confirmatur duobus Chrysippi locis, quibus ad eum vituperandum suo more abusus est Plutarchus. Sic enim ibi loquitur in Naturalibus Propositionibus: Οὐκ ἔστιν ἄλλως, οὐδὲ οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, οὐδ' ἐπὶ τὰς ἀρετὰς, οὐδ' ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς κοινῆς Φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως. Δεῖ γὰρ τούτοις συνάψαι τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, οὐκ οὔσης ἄλλης ἀρχῆς αὐτῶν ἀμείνονος, οὐδὲ ἀναφορᾶς, οὐδ' ἄλλου τινὸς ἕνεκεν τῆς φυσικῆς θεωρίας παραληπτῆς οὔσης, ἢ πρὸς τὴν περὶ

(16) Atque hanc revera fuisse caussam, cur tertio loco tradenda duxerit Physica, hinc quoque colligitur quod in his ipsis locum de Deo, utpote gravissimum ac difficillimum, post reliqua omnia explicandum esse statuit. Plutarch. l. l. pag. 1035. A: *ὡσαύτως οἴεται Χρύσιππος, δεῖν τὸν περὶ θεῶν λόγον ἔσχατον παραλαμβάνειν*; et mox Chrysippi ipsius verba: *τῶν φυσικῶν ἔσχατος εἶναί μοι δοκεῖ ὁ περὶ τῶν θεῶν λόγος. διὸ καὶ τελετὰς ἠγόρευσαν τὰς τούτων παραδόσεις* (Conf. Etymologic. Magn. pag. 751. l. 15. Sylb.). Neque Chrysippum solummodo, sed Stoicos omnino in Physicis ad finem rservandis id habuisse consilii, ut discentium commodis inservirent, diserte tradit Sextus Empiricus Advers. Mathematt. Lib. III. segm. 22. pag. 374. sq. Fabric. a Stoicis dicens *τελευταῖα τετάχθαι τὰ φυσικά· πρῶτον γὰρ δεῖν κατησφαλίσθαι τὸν νοῦν εἰς δυσέκκρουστον τῶν παραδεδομένων φυλακήν· ἐχυρωτικὸν δὲ εἶναι τῆς διανοίας τὸν διαλεκτικὸν τόπον· δεύτερον δὲ, ὑπογράφειν τὴν ἠθικὴν θεωρίαν πρὸς βελτίωσιν τῶν ἠθῶν· ἀκίνδυνος γὰρ ἡ παραδοχὴ ταύτης ἐπὶ προϋποκειμένῃ τῇ λογικῇ δυνάμει· τελευταῖον δὲ ἐπάγειν τὴν φυσικὴν θεωρίαν· θειοτέρα γάρ ἐστι καὶ βαθυτέρας δεῖται τῆς ἐπιστάσεως.*

ἀγαθῶν ἢ κακῶν διάςασιν (17): et in eamdem plane sententiam paullo ante in tertio De Diis libro: Οὐκ ἔςιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν, οὐδὲ ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς Φύσεως· ἐντεῦθεν γὰρ δεῖ πᾶν τὸ τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομέν τι ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν (18). Quos locos qui diligenter perlegerit, ei ultro apparebit de Philosophiæ in disciplinæ formam revocandâ, non de puerorum institutione esse intelligendos, ut versute eos interpretatus est Plutarchus. Non aliter accipiendus est locus hic Ciceronis, quem probabile est e Chrysippeis esse translatum: « Physicæ quoque non sine caussâ tributus idem est honos: propterea quod, qui convenienter naturæ victurus sit, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab ejus procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et malis vere judicare, nisi omni cognitâ ratione naturæ, et vitæ etiam deorum, et utrum conveniat, necne, natura hominis cum universâ: quæque sunt vetera præcepta sapientum, qui jubent *tempori parere*, et *sequi deum*, et *se noscere*, et *nihil nimis*. Hæc sine physicis quam vim habeant (et habent maximam), videre nemo potest. Atque, etiam ad justitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, hæc una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur sine explicatione naturæ intelligi potest (19). » Nobis igitur naturalem rationem sequentibus primum agendum erit de Logicis Chrysippi, deinceps de Physicis ac tertio demum loco de Ethicis.

---

(17) Plutarch. De Stoic. Repugn. pag. 1035. C. D.

(18) Plutarch. ibid. pag. 1035. C.

(19) De Finibus B. et M. Lib. III. cap. 22. init. Ciceronem vero in tertio potissimum hoc libro Chrysippum ducem esse secutum, præter alios monuit etiam Jo. Aug. Goerenzius ad ejusdem operis Lib. IV. cap. 11. pag. 454.

CAPUT SECUNDUM.

LOGICA CHRYSIPPI.

§. XVIII.

Singulari Divinæ Providentiæ beneficio factum esse Stoici existimabant, ut inter Arcesilaum et Carneadem Chrysippus exsisteret, qui suis adversus illum disputationibus id efficeret, ut vis eloquentiæ quæ in Carneade maxima fuisset (20), debilitaretur ipsique tuti præstarentur ab acerrimi adversarii im-

(20) Cicero De Oratore Lib. II. cap. 38. « Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perquam esset optanda nobis : qui nullam umquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit ; nullam oppugnavit, quam non everterit. » *Numenius* apud Eusebium in Præparat. Evangel. Lib. XIV. cap. 8. pag. 737. C. Lips. ita de eo loquitur : εἴ που ἔδει τι καὶ θαῦμα ἐχόντων λόγων, ἐξηγείρετο λάβρος, οἷον ποταμὸς ῥοώδης, σφοδρῶς ῥέων, πάντα καταπιμπλὰς τὰ τῇδε καὶ τὰ 'κεῖθι, καὶ εἰσέπιπτε καὶ συνέσυρε τοὺς ἀκούοντας διὰ θορύβου. Add. Menagius ad Diog. Laërt. Lib. IV. segm. 62. pag. 184. sq. et Jo. Rud. Thorbecke Responsio ad Quæstionem Philosoph. De eo quod, in Dogmaticis oppugnandis inter Academicos et Scepticos interfuit, Cap. IV. pag. 61. (Annal. Academ. Lugd. Bat. 1819–1820).

pugnationibus (21). Quod quidem eo præcipue est consecutus, ut de sensuum veritate subtilius quam priores disputaret et locum de Anticipationibus (προλήψεις) et intelligentiis (ἔννοιαι) obscurum antea et perturbatum, in luce tam clarâ collocaret, ut difficiliores redderentur disputationes contra has materias suscipiendæ (22). Et egregie sane Chrysippum de excolendâ Philosophiâ Logicâ promeruisse vel inde patet quod plurima in hoc genere scripta reliquerat et magnam propterea apud posteros adquisiverat nominis gloriam (23). Licet enim nimias hinc inde subtilitates et argutias in hanc disciplinam intruserit (24), eo

---

(21) Plutarch. De Communib. Notitiis pag. 1059. B.

(22) Plutarch. l. l. A et B.

(23) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 182. Οὕτω ἐπίδοξος ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς ἐγένετο, ὥστε δοκεῖν τοὺς πλείους, ὅτι εἰ παρὰ θεοῖς ἦν ἡ διαλεκτικὴ, οὐκ ἂν ἦν ἄλλη ἢ ἡ Χρυσίππειος. Quare διαλεκτικώτατον eum appellat Tzetzes Chiliad. et Dionysius Halicarnasseus hanc ei laudem tribuit: Χρυσίππου τοῦ Στωϊκοῦ οὐκ ἄμεινον οὐδεὶς τὰς διαλεκτικὰς τέχνας ἠκρίβωσεν··· τῶν ὀνόματος καὶ δόξης ἀξιωθέντων: De Compositione Verbor. pag. 5. lin. 27. Sylb. Non minus honorificum de eo exstat judicium Galeni, acerrimi alias ejus adversarii et vehementis obtrectatoris. De Curandi Ratione Lib. I. Tom. IV. pag. 57. lin. 13. Basil. Ἐὰν τοὺς περὶ Πλάτωνα καὶ Ἀριστοτέλη καὶ Χρύσιππον, ὡς ἀγυμνάστους ἐν τῇ διαλεκτικῇ, παρέλθωμεν, οὐχ εὑρήσομεν ἑτέρους: et in libro qui inscribitur Πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς Ἱπποκράτους ἀφορισμοῖς ὑπὸ Ἰουλιανοῦ Tom. V. pag. 344. lin. 23. Ὦ μεγάλης διαλεκτικῆς τοῦ σοφιστοῦ (Juliani)· τί συνετὸν οὕτω Χρύσιππος, ἢ Ἀριστοτέλης, ἢ Πλάτων εἶπεν; coll. Theodoret. Therapeut. Sermon. V. pag. 82. lin. 24. et Serm. VIII. pag. 110. lin. 46. ed. Heidelb. Sylburg. Eum vero cum quadam excellentiâ Dialecticum esse ab Antiquis appellatum, intelligitur e loco Clementis Alexandrini, Stromat. Lib. VII. pag. 761. B. ed. Paris.

(24) De præcipuis quibusdam vitiis quæ Stoicorum Logicæ exprobra-

certe plurimum profuit æqualibus, quod inconditam et impeditam Stoicorum Logicam certis legibus adstrinxit ejusque ambitum dilatavit; ut, Aristotelem si exceperis, non immerito præcipuus illius auctor sit habendus (25).

§. XIX.

Officium vero Logicæ eo maxime continetur, ut vim singulis verbis subjectam patefaciat indeque judicia formet et ratiocinationes, quibus adjuti vera et germana a falsis et suppositiis secernamus illaque contra adversariorum impetus defendamus. Neque ad artes tantum ac doctrinas rite tractandas sed ad mores quoque ad honestatem formandos maximum illa momentum habere censebatur a Stoicis (26).

Atque hanc veri et falsi doctrinam bifariam distribuit Chrys-

---

bantur neque a Chrysippo emendata omnino sunt, vid. CICERO Academ. Lib. I. cap. 28 et 29. Ceterum nihil nos movet Luciani judicium in Icaromenippo Cap. 24. fin. Tom. VII. pag. 37. Bipont. ψυχροὺς dicentis τοὺς Χρυσίππειν συλλογισμούς : quippe qui eodem loco Platonis quoque Leges cavilletur.

(25) Dissentiendum igitur nobis est a JUSTO LIPSIO qui acerbius in Nostrum invectus est, in Manuduct. ad Philosoph. Stoic. Lib. I. diss. 11. pag. 443. B.

(26) CIC. De Fin. III. 21. extr. « Virtutis nomine appellant Dialecticam, quod habeat rationem, ne cui falso adsentiamur neve umquam captiosâ probabilitate fallamur, eaque quæ de bonis et malis diceremus ut tenere tuerique possimus; nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse. » DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 40. 83. SEXTUS EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. VII. segm. 17. pag. 373. sq. Fabricii. Conf. BAKIUS V. Cl. De Posidonio pag. 251. sq.

ippus. Prior enim pars complectebatur ea Quæ Significant (τὰ σημαίνοντα), posterior Quæ Significantur (τὰ σημαινόμενα) (27). Quum autem judicium veri et falsi Viso niteretur e Stoicorum sententiâ, neque intelligi commode possent quæ de Assensione, de Comprehensione et Intelligentiâ erant dicenda; priusquam duas illas partes traderent, locum de Viso ac Sensu (περὶ φαντασίας καὶ αἰσθήσεως) explicare consueverant (28). In priori vero Logicæ parte agebatur de Oratione ejusque partibus, de Solœcismis et Barbarismis, de Poësi, de Musicâ aliisque generis ejusdem : in posteriori de Generibus et Formis, de Judiciis, de Syllogismis et aliis argumentandi generibus (29).

§. XX.

Ac primum quidem Visorum doctrinam quod attinet, in eâ tractandâ utilissimam posuit operam Chrysippus cum corrigendis ac depellendis aliorum erroribus tum ipsâ doctrinâ, qua tamquam fundamento superstruitur Stoicorum Logica, illustrandâ et amplificandâ. Cum enim Cleanthes credidisset, quam Zeno *impressionem in animo* (τύπωσιν ἐν ψυχῇ) dixerat, eam *depressione* fieri et *eminentiâ*, velut annuli ceræ impressi (30); hanc opinionem ut absurdam Chrysippus refutavit (31),

---

(27) Diogenes Laert. Lib. VII. segm. 62.

(28) Diog. Laert. VII. 49. ibique Aldobrandinus.

(29) Diog. Laert. VII. segm. 43. et 44. ad eumque Aldobrandinus.

(30) Sext. Emp. Adv. Mathematt. Lib. VII. segm. 228. pag. 417. Fabr.

(31) Diog. Laert. VII. 50. et Sext. Emp. l. l.

docens *impressionem* (τύπωσιν) illam, *commutationem* (ἑτεροίωσιν s. ἀλλοίωσιν) quamdam esse intelligendam; ut non amplius repugnaret eodem tempore variis rebus variisque modis animum affici et commutari (32).

§. XXI.

Visum (φαντασία) autem Chrysippo est commutatio in animo, quæ commutatio id ipsum quoque, unde profecta est, ostendit (33). Oportet igitur ut Viso unicuique subjectum sit aliquid, quod eam commutationem effecerit; veluti cum album quid videmus, commutatio in animâ profecta est a videndi sensu, sensus ipse ad videndum excitatus est albedine (34). Quidquid vero, ab animo ipso sejunctum, Viso subjectum est (τὸ ποιοῦν τὴν φαντασίαν), id appellat φανταστόν: quod cum deest, Visum vere esse nequit, sed sive φανταστικόν est ex illius sententiâ sive φάντασμα: illud, cum inani re et nihili animus trahitur (διάκενος ἑλκυσμός), ut si quis cum umbrâ pugnat; hoc, quando invitus trahitur animus re vanâ et inani (ἐφ' ὃ ἑλκόμεθα κατὰ τὸν φανταστικὸν διάκενον λόγον); ut,

---

(32) SEXT. EMP. Adv. Mathematt. VII. segm. 230. sq. pag. 417. Fabr. *Χρύσιππος οὖν τὴν τύπωσιν εἰρῆσθαι ὑπὸ τοῦ Ζήνωνος ὑπενόει, ἀντὶ τῆς ἑτεροιώσεως· ὥστε εἶναι τοιοῦτον τὸν λόγον. Φαντασία ἐστὶν ἑτεροίωσις ψυχῆς, μηκέτι ἀτόπου ὄντος, τὸ αὐτὸ σῶμα ὑφ' ἓν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, πολλῶν περὶ ἡμᾶς συνισταμένων φαντασιῶν, παμπληθεῖς ἀναδέχεσθαι ἑτεροιώσεις* : cujus rei continuo additur exemplum a multiplici aëris vibratione desumtum. Conf. etiam ALDOBRANDINUS ad Diog. Laërt. VII. segm 50. pag. 395. et MENAG. ad eumd. pag. 283.

(33) PLUTARCH. De Placitis Philosophorum Lib. IV. pag. 900. D. *Φαντασία ἐστὶ πάθος ἐν τῇ ψυχῇ γινόμενον, ἐνδεικνύμενον ἑαυτῷ καὶ τὸ πεποιηκός.*

(34) IDEM ibid. pag. 900. D. E. coll. DIOG. LAERT. VII. segm. 50.

cum percipere se aliquid credat, nihil animus percipiat: quod accidere furentibus videmus (35).

§. XXII.

De divisione Visorum (φαντασιῶν), sunt illa vel *Sensibilia* (αἰσθητικαί), vel *Non Sensibilia* (οὐκ αἰσθητικαί): *Sensibilia*, quæ Sensus instrumento sive Sensuum (36) instrumentis accipiuntur; *Non Sensibilia*, quæ Animo percipiuntur, veluti incorporalium rerum reliquorumque quæ ratione (λόγῳ) accipiuntur (37). Visa *non sensibilia* oriuntur cum plures ejusdem generis notiones concurrunt: quod fieri potest vel solâ adjutrice memoriâ sine nostrâ voluntate, vel accedente industriâ nostrâ ac doctrinâ. Illâ appellantur *Anticipationes* (προλήψεις) (38) sive, ut Chry-

---

(35) PLUTARCH. l. l. pag. 900. E. F. SEXTUS EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. VII. segm. 241. pag. 419. Fabric. NEMESIUS De Naturâ Hominis Cap. 5 et 6. pag. 150. sqq. éd. Matth.

(36) Qui e Stoicorum sententiâ *mentis tamquam satellites ac nuntii* dicuntur a CICERONE De Legg. Lib. I. cap. 9. init. Conf. IDEM De Nat. Deor. Lib. II. cap. 56. ubi appellantur *interpretes ac nuntii rerum.*

(37) DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 51.

(38) Invenisse autem hoc nomen videtur Epicurus. CICERO De Nat. Deor. Lib. I cap. 16. extr. ubi vid. quæ ad hunc locum de exquisitâ suâ doctrinâ nuper depromsit FRID. CREUZERUS V. Cl. præcipue VAN WESELE SCHOLTEN V. Ampl. in Diss. De Loco Cic. qui est De Divinâ Naturâ pag. 25. sq. not. 2. qui egregie docuit Stoicorum has Communes Notiones ab Innatis Notionibus, quales a Platonicis statuerentur, diligenter esse distinguendas.

sippo (39) placet, *Naturales Intelligentiæ* (φυσικαὶ ἔννοιαι) (40); hæc *Notitiæ* sive *Intelligentiæ* idque arctiori sensu (ἔννοιαι); quod utrumque genus notam habere Chrysippus existimabat, qua vera a falsis distinguerentur (41). Præterea autem requirebat, ut *vera* essent Visa sive *comprehensibilia* (φαντασίαι καταληπτικαί), hoc est, quibus res extrinsecus oblata responderet (αἱ ἀπὸ ὑπάρχοντος) (42). Quæ Visa, cum adprobatio (συγκατάθεσις) ad ea accessisset, *Comprehensiones* (καταλήψεις) dicebantur (43); cum

---

(39) Diog. Laert. Lib. VII. segm. 54. Quas intelligentias *obscuras necessarias* appellat Cicero De Legg. Lib. I. cap. 9. init. ubi conferantur Annotationes Goerenzii pag. 37. sq.

(40) Plutarch. De Placit. Philosoph. Lib. IV. pag. 900. B. Quas intelligentias apte quis ad Ciceronis consuetudinem vocaverit *enodatas, evolutas, explicitas*. Conf. Cic. De Legg. l. l. Tusculan. Disputatt. Lib. IV. cap. 24. §. 53. De Officiis Lib. III. cap. 19. §. 76. et cap. 20. §. 81.

(41) Diog. Laert. VII. 54. Ὁ δὲ Χρύσιππος κριτήριά φησιν εἶναι αἴσθησιν καὶ πρόληψιν. ἔστι δὲ ἡ πρόληψις ἔννοια φυσικὴ τῶν καθόλου. Idem fere refert Suidas voce πρόληψις, Tom. III. pag. 188. Kusteri. Chrysippum secutus Cicero Anticipationes dixit *fundamenta quædam scientiæ*, De Legibus Lib. I. cap. 9. §. 26. Conf. præterea Diogenes Laertius in Vitâ Epicuri Lib. X. segm. 33.

(42) Diog. Laert. VII. 54. Atque huc videntur etiam esse referenda quæ de Stoicis universe prodit Sextus Empiricus Advers. Mathematt. Lib. VIII. segm. 10. pag. 460. Οἱ ἀπὸ τῆς Στωᾶς λέγουσι μὲν τῶν τε αἰσθητῶν τινα καὶ τῶν νοητῶν ἀληθῆ· οὐκ ἐξ εὐθείας δὲ τὰ αἰθητὰ, ἀλλὰ κατὰ ἀναφορὰν τὴν ὡς ἐπὶ τὰ παρακείμενα τούτοις νοητά. ἀληθὲς γάρ ἐστι κατ' αὐτοὺς τὸ ὑπάρχον καὶ μὴ ἀντικείμενόν τινι· καὶ ψεῦδος, τὸ μὴ ὑπάρχον καὶ ἀντικείμενόν τινι: ubi vid. Fabricius.

(43) Diog. Laert. Lib. VII. segm. 52. Cicero Academ. Lib. II. cap. 10. §. 31. et doctissima hac de re disputatio Henr. Stephani ad Sexti Empir. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. I. segm. 2. pag. 199. sq. Fabr.

autem ita esset aliquid sensu comprehensum, ut convelli ratione nequiret, *Scientia* appellabatur: quæ cadere in neminem posset nisi in Sapientem (44).

§. XXIII.

Quod autem dixit Chrysippus totam Logicam contineri *iis quæ Significant et quæ Significantur* (τοῖς σημαίνουσί καὶ τοῖς σημαινομένοις) (45), hoc ita est intelligendum, tria hæc arctissimo inter se vinculo conjungi: vocem, notionem rei et rem ipsam notioni subjectam (46). Cum enim nulla sit vox absque significatione illi subjectâ, voces a notionibus disjungi minime possunt. Quæ autem notio voce exprimitur, *Effatum* (τὸ λεκτόν), dicitur (47): quod duplicis generis esse potest, vel *deficiens* (ἐλλιπές), ut *Socrates*, *Scribit*, vel *integrum* sive *perfectum* (αὐτοτελές), *Socrates scribit* (48). Atque hæc *integra Effata*, hoc

---

(44) SEXTUS EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. VII. segm. 433. pag. 455. sq. Fabricii. CICERO Academ. II. 47. §. 145. et præcipue AUGUSTINUS Contra Academicos Lib. I. cap. 7. Conf. omnino GOERENZIUS ad Ciceronem De Legg. Lib. I. cap. 9. §. 26. pag. 38.

(45) Conf. supra §. XIX. not. 27.

(46) SEXT. EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. III. segm. 11. sq. pag. 461. Fabricii. Οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς τρία φασὶ συζυγεῖν ἀλλήλοις· τό, τε σημαινόμενον καὶ τὸ σημαῖνον καὶ τὸ τυγχάνον. ὧν σημαῖνον μὲν εἶναι τὴν φωνήν, σημαινόμενον δὲ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὑπ' αὐτῆς δηλούμενον, τυγχάνον δὲ τὸ ἐκτὸς ὑποκείμενον.

(47) DIOG. LAERT. VII, segm. 63. SEXT. EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. VIII. segm. 70. Λεκτὸν ὑπάρχειν φασὶ τὸ κατὰ λογικὴν φαντασίαν ὑφιστάμενον : ubi vid. FABRICIUS pag. 470. Conf. SUIDAS, voce κατηγόρημα, Tom. II. pag. 278. Kusteri.

(48) Vid. DIOG. LAERT. et SUIDAS ll. cc.

est, quibus alterum de altero sive affirmatur sive negatur, vocantur *Enuntiationes* (ἀξιώματα) (49): quas necessario aut *veras* aut *falsas* esse statuebat Chrysippus (50).

§. XXIV.

Tribuuntur Enuntiationes a Chrysippo in *Simplices* (ἀξιώματα ἁπλᾶ) et *Non-simplices* (οὐχ ἁπλᾶ) sive *Compositas*. Simplices sunt, quæ non ex ambiguâ enuntiatione vel pluribus constant, suntque eæ vel *affirmantes* (ἀποφατικά) vel *negantes* (ἀρνητικά), vel *privativæ* (στερητικά), vel *prædicativæ* (κατηγορικά), vel *definitæ* (καταγορευτικά) vel *indefinitæ* (ἀόριστα) (51). Ad dijudicandam vero Chrysippi doctrinam maxime memoranda est hoc loco alia hæc a Stoicis profecta Simplicium Enuntiationum partitio. Distinguunt enim Enuntiationes *Possibiles* (δυνατά) et *Impossibiles* (ἀδύνατα), *Necessarias* (ἀναγκαῖα) et *Non necessarias* (οὐκ ἀναγκαῖα). Possibilis iis est enuntiatio, cum possit esse vera neque extrinsecus quidquam accedat quod, quominus vera sit, impediat; ut, *Diocles vivit:* Impossibilis, cum quæ extrinsecus sunt repugnent quominus vera sit, ut, *Terra*

---

(49) Diog. Laert. VII. 65. Ἀξίωμά ἐστι, τὸ ἀποφαντὸν ἢ καταφαντὸν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ: quæ definitio tribuitur Chrysippo.

(50) Diog. Laert. l. l. Ἀξίωμά ἐστιν, ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἢ ψεῦδος····· ὡς ὁ Χρύσιππός φησι: et Cicero De Fato Cap. 10. e Chrysippi sententiâ: « Omnis enuntiatio aut vera aut falsa est. »

(51) Diog. Laert. Lib. VII. segm. 68 et 69.

volat (52). Necessaria porro, quæ cum vera sit, falsa esse aut omnino non potest aut certe repugnantibus iis quæ extrinsecus sunt; ut, *Virtus utilis est:* Non necessaria quæ cum vera sit, falsa tamen esse potest, quod falsa quominus sint extrinsecus nihil adversatur; ut, *Dion ambulat* (53).

Utrum vero quæ futura non sint, fieri tamen possint necne et utrum quæ præterierint necessaria sint an non sint, eâ de re magna erat Chrysippi cum Diodoro et Cleanthe dissensio, quæ maximi esse momenti debebat in doctrinâ de Fato. Cum enim *Diodorus* (54) statuisset, id solum fieri posse quod aut verum sit aut futurum sit verum, Chrysippus contra hæc, ea etiam quæ non sint vera futura fieri posse contendit (55). Adversus Cleanthem vero probare conabatur, quæ præterierint vera, eadem esse necessaria, quia præterita non possint e vero in falsum immutari (56).

---

(52) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 75.

(53) Diogenes Laertius l. l.

(54) *Cronus* cognominatus, Philosophus Megaricus: de quo vid. Menagius ad Diog. Laërt. Lib. II. segm. 111. pag. 125. sq. Wetzelius ad Ciceronis Brutum Cap. 90. Spaldingius in Vindiciis Philosophorum Megaricorum pag. 10. et quæ ad Cic. De Fato cap. 7. dedit Davisius.

(55) Cicero De Fato Cap. 6, 7 et 9. init. Rem eamdem attigit etiam in Epist. ad Familiares Lib. IX. epist. 4. ubi vid. Petr. Victorius. Conf. Van Wesele Scholten V. Ampl. in Dissert. De Philos. Cicer. Loco qui est De Divinâ Nat. pag. 62.

(56) Cicero De Fato Cap. 7. extr.

§. XXV.

Compositæ dicuntur Enuntiationes, quæ constant ex Enuntiato vel ex Enuntiatis (ἐξ ἀξιώματος διαφορουμένου (57) ἢ ἐξ ἀξιωμάτων), hoc est, quibus duplex Enuntiatio aut plures Enuntiationes continentur: eæque diverse rursus distribuuntur. Sunt enim et *Hypotheticæ* et *Conjungentes* et *Disjungentes* et *Caussales* et *Comparantes* (58) et aliæ alius generis. Quæ partitiones cum haud ita magnam vim habuisse videantur in doctrinam Chrysippi, prætermitti a nobis poterunt, ubi verbo monuerimus de Enuntiationibus Hypotheticis, de Adjunctis et Caussalibus. Cum enim ratione veritatis et falsitatis oppositas sibi invicem esse statueret Enuntiationes quarum altera alteram negaret; ut, *Dies est* et *Dies non est* (59); hoc inde coëgit, veram esse Enuntiationem Conditionalem (συνημμένον ἀξίωμα) cum oppositum Subsequentis Enuntiationis (τοῦ λήγοντος) Antecedenti (τῷ ἡγουμένῳ) adversetur, ut in exemplo: *Si Dies est, Lux est;* falsam, cum non adversetur, ut, *Si Dies est, Dion ambulat* (60); Conjungentem Enuntiationem (παρασυνημμένον ἀξίωμα) veram esse quando

(57) Hoc est δὶς λαμβανομένου. SEXTUS EMPIR. Advers. Mathematt. Lib. VIII. segm. 93. sq. pag. 475. Fabricii.

(58) SEXT. EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. VIII. segm. 108. sqq. pag. 478. sq. ibique FABRICIUS. DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 69. ad eumque INTERPRETES.

(59) Chrysippo hoc placuisse intelligitur ex iis quæ de eo refert CICERO De Fato Cap. 6.

(60) DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 73. coll. segm. 71. Vid. etiam GALENI

Antecedens vera sit et Subsequens illam necessario comitetur (ὃ ἀρχόμενον ἀπὸ ἀληθοῦς εἰς ἀκόλουθον λήγει); ut, *Quoniam Dies est, Sol est super terram*; falsam, cum aut falsa sit Antecedens aut Consequens inde non necessario efficiatur; ut, si ante lucis occasum quis dixerit *Quoniam nox est, Dion ambulat* (61); Caussalem denique Enuntiationem (αἰτιῶδες ἀξίωμα) veram esse, cum vera sit Antecedens indeque Subsequens necessario efficiatur, nec vero e Subsequenti Antecedens; falsam, cum aut a falsâ Enuntiatione incipiat aut Subsequens sive eam non comitetur sive Antecedens habeat ipsi non respondens: ut, *Quia nox est, Dion ambulat* (62).

§. XXVI.

Reliquum est, ut de Argumentationibus videamus. Et primum quidem monendum esse videtur, *Simplices Syllogismos*, in quibus explicandis præcipuam operam sumsisset Aristoteles, a Stoicis fere intactos esse relictos, nec nisi *Compositos* adcuratius ab iis ac subtilius, auctore præsertim Chrysippo, examinatos esse et pertractatos (63).

---

locus infra laudandus, Not. 71.

(61) DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 74. Conf. SEXT. EMPIR. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. cap. 11. init. pag. 90. Fabricii.

(62) DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 72 et 74.

(63) Conf. DAN. WYTTENBACHII Præcepta Philosophiæ Logicæ P. III. Cap. VI. §. 15. pag. 185.

Definitio Argumentationis quam, ut a Stoicis profectam, servavit nobis Diogenes Laërtius manca admodum est ac tam vitiosa, ut vix probabile sit Zenoni, nedum Chrysippo illam fuisse probatam (64). Est autem his verbis concepta : Argumentatio (λόγος) est quæ constat e Propositione aut Propositionibus (ἐκ λήμματος ἢ λημμάτων), ex Assumtione (προσλήψεως) et Conclusione (ἐπιφορᾶς); ut, Si dies est, lucet; dies autem est; lucet igitur (65). Paullum ab eo discedit SEXTUS EMPIRICUS (66), Propositionem et Assumtionem uno Assumtionum (λημμάτων) nomine complectens easque adcuratius ita determinans, ut oporteat evidentes (ἐμφανῆ) eas esse et ab eo qui disserat nobis concessas (παραχωρηθέντα). Quam adcuratiorem determinationem propterea subjecit, quod Stoici non illud solummodo ad Argumentationis veritatem (67) requirebant, ut recte quid ex Antecedentibus duceretur, sed insuper etiam ut ipsa Antecedentia veritati ne adversarentur (68). Ipsi tamen eâ in re parum sibi

---

(64) DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 76. Crinidi nescio cui eam tribuit: melius profecto fecisset si ipsius Chrysippi definitionem nobiscum communicasset; quam non dubitamus multo fuisse adcuratiorem. Ceterum Crinidis illius ut Stoici philosophi aliquoties meminit LAERTIUS, Lib. VII. segm. 62, 68 et 71. nec laudabilia de eo refert ARRIANUS in Epictet. Dissertatt. Lib. III. cap. 2. §. 15. pag. 362. Schweighæuseri.

(65) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 76.

(66) Advers. Mathematt. Lib. VIII. cap. 4. segm. 301. sq. pag. 515. Fabricii.

(67) Veram autem argumentationem appellabant συνακτικὸν λόγον, SEXT. EMPIR. Adv. Mathematt. Lib. VIII. segm. 303. pag. 516. Fabric. sive περαντικὸν λόγον, DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 77.

(68) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 79. Τῶν λόγων οἱ μὲν ἀληθεῖς εἰσιν,

constiterunt, quippe qui non infitiarentur ex falsis Antecedentibus veri quid effici interdum posse; veluti, Si terra volaret, esse terram (69).

§. XXVII.

Sunt autem, ut Stoicis placet, duplicis generis Argumentationes. Sive enim probandæ sunt, sive suâ ipsæ naturâ tam perspicuæ sunt atque evidentes, ut nulla prorsus probatio in iis desideretur (λόγοι ἀναποδεικτικοί): quæ superioribus illis tamquam fundamenta substernantur, ut eæ tum solummodo veræ sint habendæ cum ad has possint reduci (70). Alii alias earum enumeraverunt, Chrysippus quinque (71), quas ducibus Diogene et Sexto deinceps recensebimus.

οἱ δὲ ψευδεῖς. ἀληθεῖς μὲν οὖν εἰσι λόγοι, οἱ δι' ἀληθῶν συνάγοντες· οἷον, Εἰ ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ, ἡ κακία βλάπτει. ψευδεῖς δέ εἰσιν οἱ τῶν λημμάτων ἔχοντές τι ψεῦδος, ἢ ἀπέραντοι ὄντες· οἷον, Εἰ ἡμέρα ἐστὶ, φῶς ἐστιν· ἡμέρα δέ ἐστι· ζῇ ἄρα Δίων.

(69) DIOGENES LAERTIUS ibid. segm. 81. Ἐπὶ ψευδεῖ ἕπεται ἀληθὲς κατὰ τοὺς Στωϊκούς· ὡς τῷ ἵπτασθαι τὴν γῆν, τὸ εἶναι τὴν γῆν.

(70) DIOGENES LAERTIUS VII. 78. Συλλογιστικοὶ μὲν οὖν εἰσιν οἱ ἤτοι ἀναποδεικτικοὶ ὄντες, ἢ ἀναγόμενοι ἐπὶ τοὺς ἀναποδείκτους, κατά τι τῶν θεμάτων ἤ τινα.

(71) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 79. Λόγων ἀναποδείκτων ἄλλοι μὲν παρ' ἄλλοις, παρὰ δὲ τῷ Χρυσίππῳ πέντε, δι' ὧν πᾶς λόγος πλέκεται. Chrysippi nomine prætermisso eas refert SEXTUS EMPIRICUS Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. segm. 157. pag. 101. sq. Fabric. Conf. GALENUS De Vi Medicaminum Simplicium Lib. II. Tom. II. pag. 23. lin. 27. Basil. Τὴν δ' ὑποθετικὴν πρότασιν, ἣν οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον ἀξίωμα συνημμένον ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχομεν ἀληθῆ λαβεῖν, οὔτ' ἐξ αἰσθήσεως, οὔτ' ἐξ ἀκολουθίας λογικῆς: qui primam ratiocinandi formam propterea improbat quod non possit inverti; sed, ut nobis videtur, injuriâ.

Ac prima quidem forma est, cum in Enuntiatione Hypotheticâ (ἀξιώματι συνημμένῳ) e veritate Assumtionis (τοῦ ἡγουμένου) efficitur veritas Subsequentis (τοῦ λήγοντος); ut, Si dies est, lux est; est autem dies; lux est igitur. Altera, cum in Hypotheticâ Enuntiatione e Subsequentis contrario (τοῦ ἀντικειμένου) colligitur contrarium Antecedentis (τοῦ ἡγουμένου); ut Si dies est, lux est; non est autem lux; non igitur est dies. Tertia, cum in Copulativâ eâque Negativâ Enuntiatione (ἐν ἀποφαντικοῦ συμπλοκῇ) sive Antecedens affirmatur sive Subsequens (ἓν τῶν ἐκ τῆς συμπλοκῆς), indeque efficitur alteram (τὸ ἀντικείμενον τοῦ λοιποῦ) esse falsam; ut, Non dies et nox est; dies autem est; non est igitur nox: et sic vice versâ. Quarta est, quæ in Disjunctivâ Enuntiatione (ἀξιώματι διεζευγμένῳ) e veritate unius τῶν ἐπεζευγμένων falsitatem efficit alterius; ut, Aut dies est, aut nox est; dies autem est; non est igitur nox. Quinta denique, quæ in eâdem Enuntiatione e contrario unius colligit falsitatem alterius; ut, Aut dies est, aut nox est; non est autem dies; est igitur nox; et vicissim (72). Hanc vero postremam ratiocinandi formam ne a belluarum quidem naturâ esse alienam statuebat Chrysippus (73),

---

(72) Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. segm. 157 et 158. Conf. Idem Advers. Mathematt. Lib. VIII. segm. 223. ad segm. 227. pag. 500. sq. Fabric. Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 80 et 81.

(73) Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. cap. 40. segm. 69. Κατὰ τὸν Χρύσιππον καὶ τῆς διαλεκτικῆς μετέχει (ὁ κύων). φησὶ γοῦν αὐτὸν ὁ προειρημένος ἀνὴρ ἐπιβάλλειν τῷ πέμπτῳ διὰ πλειόνων ἀναποδείκτων, ὅταν ἐπὶ τρίοδον ἐλθεῖν· καὶ τὰς δύο ὁδοὺς ἰχνεύσας, εὐθέως ὁρμήσει δι' αὐτῆς. δυνάμει γὰρ τοῦτο αὐτὸν λογίζεσθαί φησιν ὁ ἀρχαῖος· ἤτοι τῇδε ἢ τῇδε ἢ τῇδε διῆλθε τὸ θηρίον· οὔτε δὲ τῇδε, ἢ τῇδε, τῇ δὲ ἄρα: ubi vid. Fabricius pag. 19. Hinc conjicimus Chrysippo esse tribuenda quæ de Dialecticis omnino refert Plutarchus in libro qui inscribitur

licet alias non tantum, quantum reliqui Stoici, tribuisse videatur animalium ingeniis (74).

§. XXVIII.

Quas modo enumeravimus quinque Argumentationis formas, eæ ad duas possunt commode revocari, Hypotheticas et Disjunctivas, quæ præcise a Stoicis τρόποι (75) et λογότροποι (76) dicuntur, omnesque veræ sunt, si a secundâ discesseris; in qua cum e Subsequentis contrario negatio efficiatur Antecedentis, peccetur contra Logicas leges; quoniam fieri Argumentatio potest ab eo quod postulatur ad Consequens, non item a Consequente ad id quod postulatur. Quod ubi animadvertimus, mirari subit huic ipsi formæ evidentiam a Nostro esse tributam neque Simplicem Syllogismum eam ad rem aptiorem esse judicatum. Sed ratio hujus rei inde videtur esse repetenda quod non evidentiam modo e Logicis legibus profectam, verum

---

Terrestriane An Aquatilia Animalia Sint Callidiora pag. 969. B. Ceterum huc pertinent duæ hæ Scriptiones: Jo. ANDR. SCHMIDII Dissertatio De Chrysippeâ Brutorum Logicâ, Jenæ 1689. et GEORG. HENR. RIBOVII Dissertat. De Animâ Brutorum, adjecta illa HIER. RORARII Libris duobus, quibus docere studet Animalia bruta ratione melius uti quam hominem, edit. Helmstad. 1728. 8.

(74) Nam SEXTUS EMPIRICUS l. l. eum dicit τὸν μάλιςα πολεμοῦντα τοῖς ἀλόγοις ζώοις.

(75) SEXTUS EMPIRICUS Adv. Mathematt. Lib. VIII. segm. 227. pag. 501. Fabr.

(76) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 77.

etiam ipsam rei veritatem efficere studebat Chrysippus (77): nec contra ea adquiescebat in perspicuis ejusmodi nec ulli dubitationi obnoxiis Enuntiationibus, *Si dies est, lucet,* sed tum demum veras esse illas existimabat cum argumentandi formâ essent probatæ (78).

§. XXIX.

Neque tamen Chrysippo, licet hac in re forsitan religioso, umquam id contigit ut, quid inter rei ipsius et argumentationis veritatem differret, penitus assequeretur. Quocirca ad incitas facile redigebantur Stoici, si quis ejusmodi argumentationibus eos esset adgressus quæ, cum nihil esset in formâ reprehendendum, falsi quid efficerent; quas, quemadmodum se expedirent e difficultate nescientes, *Inexplicabiles* (79) appellabant. Insigne talis sophismatis, quod Chrysippus explicare nequierit, exemplum memorat CICERO (80). Nec vero ullum sophismatis

---

(77) Conf. CICERO Academ. Lib. II, cap. 28. post med.

(78) Quod quidem ita reprehendit SEXTUS EMPIRICUS Adv. Mathematt. VIII. segm. 443. pag. 541. Fabr. Τὸ λέγειν, μὴ ἀρέσκειν τῷ Χρυσίππῳ μονολημμάτους εἶναι λόγους, τελέως ληρῶδες. οὐ γὰρ ταῖς Χρυσίππου φωναῖς ὡς Πυθοχρήστοις παραγγέλμασιν ἀνάγκη πείθεσθαι.

(79) Græce λόγους ἀπόρους ἐγκεκαλυμμένους καὶ διαλεληθότας. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 82. A. GELLIUS Lib. V. cap. 10. L. IX. c. 15. L. XIV. c. 2. et L. XX. c. 1.

(80) Academ. Lib. II. cap. 30. §. 96. coll. cap. 19. §. 95. ubi cum Goerenzio legendum : « Si te mentiri dicis, idque verum dicis, mentiris. » Conf. A. GELLIUS Noct. Attic. Lib. XVIII. cap. 2. Alia similia sophismata, qui-

genus tantum Chrysippo negotia facessebat quam Sorites: in quo explicando animum omnino despondisse videtur. Existimavit igitur, cum determinari vix posset quid nimium esset, quid parum, quid satis, aliaque generis ejusdem, prudentis esse adversarii, ubi aliquantum fuerit in coacervando progressum, consistere et assensionem cohibere: quod ipse appellabat ἵστασθαι, ἐπέχειν et ἡσυχάζειν (81).

Et hæc fere sunt quæ de Logicâ Chrysippeâ ad nostram notitiam pervenerunt. In quibus tractandis ita nobis versandum esse existimavimus, ut potiora saltem capita ex Antiquis Auctoribus collecta disponeremus et quam fieri posset brevissime exponeremus, a judicandi autem officio, quippe quod copiosiorem disputationem desideraret, penitus abstineremus. Quam eamdem rationem in sequentibus item duobus locis sequemur. Ac priori quidem loco de Physicis est agendum.

---

bus Chrysippus ipse sit usus, consignavit DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 186 et 187.

(81) SEXTUS EMPIRICUS Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. segm. 253. *Οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον δογματικοὶ ἐν τῇ συνερωτήσει τοῦ σωρείτου προϊόντος τοῦ λόγου φασὶ, δεῖν ἵςασθαι καὶ ἐπέχειν, ἵνα μὴ ἐκπέσωσιν εἰς ἀτοπίαν.* IDEM Advers. Mathematt. Lib. VII. segm. 416. *Ἐπὶ τοῦ σωρείτου τῆς ἐσχάτης καταληπτικῆς φαντασίας τῇ πρώτῃ ἀκαταλήπτῳ παρακειμένης καὶ δυσδιορίςου σχεδὸν ὑπαρχούσης, φασὶν οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον, ὅτι ἐφ' ὧν μὲν φαντασιῶν ὀλίγη τις οὕτως ἐστὶ διαφορὰ, ςήσεται ὁ σοφὸς καὶ ἡσυχάζει*: quo utroque loco conferendus est FABRICIUS pag. 125. et pag. 452. Exemplum hujus præcepti profert CICERO Academ. Lib. II. cap. 29. §. 93. «Placet Chrysippo, quum gradatim interrogetur, verbi caussâ, tria pauca sint, anne multa; aliquanto priusquam ad multa perveniatur, quiescere, id est, quod ab his (Stoicis) dicitur *ἡσυχάζειν.*» Conf. præterea INTERPRETES ad Persii Satir. VI. v. 79. et in primis Is. CASAUBONUS pag. 521. edit. Paris.

CAPUT TERTIUM.

PHYSICA CHRYSIPPI.

§. XXX.

Ad hanc Philosophiæ partem quod attinet, quæ ob rerum, in quibus versatur, præstantiam et gravitatem duabus reliquis merito anteponi videtur a Stoicis (82), Chrysippum in plurimis ad Zenonis et Cleanthis placita se adcommodasse et probabile est et quodam modo etiam e paucis quæ a Veteribus proditæ sunt notitiis intelligitur. Ex iisdem vero apparet, plures locos, quos leviter tantum attigissent Zeno et Cleanthes, a Chrysippo demum adcuratius esse pertractatos, et quæ illi postulassent sæpe neque probassent, ab eo tandem esse explicita, demonstrata et miro quodam ingenii acumine contra adversariorum impugnationes defensa. Qua quidem in re si quando parum felici successu est usus, non id negligentiæ ejus aut tarditati est tribuendum sed ipsi Stoicorum rationi: quam qui

(82) Seneca Natural. Quæstion. Lib. I. Præfat. pag. 679. Lipsii.

profitebantur ii ultro erant certis quibusdam dogmatibus adstricti nec nisi hac Sectâ omnino relictâ ab iis discedere et in disputandi libertatem se poterant vindicare. Copiosius autem a Chrysippo ii præcipue loci expositi sunt qui erant de Deo, de Providentiâ, de Fato ac de variis Animorum Affectibus et Perturbationibus; quippe qui arctius continerentur cum Morum Doctrinâ ad eamque e Stoicorum sententiâ stabiliendam et illustrandam, si rite essent explicati, plurimum facere viderentur.

§. XXXI.

Jam variæ sunt hujus doctrinæ a Stoicis profectæ partitiones. Prima est in Corporea et Incorporea (83). Incorporea sunt quæ esse possunt sed corporibus non continentur, ut Quæ dicuntur (τὰ λεκτά) (84), Locus (ὁ τόπος), Vacuum (τὸ κενόν), ac Tempus

---

(83) Seneca Epistolâ LXXXIX. pag. 572. B. Lips.

(84) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 43. ibique Aldobrandinus: præcipue Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypotypos. Lib. II. cap. 8. segm. 81. Lib. II. cap. 11. segm. 104. ad quem utrumque locum plura attulit Fabricius pag. 85. et 90. Idem Advers. Mathematt. Lib. I. cap. 3. segm. 20. *Δεῖ τὰ διδασκόμενα λεκτὰ τυγχάνειν· τὰ δὲ σώματα οὐκ ἐστι λεκτά*. Lib. VIII. segm. 70. *Ἠξίουν οἱ Στωικοὶ κοινῶς ἐν λεκτῷ τὸ ἀληθὲς εἶναι καὶ τὸ ψεῦδος· λεκτὸν δὲ ὑπάρχειν φασὶ τὸ κατὰ λογικὴν φαντασίαν ὑφιστάμενον*: ubi rursus videndus est Fabricius pag. 470. Seneca Epist. CXVII. pag. 656. B. Lipsii: « Dico, *Cato ambulat.* Non corpus quidem est quod nunc loquor sed enuntiativum quiddam de corpore: quod alii effatum vocant, alii enuntiatum, alii edictum. Sic cum dicimus Sapientiam, incorporale quiddam intelligimus; cum dicimus, Sapit, de corpore loquimur. » Conf. etiam Janus Bakius V. C. ad Cleomedis Circular. Doctrin. De Sublimibus pag. 280.

(ὁ χρόνος) (85). Corporea vocantur quæ revera sunt (86), eaque vel efficiunt aliquid vel patiuntur. Complectuntur autem Principia (τὰς ἀρχὰς) et Elementa (τὰ στοιχεῖα); hæc jam secreta et formata (μεμορφωμένα); unde, quæ fiunt, primum oriuntur et quo tandem omnia resolvuntur (87); sunt tamen eadem corruptioni obnoxia (88), ut ignis, aqua, aër, atque terra (89); illa formâ penitus destituta, neque orta umquam sunt neque corrumpentur umquam (90) continentque et Vim rerum omnium effectricem (τὸ ποιοῦν) sive Deum (91) et Materiam, quæ illi se præbet undeque efficitur aliquid (τὸ πάσχον), hoc est,

---

(85) SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. I. cap. 3. segm. 28. pag. 220. Fabricii : Πᾶν καὶ ὁποῖον ἄν τις ἀσώματον λέγῃ διδάσκεσθαι, ἐάν τε τὴν Πλατωνικὴν ἰδέαν, ἐάν τε τὸ παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς λεκτὸν, ἐάν τε τόπον, ἢ κενὸν, ἢ χρόνον, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, κ. τ. λ. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 132, 133, et 140. Plura qui desiderat, is adeat JUSTUM LIPSIUM Physiologiæ Stoicor. Lib. II. diss. 5. (Opp. Tom. IV. pag. 572. sq.)

(86) In refellendo hoc Stoicorum dogmate versatur disputatio *Areii Didymi*, quam servavit nobis EUSEBIUS in Præparat. Evangel. Lib. XV. cap. 17. pap. 819. sq. edit. Lips.

(87) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134 et 136 : ἔστι δὲ στοιχεῖον, ἐξ οὗ πρώτου γίνεται τὰ γινόμενα καὶ εἰς ὃ ἔσχατον ἀναλύεται. SUIDAS voce Στοιχεῖον, Tom. III. pag. 385. Kust.

(88) In mundi exustione. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134.

(89) IDEM Lib. VII. segm. 137.

(90) Sunt ἀρχαὶ, ἀγέννητοι καὶ ἄφθαρτοι. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134.

(91) SENECA Epistolâ LXV. pag. 494. A. Lipsii : « Quærimus, quid sit caussa : Ratio faciens, id est, Deus. » DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134. Δοκεῖ αὐτοῖς τὸ ποιοῦν εἶναι τὸν ἐν αὐτῇ (τῇ ὕλῃ) λόγον τὸν θεόν.

omni qualitate carentem substantiam (τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην) (92): ut non Materia solum sed Deus ipse corporeis rebus a Stoicis annumeretur (93). Cum vero nihil effici posse nisi a Corpore statuerent (94), consentaneum erat ut ad Corporea etiam referrent, quæ reliquis omnibus Incorporea viderentur,

---

(92) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134. CICERO Academicor. Lib. I. cap. 2. SENECA Epist. LXV. pag. 492. D et 493. A. «Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum naturâ, ex quibus omnia fiant, caussam et materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat: caussa autem, id est ratio, materiam format, ex quocumque vult versat, ex illâ varia opera producit. Esse debet ergo, unde aliquid fiat, deinde a quo fiat: hoc caussa est, illud materia.» AUL. GELLIUS N. A. Lib. V. cap. 15. Divus LACTANTIUS Divin. Institut. Lib. VII. cap. 3. Conf. omnino JUSTUS LIPSIUS Physiologiæ Stoicorum Lib. I. diss. 4. et Lib. II. diss. 2. (Opp. Tom. IV. pag. 538. sq. et 568.)

(93) Δοκεῖ τοῖς Στωϊκοῖς, καὶ σώματα εἶναι τὰς ἀρχὰς καὶ ἀμόρφους. Ita DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134. Quidquid de hoc loco corrigendo monuerint CASAUBONUS et MENAGIUS, qui incorporea a Stoicis habita esse Principia contenderent; nos quidem adquiescimus in doctissimi popularis judicio, ita Diogenis verba interpretantis ut a nobis exhibita sunt et intellecta: Physiolog. Stoicor. Lib. XV. diss. 5. (Opp. T. IV. pag. 572. sq.); quod confirmatur etiam loco *Aristoclis* apud EUSEBIUM Præparat. Evangel. Lib. XV. cap. 14. pag. 816. D. Στοιχεῖον εἶναί φασιν (οἱ Στωϊκοί) τῶν ὄντων τὸ πῦρ, καθάπερ Ἡράκλειτος, τούτου δ᾽ ἀρχὰς ὕλην καὶ Θεὸν, ὡς Πλάτων. Ἀλλ᾽ οὗτοι ἄμφω σώματά φασιν εἶναι, καὶ τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον, ἐκείνου πρῶτον ποιοῦν αἴτιον ἀσώματον εἶναι λέγοντος.

(94) Πᾶν γὰρ τὸ ποιοῦν σῶμά ἐστι. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 56. PLUTARCHUS De Placitis Philosophorum Lib. IV. cap. 20 pag. 902. F. CICERO Academ. Lib. I. cap. 12. ibique PETR. FABER pag. 330. Davisii.

veluti Caussas rerum (95) et Qualitates (96), Noctem et Diem (97), Vocem (98), Virtutes et Vitia, Artes, Affectiones animorum (99) et ipsum denique Animum (100), aliaque

---

(95) PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 882. F. Οἱ Στωϊκοὶ πάντα τὰ αἴτια (ἡγοῦνται) σωματικά· πνεύματα γάρ. CICERO Academ. Lib. I. cap. 12. «Zeno arbitrabatur, nec quod efficeret aliquid nec quod efficeretur, posse esse non corpus.» JO. STOBÆI Eclogg. Lib. I. cap. 14. pag. 336. Heeren.

(96) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1054. A.

(97) *Chrysippi* Fragm. apud PLUTARCHUM De Communibus Notitiis pag. 1084. D.

(98) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 55. Καὶ σῶμά ἐστιν ἡ φωνὴ, κατὰ τοὺς Στωϊκοὺς, ὥς φησιν Ἀρχέδημός τε καὶ Διογένης καὶ Ἀντίπατρος καὶ Χρύσιππος. PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. Lib. IV. cap. 20. pag. 902. F. et 903. A. AUL. GELLIUS Noct. Att. Lib. V. cap. 15. ibiq. JAC. GRONOVIUS, et MENAGIUS ad Laërtii l. l. pag. 287.

(99) PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1084. SENECA Epistolâ CVI. pag. 630. B. C. Epist. CXVII. pag. 656. B. C. Lips. TERTULLIANUS De Animâ Cap. VI. pag. 267. C. D. Paris.

(100) SENECA Epistolâ CXIII. pag. 644. A. Lips.; quod de Chrysippo diserte prodit NEMESIUS De Naturâ Hominis pag. 81. ed. Matth. Χρύσιππός φησιν· ὁ θάνατός ἐστι χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος· οὐδὲν δὲ ἀσώματον ἀπὸ σώματος χωρίζεται· οὐδὲ γὰρ ἐφάπτεται σώματος ἀσώματον· ἡ δὲ ψυχὴ καὶ ἐφάπτεται καὶ χωρίζεται τοῦ σώματος· σῶμα ἄρα ἡ ψυχή. TERTULLIANUS De Animâ Cap. V. pag. 267. B. Paris., Zenonis et Cleanthis eâ de re sententiam cum exposuisset, ita pergit: «Sed et Chrysippus manum ei porrigit (Cleanthi), constituens corporalia ab incorporalibus derelinqui omnino non posse, quia nec contingantur ab iis.» Sed hac de re omnino est conferenda Cel. WYTTENBACHII præstantissima Disputatio De Immortalitate Animi ex Veterum Philosophor. Sententiâ, Sect. VIII. (in Ejus Opuscc. Varii Argum. Lugd. Batav. 1821. Tom. II. pag. 619-631).

plura (101). Sed ab aliis aliter quoque distribuitur Physica Doctrina, ut in locum de Corporibus, et de Principiis et Elementis, et Diis et Monstris (περὶ τεράτων), et Loco et Inani. Præterea tres locos primarios distinxerunt, qui erant de Mundo, de Elementis, de Caussis, quarum unamquamque rursus in plures partes tribuerunt, enumeratas illas a DIOGENE LAERTIO (102).

Cum vero nec constet certo, quam partiendi rationem secutus sit Chrysippus neque, si constaret etiam, fieri posset ut e paucis ac dispersis illis, quæ novimus, fragmentis justam Physicæ Chrysippeæ descriptionem exhiberemus; satius visum est nobis eo ordine tractare hanc Philosophiæ partem, quem rerum ipsarum cohærentia postularet, nec ulli nos earum partitionum, quas modo recensuimus, adstringere.

§. XXXII.

Ac primum quidem, quo adversariorum dubitationibus occurreret, ratione Temporis, Loci et Vacui differentiam dixit esse Chrysippus inter ea quæ in infinitum (εἰς ἄπειρον) dividerentur et ea quorum divisio definiri nequiret sed continua esset nec umquam desineret (ὧν ἡ τομὴ ἀκατάληκτός ἐστι) (103). Priores enim Stoici cum corpora ex infinitis partibus constare dice-

---

(101) PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1084. Conf. SEXTUS EMPIRICUS Adv. Mathematt. Lib. VIII. segm. 258. pag. 507. Fabric.

(102) Lib. VII. segm. 132 et 133. ubi vid. tamen ALDOBRANDINUS.

(103) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 150. extr.

rent (104) neque tamen finita illa esse diffiterentur (105), pugnantia videbantur loqui. Ad tollendam igitur hanc repugnantiam, argutius licet quam verius, ita Noster distinxit: secari quidem in infinitum posse et corpora et quæ corporibus essent similia, ut superficiem, lineam, locum, inane, tempus; neque tamen effici hinc posse, aut corpora aut quæ iis essent similia, ex infinitis corporibus constare (106).

De Loco et Vacuo hæc fuerat Stoicorum sententia, Locum a corporibus occupari (ἔχεσθαι ὑπὸ τῶν σωμάτων), Vacuum esse quod, cum occupari a corporibus posset, ab iis non occuparetur (τό οἷόν τε κατέχεσθαι ὑπὸ σωμάτων οὐ κατεχόμενον) (107): idque

(104) Sextus Empiricus Advers. Mathematt. Lib. X. segm. 142. pag. 657. Fabricii: Πρὸς μὲν οὖν τοὺς εἰς ἄπειρον τέμνεσθαι λέγοντας, τά τε σώματα καὶ τοὺς τόπους, καὶ τοὺς χρόνους, οὗτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς, ταῦθ' ἥρμοζε λέγειν. Diogenes Laertius l. l.

(105) Diogenes Laertius l. l. Σῶμά ἐστι κατὰ τοὺς Στωϊκοὺς ἡ οὐσία καὶ πεπερασμένη.

(106) Jo. Stobæus Eclogg. Lib. I. cap. 15. pag. 344. Heerenii: Χρύσιππος ἔφασκε τὰ σώματα εἰς ἄπειρον τέμνεσθαι, καὶ τὰ τοῖς σώμασι προσεοικότα, οἷον ἐπιφάνειαν, γραμμὴν, τόπον, κενὸν, χρόνον· εἰς ἄπειρόν τε τούτων τεμνομένων, οὔτε σῶμα ἐξ ἀπείρων σωμάτων συνέστηκεν, οὔτ' ἐπιφάνεια, οὔτε γραμμὴ, οὔτε τόπος.

(107) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 140. Scripsimus autem κατεχόμενον pro vitioso κατεχομένου, monente ad h. l. Menagio. Plutarchus De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 884. A. Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. cap. 16. segm. 124. Οἱ Στωϊκοί φασι κενὸν μὲν εἶναι τὸ οἷόν τε ὑπό τινος κατέχεσθαι, μὴ κατεχόμενον δέ· ἢ διάστημα ἔρημον σώματος, ἢ διάστημα ἀκαθεκτούμενον ὑπὸ σώματος: ubi vid. Fabricius pag. 158.

extra mundum solummodo esse circumfusum (ἔξωθεν τοῦ κόσμου περικεχυμένον εἶναι τὸ κενὸν ἄπειρον), nusquam in mundo (108). Quæ definitio cum vitiosa esse propterea videretur, quod Vacuum a loco corporibus repleto penitus esset sejunctum neque ex Loco quidquam posset in illud transire, Chrysippus hæc diligentius ita definivit ut, quod Vacuo tribuissent decessores, hoc est, ut occupari a corporibus posset neque occuparetur, hoc soli Loco tribueret ab eoque Vacuum statueret omnino esse diversum. Quod Chrysippi placitum copiosius exponit JOANNES STOBÆUS (109).

§. XXXIII.

Tempus autem dixit esse motus intervallum (κινήσεως διάστημα) mensuramque celeritatis ac tarditatis, vel mundi motum consequens intervallum (τὸ παρακολουθοῦν διάστημα τῇ τοῦ κόσμου κινήσει), sine quo nec moveri nec esse quidquam possit. Quemadmodum vero vacuum sit undique infinitum, sic etiam tempus *præteritum* et *futurum* infinitum esse, indeque consequi ut, quoniam cum continua omnia tum tempus in infinitum secentur, nullum proprie tempus *præsens* possit appellari : *exsistere* (ὑπάρχειν) autem solummodo tempus *præsens*, cum *præteritum* et *futu-*

---

(108) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 140. PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1073. E. Κενὸν ἄπειρον ἔξωθεν τῷ κόσμῳ περιθέντες, οὔτε σῶμα τὸ πᾶν, οὔτε ἀσώματον εἶναι λέγουσιν (οἱ Στωϊκοί) : IDEM De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 883. F. Οἱ Στωϊκοὶ (λέγουσιν) ἐντὸς τοῦ κόσμου οὐδὲν εἶναι κενὸν, ἔξωθεν δ' αὐτοῦ ἄπειρον. Conf. ALDOBRANDINUS ad Laërtii locum laud.

(109) Eclogg. Lib. I. cap. 19. pag. 390. sqq. ubi videndus est HEERENIUS. Sed conf. Diss. Part. III. Cap. III. §. LXXXII.

rum instent (ἐφεστήκωσι) quidem, nec vero *exsistant;* nisi id eo modo intelligatur quo categoremata, quæ per accidens fiant (κατηγορήματα μόνα τὰ συμβεβηκότα), exsistere (ὑπάρχειν) dicuntur; veluti ambulatio ambulanti tribuatur, jacenti aut sedenti non tribuatur (110). Alia quæ huc pertinent, commodius proferemus infra in Fragmentis §. LXXX.

§. XXXIV.

Cum quatuor Elementa rerum (στοιχεῖα) Stoici statuissent, quorum cuique vim quamdam tribuerent, igni τὸ θερμόν, aquæ τὸ ὑγρόν, aëri τὸ ψυχρόν, terræ τὸ ξηρόν (111); eadem fuit Chrysippi sententia: ignem tamen cum quadam excellentiâ Elementum esse appellandum judicavit, quod ex eo primo tria reliqua mutatione componantur inque illud ultimum resolvantur, ipsum vero in nullum aliud nec diffundatur nec dissolvatur. Ignem enim in aërem primo immutari, hunc in aquam, aquam vero in terram: e terrâ rursus dissolutâ aquam exsistere, ex aquâ aërem et ex terrâ denique ignem (112).

Placebat autem Stoicis omnia se invicem corpora penetrare variisque modis inter se conjungi et misceri (113): quod cujus-

---

(110) Jo. Stobæus Eclogg. Lib. I. cap. 9. §. 42. pag. 260 sq. Heer.

(111) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 136 et 137.

(112) Jo. Stobæus Eclogg. Lib. I. cap. 11. pag. 312. sq. Heer. Conf. Cicero De Nat. Deor. Lib. II. cap. 33. et quæ ad h. l. protulerunt Jo. Davisius et Frid. Creuzerus, pag. 341. sq.

(113) Jo. Stobæus Eclogg. Lib. I. cap. 18. pag. 376. Heeren.: ἀρέσκει

11.

modi esset, primus acute ostendisse videtur Chrysippus. Sive enim ita conjunguntur corpora, ut superficies (ἐπιφάνειαι) tantum se contingant, ut in acervis frumenti, hordei et similium, in arenis item et calculis litoralibus; quæ Compositio seu Accumulatio (παράθεσις) dicitur : sive ita fit conjunctio ut alterum omnino permanet in alterum; cujus duplex rursus distinguitur forma, prout corpora qualitates sibi proprias (τὰς συμφυᾶς περὶ αὐτὰ ποιότητας) amittant aut retineant. Illa Confusio (σύγχυσις) vocatur, quæ fit, verbi caussâ, in unguentorum et medicamentorum compositione : hæc Mixtio (μίξις) dicitur; quæ cum in siccis corporibus accidit, ut in igne ac ferro, in animo eumque circumdanti corpore, μίξις arctiori sensu vocatur; cum in humidis, Temperatio (κρᾶσις); quæ conspicitur in vini, mellis, aquæ et similium commixtione, quarum rerum suam quæque qualitatem ita plerumque retinet, ut arte possint a se invicem rursus separari (114).

τοῖς Στωϊκοῖς σῶμα διὰ σώματος ἀντιπαρήκειν. Quod recte etiam indicatur a Diogene Laertio Lib. VII. segm. 140. qui Stoicos dixisse ait ἡνῶσθαι τὸν κόσμον, et a Cicerone De Nat. Deor. Lib. II. cap. 33. « Quæque in medium locum mundi, qui est infimus, et quæ a medio in superum, quæque conversione rotundâ circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt unamque rationem. »

(114) Stobæus Lib. I. cap. 18. pag. 374. sq. Licet vero de Stoicis universe loquatur Stobæus nec diserte hanc divisionem tribuat Chrysippo, hoc tamen intelligitur cum ex ipso hoc ejus loco, cujus in fronte posuerit nomen Chrysippi, tum ex verbis Alexandri Aphrodisiensis, quæ commode ad h. l. apposuit Heerenius. Hic autem Stoicorum usus obversatus esse videtur eleganti Chrysostomi discipulo Isidoro Pelusiotæ Lib. IV. ep. XCIX. pag. 49. Rittershus., qui varias de Christi Divinâ Naturâ opiniones

§. XXXV.

De Caussâ et Effectione hæc erat Chrysippi sententia: Caussam esse, propter quam aliquid fiat, eamque et revera esse (*exister*, WEZEN) et corpus esse et ὅτι (*le pourquoi*); Effectionem, quæ propter aliud quid sit : Αἰτίαν vero esse Rationem caussæ aut Rationem de caussâ, quatenus caussâ (115). Quæ quamquam adumbrata solummodo sunt et obscurius dicta, maximi tamen momenti sunt ad Stoicorum, Chrysippi potissimum, Physicam doctrinam penitus perspiciendam. Ex eo enim quod Rationem caussæ (τὴν αἰτίαν) ab ipsâ Caussâ (τῷ αἰτίῳ) distinxerunt, hanc autem corpoream esse existimarunt, facile intelligitur quî factum sit, ut Deum statuerent ad corpora esse referendum, tamquam omnes naturæ vires in se complectentem, et rursus naturæ vires in iis collocarent quæ sub sensus non cadant. Cujus rei gravitas in duobus præcipue illis locis conspicitur qui sunt de Deo et de Mundo, de quibus nunc paullo uberius nobis est agendum.

§. XXXVI.

Et esse quidem Deum cum rationibus parum firmis probare

---

enumerans, præter alia hæc profert: *καὶ οἱ μὲν μὴ ἐπιδεδημηκέναι τὸν ἐκ θεοῦ φύντα λόγον· οἱ δὲ κατὰ φαντασίαν ἐπιδεδημηκέναι· καὶ οἱ μὲν σύγχυσιν καὶ κρᾶσιν, καὶ ἀφανισμὸν τῶν οὐσιῶν ἐδογμάτισαν.*

(115) *Χρύσιππος αἴτιον εἶναι λέγει δι' ὅ. Καὶ τὸ μὲν αἴτιον, ὄν, καὶ σῶμα, καὶ ὅτι· οὗ δὲ αἴτιον, διά τι. Αἰτίαν δ' εἶναι λόγον αἰτίου, ἢ λόγον τὸν περὶ τοῦ αἰτίου, ὡς αἰτίου.* Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. I. cap. 14. pag. 338. Secutus autem sum in corruptissimo hoc loco exscribendo emendationes Heerenii.

contendissent Zeno (116) et Cleanthes (117), eam rem adcuratius et ad persuasionem magis apposite demonstrare studuit Chrysippus. Ejus autem argumentatio, a CICERONE nobis servata, hæc est : « Si est aliquid in rerum naturâ, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit : est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res celestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non potuerunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam Deum? Etenim si Dii non sunt, quid esse potest in rerum naturâ homine melius? In eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiæ est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto Deus (118). » Cum vero Dei vim et naturam per totum mundum ejusque partes diffusam esse statuissent Zeno et Cleanthes (119), idem

---

(116) SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 133. pag. 581. sq. Fabr.

(117) CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 5. SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 88. ibique FABRICIUS pag. 573.

(118) De Nat. Deor. Lib. II. cap. 6. Conf. SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. IX. Segm. 75. sqq. pag. 569. Fabricii.

(119) PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 882. A. Deum e Stoicorum mente dicit πνεῦμα μὲν διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνων κατὰ τὰς τῆς ὕλης, δι' ἧς κεχώρηκε παραλλάξεις : quem locum ex parte exscripsit Jo. STOBÆUS Lib. I. cap. 3. pag. 66. Heer. Conf. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 147, coll. segm. 138 et 139. SEXTUS EMPIRICUS

placuit Chrysippo; sed quibus id modis fieret, ipse tandem subtilius definivit. Dixit autem Divinum animum (τὸν νοῦν) duplici ratione mundum penetrare; sive enim ut vim quamdam corpoream per ejus partes permeare, ut per ossa ac nervos (ἕξις), sive ut animum (ὡς νοῦν) pertinere per illas, veluti per mentem hominis (διὰ τοῦ ἡγεμονικοῦ) (120). Quod cujusmodi sit, paucis illustrandum videtur. Cum enim Materia (ἡ ἄποιος οὐσία, ἡ ὕλη) nec procreandi vim habeat nec qualitates (121), has ipsas proficisci oportet ab altero Principio, quod Efficiens (τὸ ποιοῦν) dicitur: quod principium cum et revera sit et efficiat aliquid, corporeum est (122), nec nisi concretâ re adjutrice efficiendi vim potest exercere. Adjuvatur autem spiritu movente (τῷ πνεύματι κινοῦντι), qui est aër et æther (123), distinguendi illi quidem ab eâ quam αἰτίαν, hoc est, rationem caussæ appellant Stoici (124).

Jam principium illud efficiens sive αἰτία duplicis generis est.

Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. cap. 24. segm. 218. CLEMENS ALEXANDRINUS Stromatt. Lib. I. pag. 295. ed. Paris. SENECA Consolat. ad Helviam Cap. VIII. pag. 77. B. JUST. LIPSIUS Physiolog. Stoic. Lib. I. cap. 7. (Opp. Tom. IV. pag. 538. sq.) GERARD. JO. VOSSIUS De Theologia Gentili Lib. VII. cap. 5.

(120) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 139.

(121) Est enim materia *τὸ πάσχον*. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 134. Conf. supra §. XXXI. not. 92.

(122) Conf. supra §. XXXI. not. 93.

(123) JO. STOBÆUS Eclogg. Lib. I. cap. 18. pag. 374. Heeren.

(124) Conf. supra §. XXXV. not. 115.

Sive enim in formandâ rudi et indigestâ materiâ versatur, hoc est, in separandis, jungendis et continendis illius partibus, unde elementa aliaque corpora exsistant, suas quæque qualitates habentia, ut aqua, terra, ligna, lapides, aurum, argentum et similia (125). Atque hanc vim, quæ aërem sibi subjectum habet, omnemque materiam penetrat eamque consociat et continet, ἕξιν aut ἕξεις, plurali numero, appellavit Chrysippus (126). Sive vim suam exercet illud principium in stirpium et animantium naturas efficitque ut illæ alantur et augescant, ut hæ vivant, sentiant, recordentur, cogitent: tum vero etiam Cœlestia ac Sublimia regit et moderatur. Atque hæc cum efficit, non aërem sibi subjectum habet sed purissimam ætheris partem (127). Posteriores quidem Stoici adcuratius etiam distinxe-

(125) PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1085. C. D. Γῆν μὲν ἴσασι (οἱ Στωϊκοὶ) καὶ ὕδωρ οὔτε αὑτὰ συνέχειν οὔτε ἕτερα, πνευματικῆς δὲ μετοχῇ καὶ πυρώδους δυνάμεως τὴν ἑνότητα διαφυλάττειν· ἀέρα δὲ καὶ πῦρ αὑτῶν τε εἶναι δι' εὐτονίαν ἐκτανικὰ, καὶ τοῖς δυσὶν ἐκείνοις ἐγκεκραμένα, τόνον παρέχειν, καὶ τὸ μόνιμον καὶ οὐσιῶδες. SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 82. pag. 571. Fabric. Τὰ ὑπὸ ἕξεως κρατούμενα, οὐδεμίαν ἀξιόλογον μεταβολήν τε καὶ τροπὴν ἀναδέχεται, καθάπερ ξύλα καὶ λίθοι· ἀλλὰ μόνον ἐξ αὐτῶν πάσχει τὴν κατὰ ἄνεσιν καὶ τὴν κατὰ συμπιεσμὸν διάθεσιν.

(126) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1054. F. Conf. ACHILLIS TATII Isagoge in Arati Phænomena Cap. 14. Σώματα ἡνωμένα λέγεται ὅσα ὑπὸ μιᾶς ἕξεως ἡνωμένα κρατεῖται, οἷον λίθος, ξύλον. Ἔστι δὲ ἕξις πνεῦμα σώματος συνεκτικόν.

(127) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 139. Κλεάνθης τὸν ἥλιόν φησι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου· ὁ μέντοι Χρύσιππος διαφορώτερον πάλιν, τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος ἐν ταὐτῷ· ὃ καὶ πρῶτον θεὸν λέγουσιν αἰσθητικῶς ὥσπερ κεχωρηκέναι διὰ τῶν ἐν ἀέρι, καὶ διὰ τῶν ζώων ἁπάντων καὶ φυτῶν. PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis

runt naturam (φύσιν), quæ in stirpes, et animam (ψυχήν), quæ in animantes totumque mundum vim suam exerceret (128). Verum de hoc placito uberius nunc agere non attinet.

§. XXXVII.

Cum iis autem, quæ modo disputavimus, arctius continetur locus de Diis et Mundo; de eo igitur nunc paucis videbimus. Et universe quidem non multum in hac doctrinâ a præceptoribus suis discessisse videtur Chrysippus. Ait autem Deum esse Rationem ac totius Mundi Animum atque Mentem (129): ut vis Divina non minus atque animi humani per corpora (130), per universum mundum sit perfusa (131). Quemadmodum vero Stoici varias animæ humanæ partes distinguebant earumque

---

pag. 1053. F. Conf. CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. ibique Jo. DAVISIUS pag. 69. sq. Creuz. et *Euripidis* versus a CICERONE Latine redditi, ibid. Lib. I. cap. 25. ad eosque DAVISII et CREUZERI Annotationes pag. 306. sqq. Conf. etiam J. L. MOSHEMIUS ad Cudworthi Systema Intellectuale Tom. I. pag. 804.

(128) SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 81. *Τῶν ἡνωμένων σωμάτων τὰ μὲν ὑπὸ ψιλῆς ἕξεως συνέχεται, τὰ δὲ ὑπὸ φύσεως, τὰ δὲ ὑπὸ ψυχῆς· καὶ ἕξεως μὲν, ὡς λίθοι καὶ ξύλα· φύσεως δὲ, καθάπερ τὰ φυτά· ψυχῆς δὲ τὰ ζῶα, κ. τ. λ.* ubi videndus FABRICIUS pag. 570.

(129) CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15.

(130) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 138. extr.

(131) CICERO l. l. « Chrysippus ipsum mundum Deum dicit esse et ejus animi fusionem universam. »

præstantissimæ Principatum (τὸ ἡγεμονικόν) assignabant (132), ita etiam Chrysippus aliique Stoici, ad Vim Divinam hæc transferentes, a reliquis mundi partibus naturæque viribus supremam illam Rationem discernebant, quæ Principatum habens, universam rerum naturam complecteretur et æternis legibus, quas ipsa statuisset, regeret atque gubernaret (133). Quo autem populares religiones cum Physicâ suâ doctrinâ quodam modo conciliaret, Zenonem (134) secutus atque Cleanthem (135) non modo Supremam illam Rationem, sed singulas quoque Mundi partes, quatenus ab illâ regerentur, Deos appellavit, ita quidem, ut Vim Divinam, sive Rationem dixeris sive Principium Efficiens, Jovem statueret esse (136) ceteraque Deorum nomina

---

(132) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 110. 157 et 159.

(133) CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. « Ait Chrysippus, vim Divinam ipsius mundi principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem. » Conf. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 139. 147. et rursus CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 14. pr. Lib. II. cap. 31. pr. ibique præcipue quæ e Plutarcho et Plotino protulit FRID. CREUZERUS V. Cl. pag. 333. item PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 881. F. et 882. A. ac de Chrysippo IDEM De Comm. Notitt. pag. 1077. D.

(134) CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 14.

(135) PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1075. A. B. CICERO De Nat. Deor. l. l. extr.

(136) CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. de Chrysippo : « Idem disputat, æthera esse eum quem homines Jovem appellarent. » et mox : « Idemque etiam legis perpetuæ et æternæ vim, quæ quasi dux et magistra

ceteris Mundi partibus accommodaret, ut Neptuni mari, terræ Cereris, eodemque modo alia aliis (137): Jovem solum diceret æternum esse nec natum unquam nec interiturum, reliquos Deos et natos esse et aliquando obituros (138).

---

officiorum sit, Jovem dicit esse, eamdemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam futurarum rerum veritatem. »

(137) PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1075. A. B. *Χρύσιππος καὶ Κλεάνθης ἐμπεπλήκασι, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τῷ λόγῳ θεῶν τὸν οὐρανὸν, τὴν γῆν, τὸν ἀέρα, τὴν θάλατταν.* CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. « Tum ea (Deos esse statuit Chrysippus), quæ naturâ fluerent atque manarent, ut et aquam, et terram, et aëra; solem, lunam, sidera, universitatemque rerum, qua omnia continerentur; atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti. » et mox: « quique aër per maria manaret, eum esse Neptunum: terramque eam esse quæ Ceres diceretur: similique ratione persequitur vocabula reliquorum Deorum. Conf. etiam Lib. III. cap. 24. ibique CREUZERUS pag. 630. sq. CUDWORTHI Systema Intellectuale Tom. I. pag. 650. sq. et J. L. MOSHEMIUS ibid. pag. 652. sq.

(138) Vid. Chrysippi fragmenta a PLUTARCHO prolata De Stoicis Repugnantiis pag. 1052. A. B. et ipse PLUTARCHUS De Communibus Notitiis pag. 1052. A. B. *Χρύσιππος καὶ Κλεάνθης οὐδένα τῶν τοσούτων (θεῶν) ἄφθαρτον οὐδὲ ἀΐδιον ἀπολελοίπασι, πλὴν μόνου τοῦ Διός· εἰς ὃν πάντας καταναλίσκειν τοὺς ἄλλους*: ubi notanda est vis articuli in *τῶν τοσούτων*, *ex his tam multis*: de qua, nec hujus loci oblitus, monuit Cel. WYTTENBACHIUS in Animadverss. ad Moralia Tom. I. pag. 478. Conf. IDEM porro De Oraculorum Defect. pag. 420. A. *Τοὺς Στωϊκοὺς γινώσκομεν οὐ μόνον κατὰ δαιμόνων ἣν λέγω δόξαν ἔχοντας· ἀλλὰ καὶ θεῶν ὄντων τοσούτων τὸ πλῆθος, ἑνὶ χρωμένους ἀϊδίῳ καὶ ἀφθάρτῳ· τοὺς δὲ ἄλλους καὶ γεγονέναι καὶ φθαρήσεσθαι νομίζοντας.* Ex quo loco, ab Unitate Dei non abhorruisse Stoicorum rationem, recte effecit WYTTENBACHIUS V. Cel. in Disputatione de Unitate Dei Part. I. (in Ejus Opuscc. Varii Argum. Tom. II. pag. 399. sq.)

§. XXXVIII.

Cum vero Vis Divina per universum mundum pertineat (139) nec nisi una possit esse Vis Divina, sequitur et unum solummodo esse Mundum (140) et vivere eum, sentire rationisque esse participem (141). Et in posteriori hoc placito argumentis probando multum operæ consumserunt Stoici. Chrysippus aliique ita ratiocinabantur: Animal eo quod non est animal præstantius est: Nihil autem mundo præstantius est: Animal est igitur mundus (142). Quomodo sensu et ratione esse præditum ostenderit idem, certis quidem Veterum testimoniis non constat, sed ex iis quæ præposito Chrysippi nomine adfert Diogenes Laertius (143) colligi posse videtur, iisdem eum atque Zeno-

---

(139) Conf. §. XXXVII. not. 131.

(140) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 143: *ὅτι εἷς ἐστιν ὁ κόσμος, Ζήνων φησὶν, καὶ Χρύσιππος, καὶ Ἀπολλόδωρος, καὶ Ποσειδώνιος.*. Plutarchus De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 879. A. *Οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἕνα κόσμον ἀπεφήναντο, ὃν δὴ καὶ τὸ πᾶν ἔφασαν εἶναι καὶ τὸ σωματικόν.* Conf. Cel. Wyttenbachii Annot. ad Bakii librum De Posidonio pag. 270. Add. Philo Judæus De Mundi Incorrupt. pag. 940. A. edit. Paris.

(141) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 142: *ὅτι δὲ καὶ ζῶον ὁ κόσμος, καὶ λογικὸν, καὶ ἔμψυχον, καὶ νοερὸν, καὶ Χρύσιππός φησι καὶ Ἀπολλόδωρος καὶ Ποσειδώνιος.* Conf. Just. Lipsius Physiologiæ Stoicor. Lib. II. diss. 10. (Opp. Tom. IV. pag. 579. sq.).

(142) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 143.

(143) Idem ibidem: *ἔμψυχον δὲ (ἐστιν ὁ κόσμος), ὡς δῆλον ἐκ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς, ἐκεῖθεν οὔσης ἀποσπάσματος.* Conf. etiam Cicero De Nat. Deor. Lib. II. cap. 14.

nem argumentis esse usum; quæ hæc sunt : « Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens : mundi autem partes sentientes sunt : non igitur caret sensu mundus (144) » : et « Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur : nihil autem mundo melius : ratione igitur mundus utitur (145). » Alterum vero Zenonis argumentum, quo utrumque simul probaret, hoc est : « Nihil, quod animi quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem compotemque rationis : mundus autem generat animantes, compotesque rationis : animans est igitur mundus composque rationis (146). » Cum his autem necessario conjunctum erat alterum Stoicorum dogma, quo Mundum dicerent ipsum Deum (147): de quo pluribus disputare non attinet, quoniam

---

(144) Sunt verba CICERONIS De Nat. Deorum Lib. II. cap. 8. ubi vid. JO. DAVISIUS et FRID. CREUZERUS pag. 242.

(145) CICERO l. l. ad eumque a Davisio laudatus SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 104. pag. 575. Fabricii : *εἰ τὸ λογικὸν τοῦ μὴ λογικοῦ κρεῖττόν ἐστιν, οὐδὲν δέ γε κόσμου κρεῖττόν ἐστι· λογικὸν ἄρα ὁ κόσμος* : ubi conferenda etiam sunt quæ statim subsequuntur.

(146) CICERO l. l. Paucis omissis hæc profert etiam SEXTUS EMPIRICUS l. l. segm. 101 : *τὸ προϊέμενον σπέρμα λογικοῦ καὶ αὐτὸ λογικόν ἐστιν· ὁ δὲ κόσμος προΐεται σπέρμα λογικοῦ· λογικὸν ἄρα ἐστὶν ὁ κόσμος* : quæ sequentibus verbis adcuratius explicantur. De *σπέρματι λογικοῦ* ac de *λόγοις σπερματικοῖς* vid. FABRICIUS ad h. l. pag. 575. not. S. FRID. CREUZERUS V. Cl. ad Ciceronem De Nat. Deor. Lib. II. cap. 22. pag. 291. et WYTTENBACHIUS ad eumd. Lib. II. cap. 32. pag. 757.

(147) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 137. ad eumque MENAGIUS pag. 313. b. CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 17. extr. JUSTUS LIPSIUS Physiologiæ Stoicorum Lib. I. cap. 8. (Opp. Tom. IV. pag. 542. sq.).

nulla apud Antiquos mentio occurrit, unde colligatur, Chrysippum aut mutasse illud aut adcuratius explicasse. Nec minus prætermitti a nobis potest Stoicorum doctrina de Mundi Ortu, Conflagratione et Renovatione, cum et diligenter sit ab aliis exposita (148) nec multum in eâ a decessorum placitis deflexisse videatur Chrysippus.

§. XXXIX.

Proximum est ut de Fato videamus ac de conjunctâ cum eo Providentiâ. Cum enim ita Stoici existimarent, Vim Divinam per universum Mundum pertinere (149), inde efficiebant singulas quoque illius partes uno quodam inter se vinculo contineri (εἶναι ἡνωμένα) tantamque esse earum naturæ convenientiam (συμπάθειαν), ut nulla ne in minimâ quidem aut remotissimâ parte fieri posset immutatio, quin illa reliquas omnes quodam modo afficeret (150). Quoniam vero ex eorumdem sententiâ eadem erat illa vis atque Summa et Perfecta Ratio,

---

(148) Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 141. 142. ibique Interpretes. Philo Judæus De Mundi Incorrupt., præcipue pag. 940. A. B. ed. Paris. Thom. Gatakerus ad Marcum Antoninum Lib. IV. §. 46. (Opp. Critt. pag. 127). Creuzerus ac Davisius ad Ciceronem De Nat. Deor. Lib. II. cap. 46. pag. 401. sq. Wyttenbachius ad Plutarchi Moralia Tom. II. pag. 661. sqq.; quibus add. Jac. Thomasii Exercitatio De Stoicâ Mundi Exustione, Lipsiæ 1672.

(149) Conf. §. XXXVII, not. 131.

(150) Sextus Empiricus Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 79 et 80. et ad hunc locum Fabricius pag. 570. Add. Alexander Aphrodisiensis

consequens erat ut nihil fieret nisi quod cum illius legibus congrueret (151). Itaque statuebant, quæcumque fierent caussis fieri antegressis nec quidquam fortuito. Atque hanc ipsam caussarum conjunctionem Fatum (εἱμαρμένην) appellabant (152): quo omnia gubernarentur, et facta essent præterita et fierent præsentia et evenire deberent futura (153); ut promiscue usurparentur Fatum, Providentia, Summa Ratio, aliaque generis

---

De Mixtione pag. 141. Ἡνῶσθαι μὲν ὑποτίθεται τὴν σύμπασαν οὐσίαν, πνεύματός τινος διὰ πάσης αὐτῆς διήκοντος, ὑφ' οὗ συνάγεταί τε καὶ συμμένει καὶ συμπαθές ἐστιν αὐτῷ. MARC. ANTONINUS Lib. IV. §. 40 : πάντα πάντων τῶν γιγνομένων συναιτία, et Lib. VI. §. 38. Πολλάκις ἐνθυμοῦ τὴν ἐπισύνθεσιν πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ καὶ σχέσιν πρὸς ἄλληλα. Τρόπον γάρ τινα πάντα ἀλλήλοις ἐπιπέπλεκται, καὶ πάντα κατὰ τοῦτο φίλα ἀλλήλοις ἐστί· καὶ γὰρ ἄλλῳ ἑξῆς ἐστι τοῦτο, διὰ τὴν τοπικὴν κίνησιν καὶ σύμπνοιαν, καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς οὐσίας : quo utroque loco videndus est THOM. GATAKERUS, Opp. Critt. pag. 125 et 192. SENECA De Providentiâ Cap. V. pag. 141. A. Lipsii.

(151) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1050. C. D. Conf. IDEM De Placitis Philosophor. Lib. I. pag. 881. F. extr. ac De Fato pag. 570. A. E.

(152) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 149 : ἔστι δὲ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται. PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. pag. 885. A. CICERO De Divinatione Lib. I. cap. 55 : « Fatum id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque caussarum, cum caussa caussæ nexa rem ex se gignat : » et ipse *Chrysippus* apud GELLIUM Noct. Att. Lib. VI. cap. 2. εἱμαρμένην dicit esse φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Conf. PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1056. C.

(153) CICERO De Divinat. Lib. I. cap. 55. Et Chrysippum sic statuisse diserte produnt PLUTARCHUS De Placitis Philosophor. pag. 885. B. DIOGE-

ejusdem (154). Sed Fatum revera esse, e Logicis quoque legibus probare conabatur Chrysippus, sic fere ratiocinatus: Si quid sine caussâ fieret, non omnem enuntiationem aut veram esse aut falsam, quoniam quod caussam efficientem non haberet nec verum esset nec falsum: omnem vero enuntiationem aut veram aut falsam esse (155): quaecumque igitur fierent ea fieri caussis antegressis, h. e. fato (156).

§. XL.

Cum vero hæc de Fato sententia et aliis Doctrinæ Stoicæ partibus videretur repugnare et ab adversariis ut perversa sanæque rationi contraria reprehenderetur, subtilius ostendere conatus est Chrysippus, nihil absurdi eam habere sed cum totâ Stoicorum ratione, eâque præsertim illius parte, qua Morum Doctrina continetur, optime posse conciliari. Qua in re quid præstiterit, Philosophiæ peritiores dijudicent: nos hoc certe possumus affirmare, eum quid veri insit in hac sen-

---

NES LAERTIUS Lib. VII. segm. 149. et Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. I. cap. 6. pag. 180. Heeren.

(154) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1050. B. Jo. STOBÆUS l. l. et CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. CHALCIDIUS Comment. in Timæum Platon. pag. 238. Meurs. « Quæ secundum Providentiam sunt, etiam ex Fato fiunt, ut putat Chrysippus. »

(155) Conf. supra §. XXIII. not. 50.

(156) CICERO De Fato Cap. X. Conf. PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1045. C.

tentia, si non probarit, ipsum tamen vidisse aliisque magno cum ingenii acumine indicasse (157).

Ac primum quidem qui illud exprobrarent Stoicis, ignavam esse ex eorum sententiâ rationem humanam et quæ agerentur in vitâ, frustra agi (ἀργὸς λόγος (158)), quoniam, v. c., cui fatum esset ex morbo aliquo convalescere, is convalesceret sive adhibito medico sive non adhibito, et sic vice versâ; hoc igitur qui exprobarent, eos ita refutare studuit Chrysippus, ut sejungenda doceret quæ *simplicia* essent in rebus ab iis quæ essent *copulata*: in illis omnia sic a fato pendere ut nulla esset actio humana, veluti si fatum esset: *Moriturum esse certo die Socratem*; in his, quæ *confatalia* (συνειμαρμένα) appellantur, duo esse distinguenda, et conditionem et quod ex illà penderet, ut in his exemplis: *Nascetur OEdipus Laio* et *Luctabitur Olympiis Milo*: neque enim nasci posse OEdipum Laio nisi hic cum uxore fuisset, nec luctari posse Milonem nisi adversarium esset nactus: verum has conditiones fato et ipsas esse determinatas (159).

§. XLI.

Quæ altero loco reprehendebantur in illâ Stoicorum senten-

---

(157) Conf. CICERO Op. laud. Cap. XVII. et NEMESIUS De Naturâ Hominis pag. 291. sq. Matth.

(158) Vid. JACOBI FACCIOLATI, Itali elegantissimi, Acroasis V. et ADRIANI TURNEBI Comment. in librum Ciceronis De Fato Cap. XII. (in Ejus Opp. Argentor. 1600. Tom. I. pag. 231. et rursus pag. 255. sq.)

(159) Copiosius hæc exponuntur a CICERONE De Fato Cap. XII. et XIII. et sqq.

tiâ, his fere Ciceronis verbis continentur: « Si omnia fato fiunt, omnia fiunt caussâ antecedente: et, si appetitus; illa etiam, quæ appetitum sequuntur. Ergo etiam assensiones. At, si caussa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostrâ potestate. Quod si ita est, ne illa quidem, quæ appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostrâ potestate. Ex quo efficitur, ut nec laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores nec supplicia (160). » Quod vituperium maximi sane momenti est, quoniam si ita esset interpretanda Stoicorum de Fato sententia, universa Morum Doctrina funditus eâ everteretur. Sed ex hac quoque difficultate distinguendo se Chrysippus expedivit. Caussarum enim alias dixit esse perfectas et principales (αἴτια αὐτοτελῆ, κύρια καὶ συνεκτικά), alias adjuvantes et proximas (συναίτια, αἴτια προσεχῆ), statuitque, quæ fato fierent ea caussis fieri antecedentibus (αἰτίοις προηγουμένοις, προκαταρκτικοῖς), non perfectis quidem illis et principalibus, sed adjuvantibus et proximis; quæ si non essent in nostrâ potestate hinc non sequi, ut ne appetitus quidem esset in nostrâ potestate: quamquam enim assensio non posset fieri nisi commoto viso, tamen cum id visum proximam caussam haberet, non principalem, objectum imprimere illud quidem et quasi signare in animo suam speciem, assensionem vero in nostrâ esse potestate, eamque extrinsecus pulsam, haud secus atque cylindrum et turbinem moveri cœptum, suapte vi et naturâ moveri (161). Ex quo

---

(160) Cicero De Fato Cap. XVII. Conf. Gellius Noct. Att. Lib. VI. cap. 2.

(161) Desumta est hæc refutatio ex eodem Cicerone De Fato Cap. XVIII et XIX. Perspicue hæc item exponit Gellius Lib. VI. cap. 2. Tom. I. pag. 453. sq. Conr.

consequitur, hominum ingenia non ita Fato teneri, ut nulla sit ipsis libere agendi facultas, verum alia plus alia minus esse fato obnoxia, idque pro cujusque bonitate aut pravitate. Quæ enim ingenia salubriter sint a naturâ ficta et disciplinæ severitate et præstantiâ firmata, ab iis vim Fati facillime repulsum iri : quæ contra ea aspera sint et rudia nec bonis artibus ac rerum honestarum doctrinâ exculta et conformata, ea non modo ne leviores quidem Fati impetus posse arcere, verum etiam suapte perversitate voluntatisque pravitate ad pessima quæque esse prona et in continuos errores incidere (162). Quæ quum ita se habere statuisset Chrysippus, recte negavit audiendos esse homines ignavos et improbos qui, quum turpia commisissent, ad Fati necessitatem perfugerent, neque suæ illa temeritati sed fato dicerent esse attribuenda (163). Est enim Homericis verbis (164) eis acclamandum :

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο
Νήπιοι.

---

(162) Gellius l. l., qui hæc addit : « Idque ipsum ut eâ ratione fiat, naturalis illa et necessaria rerum consequentia efficit, quæ fatum vocatur. Est enim genere ipso quasi fatale et consequens, ut mala ingenia peccatis et erroribus non vacent. »

(163) Gellius l. m. Tom. I. pag. 434. sq. Conr.

(164) Odyss. I. vs. 7. Et fuit hæc profecto omnium fere ætatum ac populorum sententia. Gellius l. l. antiquitatem illius efficit ex elegantissimis his versibus, Odyss. I. vs 32. sqq.

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βρότοι αἰτίοωνται !
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν.

13.

§. XLII.

Cum vero Fatum e Stoicorum mente idem sit atque Summa Ratio sive Vis Divina, unde et profectus sit Mundus et perpetuo administretur, sequitur, quod absurdum esse videatur, Deum ipsum et malorum omnium quæ evenirent et turpium quæ committerentur, esse auctorem. Quamobrem vehementius etiam Stoicorum illa sententia ab adversariis reprehendebatur (165). Cui reprehensioni ita occurrit Chrysippus: cum cuique rei contraria esset alia (166), fieri non posse ut, cum bonum

---

Pythagoreorum quoque hoc fuisse dogma intelligitur cum ex Aureor. Carm. v. 54.

Γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας.

iisque quæ ad hunc versum illustrandum attulit Hierocles pag. 184. sqq. Needham., tum ex Jamblicho De Vitâ Pythagoræ Cap. XXXII. pag. 218. Commelin. pag. 178. Kusteri: *περὶ ψυχῆς τε καὶ δυνάμεων αὐτῆς, καὶ τῶν παθῶν, ὅπως ἔχει ταῦτα, σαφέστατα ἀπεκάλυψε, καὶ τὸ κάλλιστον πάντων ἐπέδειξεν, ὅτι οἱ θεοὶ τῶν κακῶν εἰσὶν ἀναίτιοι*, κ. τ. λ. Ex Pythagoræ autem Scholâ sumsisse videtur Plato Reipubl. Lib. II. cap. 18. pag. 379. B. Steph. *Καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον (ἢ θεόν), τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν*: ubi vid. quæ plura dedit Frid. Astius in Commentar. pag. 432. quibus add. Jacobi Duporti Gnomologia Homerica pag. 146. sqq.

(165) Vid. Plutarchus De Stoicis Repugnantiis pag. 1064. C. sqq.

(166) De hoc Stoicorum placito exposuit Dan. Wyttenbachius V. Cl. in Dissert. De Placito Immortalitatis Animorum, Cap. V., quod præmisit editioni suæ Phædonis pag. XXXVII. (in Ejus Opuscc. Var. Argum. Lugd. Bat. 1821. Tom. II. pag. 118.).

esset, non item esset malum (167): neque enim justitiam cogitari posse sine injuriâ, neque constantiam et moderationem sine ignaviâ et intemperantiâ, nec lætitiam et felicitatem sine dolore et miseriâ; et quæ alia essent generis ejusdem: quorum altero sublato alterum esse nequiret (168). Sed hæc breviter indicata nunc sufficiant: reliqua ex Fragmentis sunt petenda, quæ infra exhibebimus in Tertiâ hujus Dissertationis Parte. Ceterum hac de re conferri potest JUST. LIPSIUS Physiologiæ Stoicorum Lib. I. diss. 13-17.

§. XLIII.

Ad animam quod attinet, jam in superioribus (169) monuimus Chrysippum, non minus ac reliquos suæ sectæ Philosophos, existimasse eam esse corpoream: unde interituram quoque esse licet ultro sequeretur, hunc interitum tamen in

---

(167) *Εἶναι καὶ τὴν κακίαν ὑπαρκτὴν διὰ τὸ ἀντικεῖσθαι τῇ ἀρετῇ*: quam sententiam licet Stoicis universe tribuere videatur DIOGENES LAERTIUS, Lib. VII. segm. 91. probabile tamen est, hoc argumentum aut primum attulisse Chrysippum aut saltem copiosius tractasse quam reliquos Stoicos. Eodem vero jam usus erat PLATO in Theæteto pag. 176. A. Steph. Tom. II. pag. 400. Heindorf. *Ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὦ Θεόδωρε· ὑπενάντιον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη*: quem locum qui interpretati sunt, PLOTINUS Ennead. I, II, 1. pag. 11. A. et JULIANUS Orat. V. pag. 175. B. eos laudavit Cel. WYTTENBACHIUS ad Platonis Phædonem pag. 286.

(168) AUL. GELLIUS Noct. Att. Lib. VI. cap. 1. init.

(169) §. XXXI. not. 100.

Sapientum Animis ad mundi usque exustionem protraxisse Chrysippum, refert DIOGENES LAERTIUS (170). Eumdem credidisse, Animas post Corporis mortem accipere figuram rotundam, auctor est EUSTATHIUS (171). De Ortu Animæ, cum Zeno eam in matris utero exsistere dixisset (172), Chrysippus hoc tum demum fieri probare contendit, cum infans nasceretur, idque spiritu refrigeratione, tamquam duratione quadam, mutato (173). Placuit vero eidem, Animam esse materiam e purissimo æthere constantem, quæ semine contineretur et per integrum corpus esset perfusa (174); a cujus majori minorive

---

(170) Lib. I. segm. 157. *Κλεάνθης μὲν οὖν* (sc. *ἔφη*) *πάσας τὰς ψυχὰς ἐπιδιαμένειν μέχρι τῆς ἐκπυρώσεως· Χρύσιππος δὲ τὰς τῶν σοφῶν μόνων* : ad quem locum videndus est MENAGIUS pag. 325. sq. coll. WYTTENBACHIO V. Cl. in Dissert. De Immortalitate Animi Sect. VIII. (in Opuscc. Var. Argum. Tom. II. pag. 622. sqq.).

(171) Ad Homeri Iliad. XXIII. pag. 1288. laudatus a WYTTENBACHIO Disp. mem. (Opuscc. pag. 631.).

(172) *Areius Didymus* apud EUSEBIUM Præparat. Evang. Lib. XV. cap. 20. pag. 821. C. D. coll. PLUTARCHO De Irâ Cohibendâ pag. 463. F. sq. Conf. Cel. WYTTENBACHIUS ad Bakii librum De Posidonio pag. 270. init.

(173) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1053. D. *Γίνεσθαι μὲν γὰρ, φησὶ* (*ὁ Χρύσιππος*), *τὴν ψυχὴν ὅταν τὸ βρέφος ἀποτεχθῇ, καθάπερ στομώσει τῇ περιψύξει τοῦ πνεύματος μεταβαλόντος, κ. τ. λ.* quem locum attigit Cel. WYTTENBACHIUS in Animadverss. ad Plutarchum De Serâ Num. Vind. pag. 84. Alia hanc in rem protulit JUST. LIPSIUS Physiologiæ Stoicor. Lib. III. diss. 10. (Opp. Tom. IV. pag. 614. sq.).

(174) JOANNES STOBÆUS Eclogg. Lib. I. cap. 18. pag. 376. Heeren. cum de Mixtione e Chrysippi sententiâ esset locutus, ita pergit: *ὁμοίως δὲ*

contentione (εὐτονία, ἀτονία) etiam cogitandi agendique rationem pendere Stoici opinabantur (175).

§. XLIV.

Quoniam de Animâ loqui instituimus, illud quoque videtur esse monendum, in hac doctrinâ ad eorum opinionem animum acclinasse Chrysippum qui, quæcumque accidant necessitati inevitabili tribuant. Cum enim Philosophi quidam ita statuerent in iis caussis, ubi duæ res objicerentur inter se similes (ὁμοίως ἔχοντα) ejusdemque momenti (ἴσον δυνάμενα), quarum altera esset deligenda, licet nulla ratio in alterutram partem impelleret, cum igitur in his caussis motionem quamdam extrinsecus accedentem (ἐπελευστικὴν κίνησιν) statuerent inesse in principali Animæ parte (τῷ ἡγεμονικῷ), hoc improbavit Chrysippus, quasi vim illi inferrent naturæ, effectum esse absque caussâ dicentes; quod enim caussâ careret id omnino non esse, nihil itaque esse fortuitum: in iis autem, quas Philosophi isti fingerent accessionibus (ἐπελεύσεσι), obscuras incurrere caussas quæ, non animadvertentibus nobis, in alterutram partem ut

---

κἀπὶ τῶν ἐν ἡμῖν ψυχῶν ἔχει· δι' ὅλων γὰρ τῶν σωμάτων ἡμῶν ἀντιπαρεκτείνουσιν. GALENUS De Philosophi Narratione Tom. IV. pag. 426. lin. 43. Basil. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 159. ibique MENAGIUS pag. 327. NEMESIUS De Naturâ Hominis pag. 82. Matth.

(175) Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 110. Heeren. Καὶ ὁμοίως ὥσπερ ἡ ἰσχὺς τοῦ σώματος τόνος ἐστὶν ἱκανὸς ἐν νεύροις, οὕτω καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἰσχὺς τόνος ἐστὶν ἱκανὸς ἐν τῷ κρίνειν καὶ πράττειν, καὶ μή: conf. ibid. pag. 130: ἄλλην δὲ ἕξιν φαντασιῶν δεικτικὴν ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου, ἥν τινά φασιν ἐν τόνῳ καὶ δυνάμει κεῖσθαι. In simili argumento versatur GALENI opusculum, quod inscribitur Ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσι ἕπεται, in edit. Basil. Tom. I. p. 344. sqq.

inclinaret, voluntatem percellerent (176). Quamquam hæc conciliari minime possunt cum iis quæ ipse sentit de libero hominum judicio in bonis et malis eligendis, quippe quod judicium a nullâ externâ caussâ pendere, verum ab insitâ in animis vi proficisci censuerit (177).

Sed hæc quidem hactenus. De plurimis, quæ ad hanc Philosophiæ Chrysippeæ partem sunt referenda, commodior erit infra tractandi locus, ubi fragmenta quæ huc pertinent, sunt apponenda. Et sic continuo ad Philosophiam Moralem erit progrediendum.

---

(176) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1045. B. C.

(177) IDEM ibid. pag. 1055. F. sq.

CAPUT QUARTUM.

CHRYSIPPI PHILOSOPHIA MORALIS.

§. XLV.

In tertiâ hac Philosophiæ parte tractandâ breviores esse poterimus, quoniam et pauciora tantum, quæ huc pertinent, fragmenta restant et ea ipsa ejusmodi sunt, ut justa Chrysippeæ rationis descriptio inde effici nequeat. In iis itaque proferendis nos continebimus quæ propria sunt Chrysippo et vim aliquam habuisse videntur ad Moralem Stoicorum Doctrinam emendandam et rectius constituendam, cetera omnia quæ ad universam Stoicorum rationem spectant, aut omnino, quantum fieri per materiæ conjunctionem potest, prætermittentes aut Tertiæ nostræ Dissertationis Parti reservantes: qua in parte nullis aliis disponendi legibus nos adstringemus, quam ut fragmenta ab aliis ad hunc de Moribus locum relata adjecto cujusque titulo deinceps apponamus.

Ac tota quidem Doctrina Moralis a Chrysippo commode in plures partes distribuebatur; quarum prima erat de Appetitione (περὶ ὁρμῆς), altera de Bonis et Malis (περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν);

tertia de Animi Perturbationibus (περὶ παθῶν), quarta de Virtute (περὶ ἀρετῆς), quinta de Extremo (περὶ τέλους), sexta de Primâ AEstimatione (περὶ τῆς πρώτης ἀξίας), septima de Officiis (περὶ τῶν καθηκόντων) et octava demum de Impulsionibus et Depulsionibus (περὶ τῶν προτροπῶν καὶ ἀποτροπῶν) (178). Quam divisionem qui in Stoicâ scholâ eum sunt insecuti, Archedemus, Zeno Tarsensis, Diogenes Babylonius, Posidonius aliique, etiam retinuisse videntur (179). Quemadmodum vero singuli hi loci explicati sint a Stoicis, cognosci quodam modo potest ex brevibus illis Epitomis, quæ servatæ nobis sunt a CICERONE (180), a DIOGENE LAERTIO (181) et a JOANNE STOBÆO (182): quamquam postremus hic auctor ad Zenonis potius et Cleanthis rationem videtur respexisse, a Chrysippeâ multis in rebus discrepantem. Et nos quoque eumdem ordinem lubenter sequeremur, si tanta superesset fragmentorum copia, unde loci illi omnes satis illustrarentur. Nunc vero cum ex innumerabili pœne scriptorum multitudine exiguæ dumtaxat reliquiæ quædam ad nostram memoriam pervenerint, satius nobis videbatur potiora tantum hic delibare, eaque in re ita versari, ut quæ suâ naturâ sint conjuncta ea et ipsi in tractando conjungeremus.

---

(178) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 84.

(179) DIOGENES LAERTIUS l. l.

(180) De Finibus B. et M. Lib. III. cap. 5–22: quæ tota fere e Chrysippo videntur esse desumta. GOERENZIUS ad De Finib. Lib. IV. cap. 11. pag. 454.

(181) Lib. VII. segm. 84–131.

(182) Eclogg. Ethicar. Cap. VII. Part. II. pag. 91. et sqq. edit. Heerenii.

§. XLVI.

Cum autem Zeno summum hominis per se laudandum et expetendum bonum in Convenientiâ (ὁμολογίᾳ, τῷ ὁμολογουμένως ζῆν) posuisset (183) et placitum hoc ita interpretatus esset Cleanthes, ut Convenientiam intelligeret Vitam cum naturâ congruentem (τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν) (184), eamdem sententiam secutus Chrysippus præterea id egit, ut leges Rationis Humanæ cum Communis Naturæ legibus conciliaret (185), quandoquidem Humanæ Naturæ nonnisi partes essent Naturæ Universæ (186).

---

(183) CICERO De Finibus Lib. III. cap. 6. Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 132. sq. Heeren. Τὸ δὲ *τέλος ὁ μὲν Ζήνων οὕτως ἀπέδωκε, τὸ ὁμολογουμένως ζῆν· τοῦτο δ' ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν, ὡς τῶν μαχομένων ζώων κακοδαιμονούντων.* Conf. ibid. pag. 131. et DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 88. JUST. LIPSIUS Manuduct. ad Stoicam Philosoph. Lib. II. diss. 15. (Opp. Tom. IV. pag. 474. sq.).

(184) Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 134. Heer., prolatâ Zenonis sententiâ pergit: *Κλεάνθης γὰρ πρῶτος διαδεξάμενος αὐτοῦ τὴν αἵρεσιν προσέθηκε τῇ φύσει, καὶ οὕτως ἀπέδωκε· τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν.* Quod si apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 87. legitur jam a Zenone huic formulæ additum esse *τῇ φύσει*, hæc aut ipsius Laërtii videtur esse negligentia aut librarii nonnullius oscitantia.

(185) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 89: *φύσιν δὲ Χρύσιππος μὲν ἐξακούει, ᾗ ἀκολούθως δεῖ ζῆν, τήν τε κοινὴν καὶ ἰδίως τὴν ἀνθρωπίνην*: quam eamdem sententiam paullo aliter sic etiam expressit, oportere *ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων*, ut refert Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 134. Heeren. et DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 87. Conf. Clar. WYTTENBACHIUS Animadverss. in Plutarch. De Audiendis Poëtis pag. 24. E. Tom. I. pag. 244.

(186) DIOGENES LAERTIUS l. l.: *μέρη γάρ ἐστιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου*: coll. CICERONE De Finib. Lib. III. cap. 22. init.

Jam tota quidem Moralis Chrysippi Doctrina duobus his nititur fundamentis, altero, quo Cleanthes etiam erat usus (187): Legem et normam Summi Boni a Divinâ Naturâ esse repetendam (188), altero: Ex ipsâ hominis naturâ ejusque primis appetitionibus intelligi, Extremum quod illi sit appetendum, non in Voluptate esse ponendum, sed in Virtute et Honestate, quæ in se perfecta esset et ad summum perducta natura (189): Quæ quomodo demonstraverit, nunc videbimus.

§. XLVII.

Chrysippus igitur inde ordiebatur ut diceret, simul atque natum esset animal, ipsum sibi conciliari et commendari, ut quæ propria essent ipsius naturæ eamque conservantia, ea appeteret, quæ noxia essent et interitum viderentur afferre, aspernaretur : ejusque rei conscientiâ illud delectari. Hanc autem sui ipsius commendationem a naturâ insitam esse animalibus; quam naturam verisimile non esset animalia aut a se alienasse aut procreasse ut nec alienaret a se nec sibi conciliaret (190). Atque hoc se ipsum conservandi studium cum

---

(187) Hymn. in Jovem vs. 23. sqq. apud Jo. STOBÆUM Eclogg. Lib. I. cap. 3. pag. 32. Heeren.

(188) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1035. C. D.

(189) Conf. qui Chrysippum eâ in re secutus est, CICERO De Legibus Lib. II. cap. 8.

(190) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 85. CICERO De Finibus Lib. III. cap. 5. et rursus e Stoicorum, qui Chrysippum insecuti erant,

adesset in animante priusquam aut voluptas aut dolor illud attigisset, consentaneum esse, primam appetitionem non in voluptate versari, quoniam voluptas ac dolor nonnisi tum accederent cum primæ illi appetitioni seu primis naturalibus aut satisfactum fuisset aut non satisfactum (ἐπιγεννήματα εἶναι s. ἐπιγεννηματικά) (191). Animantium enim voluptatem similem esse incremento stirpium: quæ nec ipsæ crescerent et augescerent, nisi quæ suæ naturæ sint accommodata, essent adeptæ: ut autem adipiscerentur, naturam solam et per se efficere in stirpibus, in animantibus id fieri adjutrice appetitione (ὁρμῇ καὶ αἰσθήσει). Cum autem homo præ ceteris animantibus ratione esset ornatus, naturâ quoque illud ei insitum esse, ut ex illius rationis præscripto viveret, quod idem esset atque naturæ congruenter vivere (192): rationem enim, cum indicaret homini quæ congruerent cum illius naturâ, appetitionis artificem esse oportere et moderatricem (193): eamdem vero

---

sententiâ, De Officiis Lib. I. cap. 4. init.: « Principio generi animantium omni est a naturâ tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videntur, omniaque, quæ sunt ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis ejusdem : » ubi consulenda est CAR. BEIERI Annotatio pag. 24. præcipue in Excurs. VII. pag. 323. sq.

(191) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 85. sq. coll. CICERONE De Finibus Lib. III. cap. 5.

(192) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 86.

(193) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1037. F. *Καὶ μὴν ἡ ὁρμὴ, κατὰ τὸν Χρύσιππον, τοῦ ἀνθρώπου λόγος ἐστὶ προστακτικὸς αὐτῷ τοῦ ποιεῖν.* DIOGENES LAERTIUS l. l: *τεχνίτης γὰρ ὁ λόγος ἐπιγίνεται τῆς ὁρμῆς.* Conferri etiam possunt quæ de Chrysippo perhibentur apud CICERONEM De Finibus Lib. IV. cap. 11. extr.

rationem a Vi Divinâ esse profectam, ut illa lex esset perpetua et quasi dux vitæ ac magistra officiorum (194).

§. XLVIII.

Atque e CICERONIS quidem De Finibus Libro tertio (195), in quo probabile est unum Chrysippum ducem et auctorem eum esse secutum (196), ita hunc ratiocinatum esse colligimus: Ratio insitâ homini appetitione primum ei præcipit, ut se ipsum conservet eaque seligat et consectetur quæ naturæ suæ sint adcommodata rejiciatque contraria, unde exsistunt quæ Officia dicuntur, Græce τὰ καθήκοντα. Quæ selectio cum perpetua fuerit facta et constans naturæque et rationi omnino consentanea, tum tandem intelligere homo incipit quid sit quod vere bonum dicatur. Simul enim atque, ratione duce, rerum agendarum ordinem et quamdam quasi concordiam animadverterit, hæc multo pluris æstimabit quam omnia quæ primum dilexerat (principia naturæ) atque ita cognitione et ratione colliget, ut statuat, in concordiâ illâ sive convenientiâ (ὁμολογία) summum hominis per se laudandum et expetendum bonum esse collocandum. Atque hoc nihil aliud est nisi Recta Ratio sive Honestum (τὸ κατόρθωμα), quod licet originem ducat a primâ appetitione, præstat tamen omnibus illis quæ ad conservandam sui naturam initio ab homine expetuntur. Quæ

---

(194) CICERO De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. Conf. §. XLVI. not. 186.

(195) Cap. VI. §. 20 et 21.

(196) Conf. §. XLV. not. 180.

autem vis sit et natura hujus Honesti ejusque a Simplici Officio (τοῦ καθήκοντος) differentia, accuratius quam a Zenone factum erat, definire studuit Chrysippus (197).

§. XLIX.

Jam qui honeste egerit, eum voluptate quadam adfici e Chrysippi sententiâ, vel inde efficitur, quod qui adeptus sit quæ sunt secundum naturam, voluptatem sentiat (198), deinde etiam ex altero illo principio: Summum hominis bonum et felicitatem in Honestate esse ponendam (199). Atque tum etiam intelligitur quomodo, quod Plutarchus ineptum judicat, dicere potuerit Chrysippus, Sensilia (αἰσθητά) esse Honesta atque Turpia (τἀγαθὰ καὶ τὰ κακά), nec minus igitur sentiri beneficentiam, prudentiam, fortitudinem aliaque generis ejusdem, et rursus insipientiam, timiditatem ac reliqua vitia, quam ægritudinem, metum, exsultantem lætitiam aliasque animi perturbationes (200). Attamen constanter negavit, virtutem ullo modo a voluptate proficisci. Rejectis enim ceteris omnibus de Bonorum Extremo opinionibus, tres tantummodo earum inquit in disceptationem vocari posse, eam quæ Honestatem statueret esse Extremum, quæ Voluptatem et quæ

---

(197) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1037. C. sq.

(198) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 86.

(199) Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 138. CICERO De Finibus Lib. III. cap. 6. PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1042. E.

(200) PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1042. F.

utrumque. Jam absurdum esse, cum Honestate Voluptatem conjungere, quoniam qui hoc facerent, tamquam hominem cum belluâ copularent (201). Qui vero unam Voluptatem sequerentur, eos omnia susque deque vertere ac tollere maxime communitatem cum hominum genere, caritatem, amicitiam, justitiam reliquasque virtutes, quarum esse nulla nisi gratuita posset; quæ enim voluptate, quasi mercede aliquâ, ad officium impelleretur, eam non esse virtutem, sed fallacem imitationem simulationemque Virtutis (202). Reliquum igitur est, ut Honestas statuatur Bonorum omnium Extremum, Malorum Turpitudo (203).

§. L.

Superest, ut paucis ostendamus quæ de Jure et Justitiâ, quatenus ad Moralem Doctrinam hæc pertineant, statuerit Chrysippus. Ac dubium non est, de hoc loco diligentius et subtilius, quam a ceteris Stoicis factum erat, tractando egregie eum promeruisse; quandoquidem hoc non solum ex fragmentis quæ restant, etiamsi paucioribus illis, verum ex eo quoque manifestum est, quod Cicero eum in suo de Legibus opere conscribendo ducem et auctorem est secutus (204). Primus autem fuisse ille videtur qui diceret ac certis argu-

(201) Cicero Academicorum Lib. II. cap. 15.

(202) Cicero Academ. Lib. II. cap. 46.

(203) Conf. Plutarchus De Stoicis Repugnantiis pag. 1042. E.

(204) Quæ res vix ulli amplius dubio erit obnoxia post ea quæ disputavit Jo. Aug. Goerenzius, Introduct. ad Ciceron. Libb. De Legibus pag. 25–29.

mentis demonstraret, Jus non opinione aut voluntate hominum esse aut pactione (θέσει), sed naturâ (φύσει) (205): unamque esse et summam legem, unde jus omne proficisceretur, quæ eadem esset atque Recta Ratio sive Supremum Numen (206). Hinc recte effecisse idem videtur, juris vinculum intercedere non posse nisi inter eos qui ratione essent præditi nec bestiis quidquam juris esse in homines (207), hos autem non solum inter ipsos, sed cum Diis quoque eâdem juris societate contineri (208).

Et hæc quidem de Tertiâ Philosophiæ Chrysippeæ parte in universum dicta sufficiant. Restat igitur, ut ad postremam eamque amplissimam totius Dissertationis partem, quæ recensendis et explicandis Fragmentis continetur, jam accedamus.

---

(205) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 128.

(206) Colligitur hoc ex ejus fragmentis quæ attulere PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1011. C. et MARCIANUS ICtus Leg. 2. Digest. De Legibus (I. 3.). Conf. DIOGENES LAERTIUS l. l. et CICERO De Legibus LIB I. passim.

(207) CICERO De Finibus Lib. III. cap. 20. §. 67. coll. DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 129. et PORPHYRIO De Abstinentiâ Lib. I. §. 4. pag. 6. sq. Rhoer.

(208) CICERO De Finibus l. l. Conf. De Legibus Lib. I. cap. 8. ibique Jo. DAVISIUS. De Nat. Deor. Lib. II. cap. 62. sqq. cum Annotatt. DAVISII et FRID. CREUZERI.

PARS TERTIA.

DE LIBRORUM A CHRYSIPPO CONSCRIPTORUM TITULIS ET FRAGMENTIS.

CAPUT PRIMUM.

ENUMERATIO LIBRORUM QUORUM AUT FRAGMENTA EXSTANT AUT INSCRIPTIONES CERTE AB ANTIQUIS AUCTORIBUS MEMORANTUR.

§. LI.

Quem ordinem secuti sumus in Doctrinâ Chrysippi tractandâ, eumdem in Librorum Inscriptionibus et Fragmentis apponendis duximus esse servandum, ut primum locum Logicis daremus, alterum Physicis, Ethicis tertium. Quartum denique locum alia quædam Opera tenebunt, quæ aut non referri commode possunt ad unam alteramve trium illarum partium, aut saltem

a Menagio inde separantur. Licet enim persuasum habeamus, male et rei argumento minus adcommodate a Diogene Laërtio ejusque interprete Menagio titulos librorum uniuscujusque illarum partium esse dispositos, nostrumque igitur fuisse officium in meliorem illos ordinem digerere, tamen, cum plus otii ad eam rem requiratur quam nobis suppetierat, antiquum ordinem statuimus esse retinendum, ne major etiam e præcipitatâ illius immutatione oriretur confusio. Neque vero tanta fuit nostra hac in re religio, ut ne unum quidem alterumve librum, qui manifesto ad aliam omnino Philosophiæ partem pertineret, eo referremus.

§. LII.

Ac primum quidem ad Logicos libros quod attinet, eorum longa series exhibetur a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 189—199. quam huc transferre inutile judicavimus (1). Solos igitur eos recensemus, quorum aut apud alios auctores aut apud ipsum Diogenem, sed aliis in locis præter catalogum illum, mentio aliqua occurrit. Et quo facilius in hoc opusculo quæ de singulis Chrysippi libris attulimus possint reperiri, Para-

(1) Neque tamen silentio præterire possum, titulos duorum librorum, quos memorat DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 197. *Ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ δεῖν τέμνειν τὰ ἀόριστα* et *Πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς κατὰ τῆς τομῆς τῶν ἀορίστων, πρὸς Πάσυλον*, doctissime explicatos esse a DAN. WYTTENBACHIO V. C. Animadverss. ad. Plutarchi Moral. Tom. I. pag. 368 : qua opportunitate labem etiam sustulit quæ inhæserat titulo libri *Περὶ τῶν ἀρίστων ἀξιωμάτων*, DIOG. LAERT. VII. 190. pro *ἀρίστων* rescribens *ἀορίστων*. Ad reliquas inscriptiones adhibendæ sunt Interpretum Diogenis Annotationes.

graphorum, quibus illi continentur, notas adjecimus. Logici igitur libri qui scribendi materiam nobis suppeditaverunt, hi sunt:

Ὅρων Διαλεκτικῶν, πρὸς Μητρόδωρον, ς'. (Codd. Palat. et Flor. ε'.) — §. LVI.

Περὶ τῶν Κατὰ τὴν διαλεκτικὴν Ὀνομάτων, πρὸς Ζήνωνα, α'. — §. LVII.

Περὶ Δυνατῶν, πρὸς Κλεῖτον, δ'. (Cod. Palat. γ'.) — §. LVIII.

Περὶ τῶν Κατὰ τὰς λέξεις Ἀνωμαλίας, πρὸς Δίωνα, δ'. — §. LIX.

Περὶ τῶν Πρὸς τὰς φωνὰς Σωρειτῶν Λόγων, γ'. — §. LX.

Περὶ Σολοικιζόντων Λόγων (sive Περὶ Σολοικισμῶν) (2), πρὸς Διονύσιον, α'. — §. LXI.

Περὶ τῶν Στοιχείων τοῦ Λόγου καὶ τῶν Λεγομένων, ε'. — §. LXII.

Περὶ τῆς Συντάξεως τῶν Λεγομένων, δ'. (Alii Mss. ε'.) — § LXIII.

Περὶ Ἀμφιβολιῶν. (vid. Περὶ τῆς Χρήσεως τοῦ Λόγου, Opp. Moral. §. CII. extr.)

Περὶ Ἀντιστρεφόντων Λόγων καὶ Συνημμένων, α'. — §. LXIV.

Περὶ τῆς Ἀναλύσεως τῶν Συλλογισμῶν, α'. — §. LXV.

Περὶ τοῦ Ψευδομένου, πρὸς Ἀριστοκρέοντα, ς'. — §. LXVI.

Περὶ τοῦ Παρὰ Μικρὸν Λόγου, πρὸς Στησαγόραν, β'. — §. LXVII.

Περὶ τῶν Εἰς τὰς Ὑπολήψεις λόγων καὶ Ἡσυχαζόντων, πρὸς Ὀνήτορα, β'. — §. LXVIII.

Περὶ τοῦ Ἐγκεκαλυμμένου, πρὸς Ἀριστόβουλον, β'. — §. LXIX.

Περὶ τῆς Συνηθείας, πρὸς Μητρόδωρον, ς'. — §. LXX.

Περὶ τοῦ Διαλεληθότος, πρὸς Ἀθηνάδην, α'. — §. LXXI.

Περὶ τῆς Διαλεκτικῆς. — §. LXXII.

---

(2) De lectionis varietate vid. MENAGIUS ad Lib. VII. segm. 192.

Cum a Diogene Laërtio plures sæpe de eodem fere argumento Chrysippi libri memorentur, difficile aliquoties erat eas eligere inscriptiones quo, quæ dicenda nobis essent, maxime referremus. Sed eâ in re probabilitatem sumus secuti, et ubi ne hæc quidem adesse videtur, inscriptionum varietates suo quamque loco breviter commemorabimus. Idem vero dictum sit de Ethicis quibusdam libris.

§. LIII.

Libri Physici in Indice Laërtiano, quippe a fine mutilo, prorsus desiderantur. Qui a Menagio pag. 345. sq. recensentur, hi sunt:

Περὶ Οὐσίας — §. LXXIII.
Αἱ Φυσικαὶ Τέχναι — §. LXXV.
Τὰ Φυσικά — §. LXXVI.
Περὶ Φύσεως — §. LXXVII.
Φυσικὰ Ζητήματα — §. LXXVIII.
Περὶ Κινήσεως — §. LXXXI.
Περὶ Κενοῦ — §. LXXXII.
Περὶ Ψυχῆς — §. LXXXIII.
Περὶ Ἐνυπνίων (Περὶ Ὀνείρων) — §. LXXXIV.
Περὶ Αὐξανομένου — §. LXXXV.

His septem addidimus alios libros, quos in Moralibus, nostro quidem judicio, perperam recensuit Menagius pag. 345. b.

Περὶ Θεῶν — §. LXXXVI.
Περὶ τοῦ Διὸς Σύγγραμμα — §. LXXXVII.

Περὶ Ἥρας — §. LXXXVIII.
Περὶ Προνοίας — §. LXXXIX.
Περὶ Εἱμαρμένης — §. XC.
Περὶ Μαντικῆς — §. XCI.
Περὶ Χρησμῶν — §. XCII.

iisque præterea ex nostrâ lectione quatuor a Mènagio plane prætermissos,

Περὶ τῆς Οὐσίας τῶν Στοιχείων — §. LXXIV.
Αἱ Φυσικαὶ Θέσεις — §. LXXIX.
Περὶ Κόσμου — §. LXXX.
Περὶ Ἕξεων — §. XCIII.

Laudantur etiam a SUIDA, voce Πρόληψις,

Οἱ Φυσικοὶ Λόγοι.

sed hunc locum exhibuimus ad fragmentum Περὶ Λόγου, §. CI.

§. LIV.

De Moralibus Chrysippi Operibus, quæ a Diogene Laërtio enumerantur, horum tantummodo aut mentio alibi occurrit aut fragmenta ad nos pervenerunt :

Ὑπογραφὴ τοῦ Λόγου, τοῦ πρὸς Θεόσπορον, ά. — §. XCIV.

Περὶ τῶν Ὅρων (3). — §. XCV.

Περὶ τῶν Ἐτυμολογικῶν, πρὸς Διοκλέα, ζ. — §. XCVI.

Περὶ Παροιμιῶν, πρὸς Ζηνόδοτον, β'. — §. XCVII.

Περὶ τοῦ Πῶς Δεῖ Τῶν Ποιημάτων Ἀκούειν, β'. — §. XCVIII.

Περὶ τοῦ Πῶς Ἕκαστα Λέγομεν καὶ Διανοούμεθα, ά. — §. XCIX.

Περὶ Καταλήψεως καὶ Ἐπιστήμης καὶ Ἀγνοίας — §. C.

Περὶ Λόγου, β'. — §. CI.

Περὶ τῆς Χρήσεως Τοῦ Λόγου, πρὸς Λεπτίναν — §. CII.

Περὶ τῆς Ῥητορικῆς, πρὸς Διοσκουρίδην, δ'. — §. CIII.

Περὶ Τέχνης καὶ Ἀτεχνίας, πρὸς Ἀριστοκρέοντα, δ'. (4). — §. CIV.

Περὶ τῆς Διαφορᾶς Τῶν Ἀρετῶν, πρὸς Διόδωρον, δ'. — §. CV.

Περὶ τοῦ Ποιὰς Εἶναι Τὰς Ἀρετάς, ά (5). — §. CXXIX.

Περὶ Ἀρετῶν, πρὸς Πόλλιν, β' — §. CVI.

Περὶ τοῦ Καλοῦ καί Τῆς Ἡδονῆς, πρὸς Ἀριστοκρέοντα, ί. — §. CVII.

Hactenus Laërtii Index: quem, ut monuimus, in fine truncatum ex aliis auctoribus, quantum fieri posset, redintegrare conatus est Jonsius eumque secutus Menagius pag. 344. sqq. Additi autem ab illis librorum tituli hi sunt:

Περὶ Δικαιοσύνης, πρὸς Πλάτωνα — §. CVIII.

Περὶ Δικαίου — §. CIX.

---

(3) Menagius in Observationibus hunc librum omnino prætermisit.

(4) Neque de hoc libro quidquam monuit Menagius.

(5) Galeni locum, ubi hic liber itidem memoratur, omisit Menagius.

Περὶ Ἀγαθῶν — Vid. §. seq.
Περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν Εἰσαγωγή — §. CX.
Περὶ Τῶν Δι' Αὐτὰ Αἱρετῶν — §. CXI.
Περὶ Τῶν Δι' Αὐτὰ Μὴ Αἱρετῶν — §. CXII.
Περὶ Καλοῦ — Vid. §. CVII.
Περὶ Παθῶν — §. CXIII.
Τὸ Περὶ Παθῶν Θεραπευτικόν — §. CXIV.
Περὶ Τέλους — §. CXV.
Περὶ Τελῶν — Vid. §. præced.
Τὰ Κατορθώματα. — §. CXVI.
Τὰ Περὶ Καθήκοντος — §. CXVII.
Ἠθικὰ Ζητήματα — §. CXVIII.
Τὸ Περὶ Ἔρωτος — §. CXIX.
Περὶ Τοῦ Δικάζειν — §. CXX.
Περὶ Ὁμονοίας — §. CXXI.
Περὶ Φιλίας — §. CXXII.
Τὰ Προτρεπτικά — §. CXXIII.
Περὶ Πολιτείας — §. CXXIV.
Περὶ Νόμου — §. CXXV.
Νόμοι — §. CXXIV.
Περὶ Βίου καὶ Πορισμοῦ — §. CXXVII.
Περὶ Παίδων Ἀγωγῆς — §. CXXVIII.
De Beneficiis — §. CXXX.

§. LV.

His tandem Operibus, duce Menagio, alia quædam adjici-

mus velut Miscellanea h. e. ad Grammaticam et Historiam (6) pertinentia: licet plura illorum commode possint ad unum alterumve præcedentium Capitum referri. Sunt autem hæc:

Περὶ Ἀνομολογίας — §. CXXXI.
Περὶ Βίων, δ. — §. CXXXII.
Σύγγραμμα Περὶ τῶν Ἀρχαίων Φυσιολόγων — §. CXXXIII.
Περὶ Δογμάτων — §. CXXXIV.
Λογικὰ Ζητούμενα — §. CXXXV.
Περὶ τοῦ Κυρίως Κεχρῆσθαι Ζήνωνα Τοῖς Ὀνόμασιν — §. CXXXVI.
Αἱ πρὸς Ἀρκεσίλαον Ἀντιγραφαί — §. CXXXVII.
Περὶ τοῦ Πρώτου Ἑπομένου — §. CXXXVIII.
Περὶ Μεγεθῶν καὶ Πληθῶν — §. CXXXIX.

His accedunt

Περὶ τῶν Μερῶν — §. CXL.
Ἰταλικά — §. CXLI.
Οἱ Κατὰ Γένος Ὅροι — §. CXLII.
Περὶ Ὁρμῆς — Vid. §. præced.
Ἐπιστολαὶ Ἐρωτικαί — Vid. §. CXXXIII.
Alia — §. CXLIII.

(6) Librum Περὶ τῆς Διαλεκτικῆς, a Menagio et ipsum huc relatum, nos ad Logica traximus. Vid. §. LXXII.

CAPUT SECUNDUM.

OPERA LOGICA.

§. LVI.

ΟΡΟΙ ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΟΙ.

Memoratur hoc Opus a Diogene Laertio in Indice Scriptorum Chrysippi, Lib. VII. segm. 189. et additis inde Chrysippi verbis Lib. eod. segm. 65: Ἀξίωμα δέ ἐστιν, ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, ἢ πρᾶγμα αὐτοτελὲς, ἀποφαντὸν, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ· ὡς ὁ Χρύσιππός φησιν ἐν τοῖς Διαλεκτικοῖς Ὅροις. Quem locum Js. Casaubonus ita rescribendum putat e Suidâ, voce ἀξίωμα: ἢ πρᾶγμα αὐτοτελὲς, ἀποφαντὸν, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, ἢ καταφαντόν· ὡς ὁ Χρύσιππός φησι κ. τ. λ. Nos hoc argumentum supra attigimus P. II. Cap. II. §. XXIV. sq., et multus est in vocis ἀξίωμα, quâ apud Philosophos occurrit, significatione exponendâ Menagius ad Laërtii l. l. pag. 291. sq. Nos Ciceronis aliquot locos qui huc pertinere videntur adjiciamus. — Academicor. Lib. II. cap. 29. §. 95. « Fundamentum dialecticæ est, quidquid enuntietur (id autem appellant ἀξίωμα; quod est quasi *effatum*,) aut verum esse aut falsum.» Ubi videndus est Pet. Faber pag. 374. Davis. et

Jo. A. Goerenzius pag. 173. — De Fato Cap. X. « Concludit enim Chrysippus hoc modo: Si est motus sine caussâ, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera aut falsa erit. Caussas enim efficientes quod non habebit, id nec verum nec falsum erit. Omnis autem enuntiatio aut vera aut falsa est. Quod si ita est, omnia quæ fiunt, caussis fiunt antegressis. Id si ita est, omnia fato fiunt. Efficitur igitur, fato fieri, quæcumque fiant.» Et paucis interjectis: « Itaque contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat, omne ἀξίωμα aut verum esse aut falsum.» Ac deinde: « Sic Chrysippus metuit ne, si non obtinuerit, omne, quod enuntietur, aut verum esse aut falsum, non teneat, omnia fato fieri et ex caussis æternis rerum futurarum.» Ad postrema hæc verba conferenda est J. H. Bremii Annotatio. — De Fato Cap. XVI. extr. « Tenebitur ergo id, quod a Chrysippo defenditur: Omnem enuntiationem aut veram esse aut falsam : ratio ipsa cogit, et ex æternitate quædam vera esse et ea non esse nexa ex caussis æternis et a fati necessitate esse libera.» Quo loco quid *ratio* significet acute docuit Bremius. Alia vid. apud Baumhauerum, V. Ampl., Observatt. Literar. pag. 79. not.

Hoc loco proferemus etiam quæ de differentiâ inter ἀληθορκεῖν et εὐορκεῖν, item inter ἐπιορκεῖν et ψευδορκεῖν Chrysippus disseruerat, ut auctor est Joannes Stobæus, Sermon. XXVIII. pag. 196. sq. Tigur. Quamquam hæc ex alio Chrysippi libro, v. c. Περὶ τῶν Ἐτυμολογικῶν, petita esse videntur. Stobæi autem verba hæc sunt: Χρύσιππος « διαφέρειν ἔφη τὸ ἀληθορκεῖν τοῦ εὐορκεῖν, καὶ τὸ » ἐπιορκεῖν τοῦ ψευδορκεῖν· τὸν μὲν γὰρ ὀμνύντα καθ' ὃν ὀμνύει καιρὸν, πάντως » ἢ ἀληθορκεῖν ἢ ψευδορκεῖν· τὸ γὰρ ὀμνύμενον ὑπ' αὐτοῦ ἢ ἀληθὲς εἶναι ἢ ψεῦδος, » ἐπειδὴ ἀξίωμα τυγχάνει ὄν· τὸν δὲ ὀμνύντα μὴ πάντως καθ' ὃν ὀμνύει χρόνον, » ἢ εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν, ὅτε μὴ πάρεστιν ὁ χρόνος, εἰς ὃν ἡ ἀναφορὰ τῶν ὅρκων

» ἐγίγνετο. Ὃν τρόπον γὰρ λέγεταί τινα εὐσυνθετεῖν ἢ ἀσυνθετεῖν, οὐχ ὅτε συν-
» τίθεται, ἀλλ' ὅτε οἱ χρόνοι ἐνίϛανται τῶν κατὰ τὰς ὁμολογίας· οὕτω καὶ εὐορ-
» κεῖν τις καὶ ἐπιορκεῖν ῥηθήσεται, ὅταν οἱ καιροὶ παραϛῶσι, καθ' οὓς ὡμολό-
» γησεν ἐπιτελέσειν τὰ κατὰ τοὺς ὅρκους. »

Ad Dialectica Chrysippi Opera præterea referenda sunt quæ binis locis profert Diogenes Laertius : altero, VII. segm. 68 : τῶν ἀξιωμάτων τὰ μέν ἐστιν ἁπλᾶ, τὰ δ' οὐχ ἁπλᾶ, ὥς φασιν οἱ περὶ Χρύσιππον, κ. τ. λ.; altero, VII. segm. 71 : τῶν δ' οὐχ ἁπλῶν ἀξιωμάτων συνημμένον μέν ἐστιν (ὡς ὁ Χρύσιππος ἐν ταῖς διαλεκτικαῖς φησι) τὸ συνεϛὸς διὰ τοῦ ΕΙ συναπτικοῦ συνδέσμου : ubi conf. Aldobrandinus et Menagius.

Ceterum περὶ ἀξιωμάτων separatim plures libros scripsisse videtur Chrysippus, siquidem quæ a Luciano produntur, Hermotim. s. De Sectis Cap. 82. Tom. IV. pag. 111. Bipont. a Guyeto et Solano ad h. l. pag. 429. recte ad Chrysippum referuntur. Et ejus Σύνταξιν Ὑπὲρ Ἀξιωμάτων commemorat etiam Dionysius Halicarnass. De Compositione Verbor. pag. 5. lin. 38. Sylb.

§. LVII.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗΝ ΟΝΟΜΑΤΩΝ.

Chrysippum peculiare opus conscripsisse De verbis in Dialecticâ a se usurpatis, obiter memorat Galenus De Differentiâ Pulsuum Lib. I. Tom. III. pag. 22. lin. 9. Basil. : — τί ἐστι τὸ διηχημέναι, ἀκριϐῶς συμϐαλεῖν οὐ δύναμαι. Οὐδὲ γὰρ εὗρον τοὔνομα παρά τινι τῶν Ἑλλήνων· ὥστε οὐδὲ καθ' οὗ τέτακται πράγματος ὑπ' Ἀρχιγένους ἐπίϛαμαι, καὶ ταῦτα μηδὲ γράψαντος αὐτοῦ βιϐλίον περὶ τῆς ἰδίας διαλέκτου· καθάπερ Χρύσιππος ὑπὲρ ὧν ἔθετο Κατὰ τὴν διαλεκτικὴν ὀνομάτων.

Neque vero in Dialecticis tantum, sed omnino Chrysippum nova introduxisse vocabula aut eorum, quæ in usu jam erant, significationes mutasse, aperte docet Galenus Op. mem. Lib. II. pag. 30. lin. 41. Bas. ita eum reprehendens: — νυνὶ δὲ δεινότατον· οὔτε γεννηθεὶς Ἀθήνησιν, οὔτε τραφεὶς, ἀλλὰ χθὲς καὶ πρώτως (7) ἥκων ἐκ Κιλικίας, πρὶν ἀκριβῶς αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἡντινοῦν Ἑλλάδα φωνὴν, Ἀθηναίοις ὑπὲρ ὀνομάτων ἐπιχειρεῖ νομοθετεῖν· ἁ κίττα τὰν σηρεῖναν μιμούμενα· ἵνα κίτταν εἴπωμεν, μὴ κολοιὸν, μηδὲ κόρακα, μηδ' ἄλλο μηδὲν· ὧν οἰκειότερον ἦν εἰπεῖν τὸν οὕτω θρασύν. Ὅσα μὲν Χρύσιππος εἰς τὴν τῶν Ἀθηναίων ἐξύβριζε διάλεκτον, τάχ' ἂν ποτε καὶ αὖθις ἡμῖν διεξελθεῖν γένοιτο. Conf. Ejusd. Op. Lib. III. pag. 32. lin. 24. Et pravum Chrysippi exemplum non philosophiæ solum sed aliis quoque doctrinis detrimentum attulisse conqueritur idem Galenus, De Differentiâ Pulsuum Lib. III. Tom. III. pag. 32. lin. 24. Basil.: — ἐπεὶ Χρύσιππος αὐτοὺς εἴθισεν ἀμφισβητεῖν περὶ τῶν κατὰ τὴν φιλοσοφίαν ὀνομάτων, οὐδ' αὐτοὶ περὶ τῶν κατὰ τὴν ἰατρικὴν ταῦτα ποιεῖν ὀκνοῦσι. Ceterum intempestivum studium novis et insolitis vocabulis philosophiam adspergendi Chrysippo exprobrat Plutarchus, De Virtute Morali pag. 441. B. ita in fine adjiciens: πολλῶν καὶ ἀτόπων ὀνομάτων οὐδὲν δεομένην ἐμπέπληκε φιλοσοφίαν: quo loco usus est Chr. Aug. Lobeckius ad Phrynichi Epitom. pag. 350. hac in re et ipse consulendus.

---

(7) Hoc nusquam alias me legere memini, licet fortasse proprium sit Galeno. Equidem tamen suspicor Galenum scripsisse χθὲς καὶ πρώην, *heri et nudius tertius*: quæ est et Græcis et Latinis solemnis loquendi formula; qua primus usus est Plato De Legibus pag. 677. D. Gorg. pag. 470. D. Steph. pag. 80. Heindorf. Fons autem illius est locus Homericus Iliad. II. vs. 303.

Χθιζά τε καὶ πρώϊζ', ὅτ' ἐς Αὐλίδα νῆες Ἀχαιῶν
Ἠγερέθοντο, κ. τ. λ.

Quem expressit idem Plato Alcibiad. II. pag. 141. D. Eâdem usi sunt De-

§. LVIII.

ΠΕΡΙ ΔΥΝΑΤΩΝ.

Primum quædam proferamus quæ hanc in rem a CICERONE disputantur, nullo tamen Chrysippei operis libro sigillatim indicato. — De Fato Cap. I. « Explicanda vis est, ratioque enuntiationum, quæ Græci ἀξιώματα vocant: quæ de re futurâ quum aliquid dicunt, deque eo, quod possit fieri, aut non possit, quam vim habeant, obscura quæstio est, quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant: totaque est λογική (8); quam rationem disserendi voco. » — Ibid. Cap. IV. — « ad Chrysippi laqueos revertamus. Cui primum quidem de ipsâ rerum contagione respondeamus, etc. » — « At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent, alii libidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi sint, alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a naturâ distat, quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus caussis esse factas? Hæc disserens, qua de re agatur, et in quo caussa consistat, non

MOSTHENES Pro Coronâ pag. 270. 21. Reiskii, ISOCRATES Archidamo pag. 121. B. p. 118. 27. Coray, ARISTOPHANES Ran. vs. 738. PLUTARCHUS De Igne et Aquâ pag. 956. B. Tom. IV. pag. 875. Wyttenb. aliique plures quos ad allatum Platonis locum De Legg. laudavit FR. ASTIUS pag. 143. et THOM. GATAKERUS ad Marcum Antonin. Lib. X. §. 7. (Opp. Critt. pag. 292). Attigit etiam ERASMUS noster, Adagior. Chiliad. II. Cent. V. 42. (Opp. Tom. II. col. 565. D.)

(8) Ita enim legendum est, non Logicæ, ut e Davisii conjecturâ dedit Ernestius: quod erudite monstravit J. H. BREMIUS ad h. l.

videt, etc.» — Cap. VII. « Vigila, Chrysippe, ne tuam caussam, in qua tibi cum Diodoro, valente Dialectico, magna luctatio est, deseras.» — Tum Cicero probat omne quod falsum dicatur in futuro, id fieri non posse, et hæc addit, Cap. VII. « At hoc, Chrysippe, minime vis: maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. Ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit verum: et, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse, et quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu, et quæ non sint futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit: neque necesse fuisse, Cypselum regnare Corinthi, quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset, etc. » — « Omnia enim vera in præteritis, necessaria sunt, ut Chrysippo placet dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero præterita possunt convertere. Si igitur, quod primum in connexo est, necessarium est; fit etiam, quod consequitur, necessarium. Quamquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, si naturalis est caussa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.» Cap. VIII. « Hoc loco Chrysippus æstuans falli sperat Chaldæos, ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut ita sua percepta pronuntient: *Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur:* sed potius ita dicant: *Non et natus est quis oriente Canicula, et is in mari morietur.* O licentiam jocularem!» Conf. ad h. l. Bremius: — « Multa genera sunt enuntiandi, nec ullum distortius, quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldæos contentos Stoicorum caussâ fore. Illorum nemo ita loquitur: majus est enim, has contortiones orationis, quam signorum ortus obitusque perdiscere.» Sed longum est omnia proferre: reliqua apud ipsum

Ciceronem legenda ejusque Interpretes, TURNEBUM in primis (Opp. edit. Argentor. Tom. I. pag. 239. sq.) et BREMIUM. Conf. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 75. sqq. De Chrysippi illâ cum Diodoro contentione memorabilis est alius Ciceronis locus ubi, ad Varronem scribens, per jocum hoc argumentum attigit, Ad Familiar. Lib. IX. epist. 4. « Περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, si venturus es, scito necesse esse, te venire: si autem non es, τῶν ἀδυνάτων est, te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππεία ne, an hæc, quam noster Diodorus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cum erimus, loquemur. Hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατόν est. » Ad quem totum locum vid. PAUL. MANUTIUS Comment. Tom. II. pag. 616. sq. ed. Richter., et JACOBI HARRISII docta disputatio ad ARRIANI Epictet. Dissertat. ab Uptono prolatam ad Lib. II. cap. 19. Tom. II. pag. 515. sqq. Schweigh. Add. D. HIERONYMUS Advers. Pelagianos Lib. I. Opp. edit. Parisin. 1706. Tom. IV. col. 488.

Jam de ipso opere videamus. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 191. quatuor illius libros fuisse testatur: et in *Primo* quidem libro Chrysippus laudatur ab ARRIANO in Epictet. Dissert. Lib. II. cap. 19. §. 9. pag. 284. Schweigh. Γέγραφε δὲ καὶ Χρύσιππος θαυμαστῶς ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Δυνατῶν. Ex quo loco discimus alios quoque Stoicos, ut Cleanthem, Archedemum, Antipatrum, de eodem argumento scripsisse.

Quartus hujus Operis liber duobus locis memoratur a PLUTARCHO: altero sententia Chrysippi refellitur, altero ipsa etiam ejus verba apponuntur. Ac prior quidem est De Defectu Oraculorum pag. 425. D. E. — διὸ καὶ Χρύσιππόν ἐστι θαυμάζειν, μᾶλλον

δὲ ὅλως διαπορεῖν ὅ, τι δὴ παθὼν (9) τὸν κόσμον ἐν μέσῳ φησὶν ἱδρύσθαι, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ τὸν μέσον τόπον ἀϊδίως κατειληφυῖαν, οὐχ ἥκιστα τοῦτον (10) συνείργεσθαι πρὸς τὴν διαμονὴν καὶ οἱονεὶ ἀφθαρσίαν (11). Ταυτὶ γὰρ ἐν τῷ τετάρτῳ Περὶ Δυνατῶν λέγει, μέσον τε τοῦ ἀπείρου τόπον οὐκ ὀρθῶς ὀνειρώττων, ἀτοπώτερόν τε τῆς διαμονῆς τοῦ κόσμου τῷ ἀνυπάρκτῳ μέσῳ τὴν αἰτίαν ὑποθεὶς καὶ ταῦτα πολλάκις εἰρηκὼς ἐν ἑτέροις, ὅτι ταῖς εἰς τὸ αὐτῆς μέσον ἡ οὐσία, καὶ ταῖς ἀπὸ τοῦ αὐτῆς μέσου διοικεῖται καὶ συνέχεται κινήσεσι.

Alter locus legitur De Stoicis Repugnantiis pag. 1054. B-E. Ὅτι « τοῦ κόσμου κενὸν ἐκτὸς ἄπειρόν ἐστι, τὸ δ' ἄπειρον οὔτε ἀρχὴν, οὔτε μέσον, « οὔτε τελευταῖον ἔχει, » πολλάκις ὑπ' αὐτοῦ (τοῦ Χρυσίππου) λέγεται. — Ἀλλ' ἔν γε τῷ τετάρτῳ Περὶ Δυνατῶν μέσον τινὰ τόπον καὶ μέσην χώραν ὑποθέμενος, ἐνταῦθά φησιν, ἱδρύσθαι τὸν κόσμον. ἔστι δ' ἡ λέξις αὕτη· « Διὸ καὶ ἐπὶ τοῦ κόσμου

---

(9) In explicandâ hac loquendi formulâ multi versati sunt Grammatici et Interpretes eruditi, quorum primarios hîc indicabimus. F. A. WOLFIUS ad Demosthenis Leptineam pag. 347. sqq. L. FR. HEINDORF. ad Platonis Euthydemum pag. 339. sq. G. HERMANNUS ad Vigerum De L. Gr. Idiot. pag. 759. sq. Clar. HEUSDIUS Specim. Crit. in Platon. pag. 57. FR. JACOBSIUS Additam. Animadverss. in Athenæum pag. 327. FR. CREUZERUS V. C. Annot. ad Plotinum De Pulchritud. pag. 419. quorum plures laudavit G. J. BEKKERUS V. D. Specim. Variar. Lectt. et Observatt. in Philostrati Vit. Apoll. pag. 90.

(10) Wyttenbachius V. C. corrigit *τούτῳ*, et pro sequenti *συνείργεσθαι* rescribendum esse suspicatur *συνεργεῖσθαι*.

(11) Ad Stoicorum rationem dictum, qui anteponere ita nominibus solent particulas *οἱονεὶ* et *ὡσανεί*. Plura hujus usus exempla Galenus et Plutarchus infra nobis suppeditabunt; eumque attigit etiam Vir Ampl. GUIL. THEODORUS BAUMHAUERUS, nunc Bruxellensis, in Observatt. Literariis, Specimini Juridico quod prodiit Lugd. Batav. 1811. annexis, pag. 11. not. Add. EUSEBIUS Præparat. Evangel. Lib. XV. cap. 15. pag. 817. D.

» εἰ ῥητέον αὐτὸν φθαρτὸν (12) εἶναι, λόγου οἴομαι δεῖσθαι. Οὐ μὲν ἀλλὰ μᾶλ- » λον ἐμοὶ φαίνεται οὕτως ἔχειν. Οἱονεὶ δὲ εἰς τὴν ὥσπερ ἀφθαρσίαν (13) πολύ » τι αὐτῷ συνεργεῖ καὶ ἡ τῆς χώρας κατάληψις, οἷον διὰ τὸ ἐν μέσῳ εἶναι· ἐπεί, » εἰ ἀλλαχῆ νοηθείη ὤν, καὶ παντελῶς ἂν αὐτῷ συνάπτοι ἡ φθορά. » Καὶ μετὰ μικρὸν αὖθις· « Οὕτω γάρ πως καί ἡ οὐσία συντέτευχεν ἀϊδίως τὸν μέσον κατειλη- » φυῖα τόπον, εὐθὺς τοιάδε τις οὖσα, ὥστε καθ' ἕτερον τρόπον, ἀλλὰ καὶ διὰ » τὴν συντυχίαν μὴ ἐπιδέχεσθαι αὐτὴν φθορὰν, κατὰ τοῦτ' εἶναι ἀΐδιον » (14). Hæc pugnantia esse simulque non obscura tantum sed etiam absurda deinceps docet Plutarchus. Sed de utroque Plutarchi loco et de Chrysippi hac repugnantiâ omnino consulendus est Janus Bakius V. Cl. Animadverss. ad Cleomedis Circularem Doctrin. De Sublimibus pag. 275. De Mundi interitu vel potius de Elementorum transmutatione e Stoicorum sententiâ conf. Just. Lipsius Physiolog. Stoicor. Lib. II. diss. 20 et 23 (Opp. Tom. IV. pag. 595. sqq.) et qui plures laudantur a Frid. Creuzero V. C. Annotat. ad Ciceronem De Nat. Deor. Lib. II. cap. 46. pag. 401. iisque add. Balforeus et Clar. Bakius ad Cleomedis Circular. Doctr. De Sublimibus pag. 263. Præcipue autem huc pertinet insignis

---

(12) Wyttenbachio legendum esse videbatur ἄφθαρτον, quod etiam reddidit Latinâ Interpretatione. Sed φθαρτὸν retinendum esse acute docuit nuperrime Janus Bakius V. C. Animadverss. ad Cleomedis Circular. Doctrin. De Sublim. pag. 275.

(13) Hæc ita corrigendo existimat Wyttenbachius : Εἰς δὲ τὴν οἱονεὶ ἀφθαρσίαν : quæ correctio probatur etiam Bakio l. l.

(14) Posterior hæc enuntiatio corrupta esse videtur; eamque sic esse legendam suspicatur Wyttenbachius : « ὥστε κατά τε τὸν τόπον ἅμα, καὶ διὰ τὴν « συντυχίαν, μὴ ἐπιδέχεσθαι αὐτὴν φθορὰν, καὶ κατὰ τοῦτ' εἶναι ἀΐδιον. »

hic locus PHILONIS JUDÆI De Incorrupt. Mundi pag. 940. A. B. edit. Paris. Οἱ Στωϊκοὶ κόσμον ἕνα ὑπογράφουσι, γενέσεως δ᾽ αὐτοῦ θεὸν αἴτιον, φθορᾶς δὲ μηκέτι θεὸν, ἀλλὰ τὴν ὑπάρχουσαν ἐν τοῖς οὖσι πυρὸς ἀκαμάτου δύναμιν, χρόνων μακραῖς περιόδοις ἀναλύουσαν τὰ πάντα εἰς ἑαυτήν· ἐξ ἧς πάλιν αὖ ἀναγέννησιν κόσμου ἵςασθαι προμηθείᾳ τοῦ τεχνίτου. Δύναται δὲ κατὰ τούτους ὁ μέν τις κόσμος ἀΐδιος, ὁ δέ τις φθαρτὸς λέγεσθαι· φθαρτὸς μὲν, ὁ κατὰ διακόσμησιν· ἀΐδιος δὲ, ὁ μετὰ τῆς ἐκπυρώσεως παλιγγενεσίαις καὶ περιόδοις ἀθανατιζόμενος οὐδέποτε ληγούσαις.

§. LIX.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΚΑΤΑ ΤΑΣ ΛΕΞΕΙΣ ΑΝΩΜΑΛΙΑΣ.

Meminit VARRO De Linguâ Latinâ Lib. VIII. init. pag. 126. Bip. — « tam nesciunt docere, quam discere quæ ignorant. In quo fuit Crates, nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo, homine acutissimo, qui reliquit sex libros Περὶ τῆς Ἀνωμαλίας, heis libreis contra analogiam atque Aristarchum est nixus: sed ita, ut scripta indicant ejus, ut neutrius videatur pervidisse voluntatem. Quod et Chrysippus, de Inæqualitáte cum scribit sermones, propositum habet ostendere similes res dissimilibus verbeis, et similibus dissimiles, esse vocabuleis notatas. » Cum igitur sex fuisse libros prodatur a Varrone, apud Laërtium Lib. VII. segm. 192. ubi huic titulo vulgo additur δ′, Jonsius reponendum censuit ϛ′. Menagius ad h. l. mavult apud Varronem *sex* immutari in *tres*, cum in Laërtii Codd. Mss. reperiatur etiam α′, β′, γ′. Sed difficile fuerit de numero horum librorum veri aliquid statuere.

De hoc argumento memorabilis exstat locus A. GELLII, ubi

quid sit ἀναλογία et ἀνωμαλία exponitur (15) nec Varronis sententia prætermittitur, Noct. Att. Lib. II. cap. 15. pag. 232. Conr.: « In Latino sermone, sicut in Græco, alii ἀναλογίαν sequendam putaverunt, alii ἀνωμαλίαν. Ἀναλογία est similium similis declinatio, quam quidam Latine proportionem vocant. Ἀνωμαλία est inæqualitas declinationum consuetudinem sequens. Duo autem Græci Grammatici illustres Aristarchus et Crates summâ ope, ille ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν defensitavit. M. Varronis ad Ciceronem De Linguâ Latinâ liber octavus nullam esse observationem similium docet, inque omnibus pæne verbis consuetudinem dominari ostendit. — Sed idem Varro in aliis libris multa pro ἀναλογίᾳ tuendâ scripsit. Sunt igitur hi tamquam loci quidam communes contra ἀναλογίαν dicere, et item rursus pro ἀναλογίᾳ. » In eâdem re versatur etiam dissertatio SEXTI EMPIRICI Advers. Mathematt. Lib. I. cap. 10. pag. 254. sqq., ubi plura quæ huc pertinent dedit J. A. FABRICIUS, pag. 259. not. C. — De Cratete Mallote, Panætii doctore et Aristarchi æmulo atque adversario non est quod dicamus post doctissimam disputationem, quam de eo instituit Nobilissimus LYNDENUS, De Panætio Rhodio §. VI. pag. 18-25.

---

(15) Grammaticos reprehendens eamdem rem etiam illustrat SEXTUS EMPIRICUS Advers. Mathematt. Lib. I. segm. 201 : — *οἱ γραμματικοὶ θέλοντες τὴν συνήθειαν ὡς ἄπιςον ἐκβάλλειν, καὶ πάλιν ταύτην ὡς πιςὴν παραλαμβάνειν, τὸ αὐτὸ πιςὸν ἅμα καὶ ἄπιςον ποιήσουσιν. Ἵνα γὰρ δείξωσιν ὅτι οὐ διαλεκτέον κατὰ τὴν συνήθειαν, εἰσάγουσι τὴν ἀναλογίαν· ἡ δὲ ἀναλογία οὐκ ἰσχυροποιεῖται, εἰ μὴ συνήθειαν ἔχοι τὴν βεβαιοῦσαν κ. τ. λ.*

§. LX.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΑΣ ΦΩΝΑΣ ΣΩΡΕΙΤΩΝ (16) ΛΟΓΩΝ.

Hoc argumentationis genus attigit Persius Satir. VI. v. 78. sqq.

Rem duplica. feci: jam triplex: jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam.
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

et egregie illud ad hunc locum illustravit Magnus Casaubonus pagg. 519-522. edit. Paris. Nos quæ de hac re dicenda videbantur supra diximus, Part. II. Cap. II. §. XXIX. eaque hic repetere non est necesse. Unum solummodo addamus Ciceronis locum ibi prætermissum, Academicor. Lib. II. cap. 28. « Philosophia primo progressu festive tradit elementa loquendi, et ambiguorum intelligentiam concludendique rationem: tum, paucis additis, venit ad soritas, lubricum sane et periculosum locum; quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. » Cap. 29: « Quid ergo? istius vitii, num nostra culpa est? rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ullâ in re statuere possimus, quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed nullâ om-

---

(16) Js. Casaubonus, Comment. ad Persium extr. pag. 522. Paris. emendare videtur voluisse *σωρειτικῶν λόγων*. Sed non est quod vulgatam lectionem repudiemus. Neque enim desunt in Indice Laërtiano exempla duorum substantivorum in librorum titulis conjunctorum. Conf. v. c. *Περὶ οὔτιδος λόγου* Lib. VII. segm. 198.

nino in re minutatim interrogati, dives, pauper: clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna, parva: longa, brevia: lata, angusta: quanto aut addito, aut demto, certum respondeamus, non habemus. At vitiosi sunt Soritæ. Frangite igitur ea, si potestis, ne molesti sint. Erunt enim, nisi cavetis. » Ubi vid. Joach. Camerarius et Jo. A. Goerenzius.

§. LXI.

ΠΕΡΙ ΣΟΛΟΙΚΙΣΜΩΝ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΣΟΛΟΙΚΙΖΟΝΤΩΝ ΛΟΓΩΝ.

Ut huic titulo locum daremus in hac Dissertatione movit nos Gellii locus Noct. Att. Lib. V. cap. 20: « Cum Græcum autem vocabulum sit *Solœcismus;* an Attici homines, qui elegantius locuti sunt, usi eo sint, quæri solet. Sed nos neque Solœcismum neque Barbarismum apud Græcorum idoneos adhuc invenimus. Nam sicut βάρβαρον, ita σόλοικον dixerunt. Nostri quoque antiquiores solœcum facile, solœcismum haud scio an umquam dixerint. Quod si ita est, neque in Græco neque in Latino solœcismus probe dicitur. » Unde legi posset in Chrysippei libri titulo Περὶ τῶν Σολοίκων Λόγων pro Περὶ Σολοικισμῶν, ut legendum reapse videtur Menagio ad Diog. Laërt. Lib. VII. segm. 192. Sed locus Chrysippi qui legitur apud Plutarchum De Stoicis Repugn. pag. 1047. B. et quem infra proferemus ad Περὶ Ῥητορικῆς, obstat quin Menagio assentiamur. Ibi enim legitur σολοικισμούς, nullâ lectionis discrepantiâ; itémque apud Eumdem De Curiositate pag. 520. B. τραγικῶν σολοικισμῶν; Convival. Disputatt. Lib. VIII. Quæst. IX. pag. 731. F. βαρβαρισμὸν ἢ σολοικισμόν: nec aliter apud ipsum Laertium paullo inferius, Lib. VII. segm. 195. περὶ τῶν εἰς τοὺς σολοικισμοὺς θεωρη-

μάτων. Quod si autem vocem σολοικισμὸς ἄκυρον censet Gellius, eâ in re fallitur, quandoquidem non Aristoteles tantum eâ usus est, sed unus omnium elegantissimus LUCIANUS, v. c. Nigrin. Cap. 31. Tom. I. pag. 53., Vitarum Auct. Cap. 23. Tom. III. pag. 107. Bipont.; quo utroque loco consulendi sunt INTERPRETES, Tom. I. pag. 283. et Tom. III. pag. 452. sq. Ceterum de differentiâ inter Barbarismum et Solœcismum copiose exposuit MENAGIUS ad Diogenem Laërt. Lib. VII. segm. 59. pag. 289. sq. quocum conferenda sunt quæ attulit J. A. FABRICIUS ad Sext. Empir. Advers. Mathematt. Lib. I. segm. 210. pag. 260. b. Primus autem verbum σολοικίζειν de Sauromatis usurpavit HERODOTUS, Lib. IV. cap. 117.

§. LXII.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΣΤΟΙΧΕΙΩΝ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΛΕΓΟΜΕΝΩΝ.

DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. Segm. 57: — τοῦ δὲ λόγου ἔστι μέρη πέντε, ὥς φησι Χρύσιππος· ὄνομα, προσηγορία, ῥῆμα, σύνδεσμος, ἄρθρον: ubi vid. MENAGII Observatio pag. 288. sq. Præcipue autem cum LAERTII hoc loco sunt conferenda quæ obiter profert GALENUS, De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. VIII. Tom. I. pag. 322. lin. 3. Basil.: — ἐκείνων οὖν (τῶν μικρῶν σωμάτων) ἕκαςον στοιχεῖον εἶναί φησι (sc. Plato) τοῦ πυρὸς, ὡς εἰ καὶ τοῦ τῶν πυρῶν σωροῦ ςοιχεῖον ἔλεγεν εἶναί τις ἕκαςον τῶν πυρῶν. Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον, καὶ τὰ μὲν τῆς φωνῆς ςοιχεῖα γεννᾷν πρώτας μὲν τὰς συλλαβὰς, εἶτ' ἐξ αὐτῶν γεννᾶσθαι τό, τ' ὄνομα, καὶ τὸ ῥῆμα, καὶ τὴν πρόθεσιν, ἄρθρον τε καὶ σύνδεσμον· ἃ πάλιν ὁ Χρύσιππος ὀνομάζει τοῦ λόγου ςοιχεῖα. Unde apparet Chrysippum Platonis auctoritate esse commotum, ut ea in re a reliquis Stoicis discederet. Illius vero sententiam ita esse deinceps propagatam, ut commu-

nis Stoicorum sententia haberetur, intelligitur e verbis PRISCIANI Lib. II. cap. De Oratione, col. 574. Putschii: « Partes orationis sunt secundum Dialecticos duæ, Nomen et Verbum: quia hæ solæ etiam per se conjunctæ plenam faciunt orationem: alias autem partes Syncategoremata, hoc est, Consignificantia appellabant. Secundum Stoicos vero quinque sunt ejus partes: Nomen, Appellatio, Verbum, Pronomen sive Articulus, Conjunctio. Nam Participium connumerantes verbis, Participale verbum vocabant vel Casuale: nec non etiam Adverbia nominibus vel verbis connumerabant et quasi Adjectiva verborum ea nominabant: Articulis autem Pronomina connumerantes, Finitos ea articulos appellabant: ipsos autem Articulos, quibus nos caremus, Infinitivos articulos dicebant. — Præpositionem quoque Stoici conjunctioni copulantes Præpositivam conjunctionem vocabant. » Quæ maximam partem desumta videntur e QUINCTILIANI Instit. Orat. Lib. I. cap. 4. §. 4. pag. 28. sq. Wolffii.

§. LXIII.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΣΥΝΤΑΞΕΩΣ ΤΩΝ ΛΕΓΟΜΕΝΩΝ.

Librorum de Syntaxi meminit DIONYSIUS HALICARN. De Compositione Verborum pag. 5. lin. 36. Sylb. pag. 72. Schæf.: — ἃς δὲ Χρύσιππος καταλέλοιπε συντάξεις διττὰς, ἐπιγραφὴν ἐχούσας Περὶ τῆς Συντάξεως τῶν τοῦ Λόγου Μερῶν, οὐ ῥητορικὴν θεωρίαν ἐχούσας (sc. εὑρὼν) (17), ἀλλὰ διαλεκτικὴν, ὡς ἴσασιν οἱ τὰς βίβλους ἀνεγνωκότες, ὑπὲρ ἀξιωμά-

---

(17) Hoc e superioribus cogitatione esse repetendum neque ἔχουσι corrigendum, ut voluit Uptonus, recte docet G. H. SCHÆFERUS ad h. l.

των συντάξεως ἀληθῶν τε καὶ ψευδῶν, καὶ δυνατῶν καὶ ἀδυνάτων, ἐνδεχομένων τε καὶ μεταπιπτόντων, καὶ ἀμφιβόλων, καὶ ἄλλων τινῶν τοιουτοτρόπων, οὐδεμίαν οὔτε χρείαν, οὔτ' ὠφέλειαν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις συμβαλλομένων, εἰς γοῦν ἡδονὴν ἢ κάλλος ἑρμηνείας, ὧν δεῖ στοχάζεσθαι τὴν σύνθεσιν· ταύτης μὲν τῆς πραγματείας ἀπέστην. Hinc igitur simul intelligitur cujus argumenti fuerint hi libri; quos quidem eosdem fuisse atque eos qui a LAERTIO laudantur, Lib. VII. segm. 193. certo definiri nequit, quandoquidem inscriptiones aliquantum inter se discrepant.

§. LXIV.

ΠΕΡΙ ΑΝΤΙΣΤΡΕΦΟΝΤΩΝ ΛΟΓΩΝ ΚΑΙ ΣΥΝΗΜΜΕΝΩΝ.

De Enuntiationibus Conditionalibus (ἀξιώμασι συνημμένοις), unde ejusdem generis Argumentationes (λόγοι συνημμένοι) factæ esse videntur, diximus supra P. II. Cap. II. §. XXV. Reciprocæ Argumentationes (λόγοι ἀντιστρέφοντες) eæ dicebantur quæ referri contra convertique in eum possunt, qui illis usus est. SOPATER ad Hermogenis Art. Rhetor. in Rhetorum Græcor. edit. Ald. T. I. pag. 54: Ἀντιστρέφον ἐστὶ, ὅτ' ἂν ὧν τις λέγει πρότερον τὰ ἐναντία ὕστερον λέγῃ, καὶ τὰ μὲν αὐτοῦ καταβάλῃ, τοῖς δὲ ἐναντίου πρὸς ἀπόδειξιν χρῆται. Duo insignia hujus Argumentationis exempla profert A. GELLIUS N. A. Lib. V. cap. 10 et L. IX. c. 16. et LACTANTIUS Div. Institut. Lib. III. cap. 6. Eædem Κροκόδειλοι dictæ esse videntur; LUCIANUS Dial. Mort. Cap. 2. T. II. pag. 130. Bipont. ad quem locum consulendus est Mos. SOLANUS pag. 402. Vid. omnino LUDOV. CRESOLLIUS Theatr. Rhetor. Lib. II. cap. 6. (in Gronovii Thes. Antiqu. Græc. Tom. X. col. 74. F. sq.)

§. LXV.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΝΑΛΥΣΕΩΣ ΤΩΝ ΣΥΛΛΟΓΙΣΜΩΝ.

Chrysippi Opera De Syllogismis recensentur a Laërtio VII. 194. 195. in iisque plura quæ pertinent ad Syllogismorum Resolutionem (ἀνάλυσιν τῶν συλλογισμῶν). Quid autem sit *resolvere Syllogismos*, explicuit Alexander Aphrodis. Comment. ad Aristot. Analyt. Prior. Lib. I. a Menagio ad h. t. laudatus. Huc forsitan respexit Gregorius Nazianzenus Advers. Julian. Or. XXVI. pag. 458. B. Morell., cum Pyrrhonis instantiis et Platonicæ facundiæ præstigiis Χρυσίππου συλλογισμῶν τὰς διαλύσεις conjungens. Conf. Theodoretus Therapeut. Serm. VIII. pag. 110. lin. 46. ed. Heidelb. Sylb. Tangit etiam Chrysippi Syllogismos Lucianus Hermot. s. De Sectis Cap. 82. T. IV. pag. 111. et Icaromenipp. C. 24. T. VII. pag. 37. Bip. Et hoc loco memorandum quoque videtur, Galenum puerulum adhuc cum a patre præceptori traditus esset, a quo in Chrysippi disciplinâ et Stoicorum philosophiâ institueretur, scripsisse Commentarios in opera Chrysippi Syllogistica. Galenus De Libris Suis Tom. IV. pag. 367. lin. 50. Basil.: Ἔτι δὲ παῖς ὢν ἡνίκα πρῶτον ὁ πατὴρ μετὰ τὴν λογικὴν θεωρίαν, Χρυσίππου καὶ τῶν ἐνδόξων Στωϊκῶν διδάξαντι παρέδωκεν, ἐποιησάμην ἐν αὐτῷ τῶν Χρυσίππου συλλογιστικῶν βιβλίων ὑπομνήματα. Idem Op. mem. pag. 368. l. 24. dicit se scripsisse περὶ τῆς κατὰ Χρύσιππον λογικῆς θεωρίας γ΄, et τῆς Χρυσίππου συλλογιστικῆς πρώτης ὑπομνήματα γ΄, δευτέρας ἕν. Conf. J. A. Fabricii Bibl. Gr. Tom. V. pag. 466. Harl.

Cum autem præterea quædam dicenda nobis sint de Syllogismis Chrysippi, illa huc referri posse existimamus, quamquam proprie ad opus indicatum non pertinent. Diog. Laert. Lib. VII. segm. 79: — ἄλλοι (sc. λόγων ἀναποδείκτων) μὲν παρ' ἄλλοις

παρὰ δὲ τῷ Χρυσίππῳ πέντε, δι᾽ ὧν πᾶς λόγος πλέκεται· οἵ τινες λαμβάνονται ἐπὶ τῶν περαντικῶν, καὶ ἐπὶ τῶν συλλογιστικῶν, καὶ ἐπὶ τῶν τροπικῶν· κ. τ. λ. In quo ab ARISTOTELE dissentit, qui non nisi tria genera perfectorum Syllogismorum esse vult, eosque nomine diverso appellat τελείους συλλογισμούς. Conf. Analyticor. Prior. Lib. I. c. 1 et 23. Ceterum illorum quinque Syllogismorum apud Chrysippum tres fuisse simplices (ἁπλοῦς), duos compositos (οὐχ ἁπλοῦς) discimus e SEXTO EMPIRICO Advers. Mathematt. Lib. VIII. segm. 227. sq. pag. 501. Fabr. Sed hæc potius referenda sunt ad alios Chrysippi libros Syllogisticos quos contra Zenonem scripserat, ut Περὶ τῶν πρώτων καὶ ἀναποδείκτων συλλογισμῶν, et Περὶ συλλογισμῶν εἰσαγωγικῶν, DIOG. LAERT. Lib. VII. segm. 195. SEXTUS autem EMPIRICUS ea desumsit ex initio τῆς πρώτης Περὶ συλλογισμῶν εἰσαγωγῆς. Adv. Mathematt. Lib. laud. segm. 223. pag. 500.

Hic vero etiam apponemus Chrysippi quædam argumenta quæ exhibent DIOGENES LAERTIUS in ejus Vitâ, segm. 186. et qui eum exscripsit SUIDAS, voce Χρύσιππος. Laërtii autem verba hæc sunt: Ὁ δὴ φιλόσοφος καὶ τοιούτους τινὰς ἠρώτα λόγους. « Ὁ λέγων τοῖς » ἀμυήτοις τὰ μυστήρια, ἀσεβεῖ· ὁ ἱεροφάντης τοῖς ἀμυήτοις λέγει· ἀσεβεῖ ἄρ᾽ ὁ » ἱεροφάντης. ἄλλο· Ὃ οὐκ ἔστιν ἐν τῇ πόλει, οὐδὲ τοῦτο ἐν τῇ οἰκίᾳ· οὐκ ἔστι » δὲ φρέαρ ἐν τῇ πόλει· οὐδ᾽ ἄρα ἐν τῇ οἰκίᾳ. ἄλλο· Ἔστι δέ γε τὶς κεφαλή· » ἐκείνην δὲ οὐκ ἔχεις· ἔστι δέ γε τὶς κεφαλὴ, οὐκ ἄρα ἔχεις κεφαλήν. ἄλλο· Εἴ » τις ἐστὶν ἐν Μεγάροις, οὐκ ἐστὶν ἐν Ἀθήναις· ἄνθρωπος δέ ἐστιν ἐν Μεγάροις· » οὐκ ἄρα ἐστὶν ἄνθρωπος ἐν Ἀθήναις. καὶ πάλιν. Εἴ τι λαλεῖς, τοῦτο σοῦ διὰ » τοῦ στόματος διέρχεται· ἅμαξαν δὲ λαλεῖς· ἅμαξα ἄρα διὰ τοῦ στόματός σου » διέρχεται· καὶ, Εἴ τι οὐκ ἀπέβαλες, τοῦτο ἔχεις· κέρατα δὲ οὐκ ἀπέβαλες· κέ» ρατα ἄρα ἔχεις. » Ab hac ultimâ ratione κερατίνη, sive κερατίς, argumentationis species nomen habet. Similia de hac ipsâ postremâ argumentatione exstant apud GELLIUM N. A. Lib. XVI. cap. 2. — SENECA Epist. XLV. pag. 458. B. Lipsii: « Ceterum qui in-

18.

terrogatur an cornua habeat, non est tam stultus, ut frontem suum tentet; nec rursus tam ineptus aut hebes, ut non habere se nesciat, quod tu illi subtilissimâ collectione persuaseris. Sic ista sine noxâ decipiunt: quomodo præstigiatorum acetabula et calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.» Plura dabunt de hac argumentandi formâ ejusdemque nominibus LUDOV. CRESOLLIUS, Theatr. Rhetor. Lib. II. cap. 6. (in Gronovii Thes. Antiquitt. Græcar. T. X. col. 75. E. sq.) et J. A. FABRICIUS ad Sextum Empir. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. I. c. 22. segm. 243. pag. 122.

§. LXVI.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΨΕΥΔΟΜΕΝΟΥ.

Mentio hujus Libri occurrit apud ARRIANUM in Epicteti Dissertat. Lib. II. cap. 17. §. 34. pag. 273. Schweighæus. Ceterum Ψευδόμενος, Syllogismus Mentiens, ab exemplo nomen habet, *Quum mentior, et mentiri me dico; mentior, an verum dico?* GELLIUS N. A. Lib. XVIII. c. 2. Conf. CICERO Acad. Lib. II. c. 30. qui eam quæstionem ad Chrysippi exemplum in hanc argumentandi formam coëgit: «Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris: dicis autem te mentiri verumque dicis: mentiris igitur.» Conf. cap. 29. fin. De Divinat. Lib. II. c. 4. Vid. WYTTENBACHIUS V. C. Præcepta Philosoph. Logicæ P. III. L. IX. pag. 216. IDEM in Animadverss. ad Plutarchi librum De Rectà Audiendi Ratione pag. 43. C. T. I. pag. 370. ubi laudantur JAC. FACCIOLATI Acroasis III. et ADAMI BURSII Dialectica Ciceronis pag. 443. sq. Add. Jo. JAC. HOTTINGERUS ad Ciceron. De Divinat. l. l. pag. 174. ac præcipue MENAGIUS ad Diogenem Laërt. Lib. II. segm. 108. pag. 121. sq. Memorabilis vero etiam est locus ATHENÆI Lib. IX. p. 401. E. Tom. III. p. 485. Schweigh.

qui Ψευδολόγον dicit, ita scribens de Philetâ : Κινδυνεύεις οὖν ποτε διὰ ταύτας τὰς φροντίδας, ὥσπερ ὁ Κῶος Φιλητᾶς ζητῶν τὸν καλούμενον Ψευδολόγον τῶν λόγων, ὁμοίως ἐκείνῳ διαλυθῆναι. Ἰσχνὸς γὰρ πάνυ τὸ σῶμα διὰ τὰς ζητήσεις γενόμενος, ἀπέθανεν· ὡς τὸ πρὸ τοῦ μνημείου αὐτοῦ ἐπίγραμμα δηλοῖ·

Ξεῖνε, Φιλητᾶς εἰμί. Λόγων ὁ ψευδόμενός με
Ὤλεσε, καὶ νυκτῶν φροντίδες ἑσπέριοι.

Ceterum Chrysippi *Mentientem* tangit etiam D. HIERONYMUS Epist. LXXXII. T. IV. col. 647. ed. Martinay.

§. LXVII.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΑΡΑ ΜΙΚΡΟΝ ΛΟΓΟΥ.

Nihil aliud esse τὸν Παρὰ Μικρὸν Λόγον quam Soritem, recte monuit Is. CASAUBONUS ad Persii Satir. VI. v. ult. pag. 522. edit. Paris.: et ἡ Παρὰ Μικρὸν Ἐρώτησις eadem est Stoicis atque ἡ Σωρειτικὴ Ἐρώτησις. Fit enim Sorites, cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur, ut ait CICERO Academ. Lib. II. cap. 16. Etsi autem de hac materiâ jam in superioribus egimus (P. II. Cap. II. §. XXIX. et P. III. §. LX.), pauca tamen de novo addenda videntur. Ex illâ igitur Soritæ notione, quam modo apposuimus, hæc profert CICERO De Divinat. Lib. II. cap. 4. «Quemadmodum Soriti resistas? quem, si necesse sit, Latino verbo liceat *Acervalem* appellare: sed nihil opus est: ut enim ipsa philosophia, et multa verba Græcorum, sic Sorites satis Latino sermone tritus est.» Tangit Chrysippi hoc argumentandi genus SIDONIUS APOLLINARIS Carm. XXIII. v. 114.

Non hunc si voluit rotare rhythmos,
Quidquam proposito virum morari
Chrysippus potuisset ex acervo.

ubi vid. quæ attulit J. Savaro. — Præterea huc transferre licebit Fragmentum Ulpiani, unius elegantissimi Romanorum Jureconsulti, Leg. 177. Digest. De Verbor. Signif. (L. 16.), quod in præstanti editione Gebauerianâ sic habet: « Natura cavillationis, quam Græci σωρείτην appellaverunt, hæc est, ut ab evidenter veris, per brevissimas mutationes, disputatio ad ea quæ evidenter falsa sunt, perducatur. » Idem omnino legitur etiam apud Julianum JC. Leg. 65. Dig. De Reg Jur. (L. 17.). Copiose autem et ornate de hac argumentationis formâ disputavit Jac. Facciolatus Acroas. II.

§. LXVIII.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΕΙΣ ΤΑΣ ΥΠΟΛΗΨΕΙΣ ΛΟΓΩΝ ΚΑΙ ΗΣΥΧΑΖΟΝΤΩΝ.

De Argumentationibus quas Chrysippus dicit Λόγους Εἰς Τὰς Ὑπολήψεις, aliunde non constat. Quæ de Ἡσυχάζοντι Λόγῳ erant dicenda, jam supra occupavimus Part. II. Cap. II. §. XXIX. nec ea hic repetere attinet. Unum solummodo addamus Ciceronis locum, Academ. Lib. II. cap. 29. quo argumenta continentur quibus Carneades hanc Chrysippi rationem refutaverit. Verba ipsa hæc sunt: « Per me vel stertas licet, inquit Carneades (sc. Chrysippo respondens), non modo quiescas. Sed quid proficit? Sequitur enim, qui te ex somno excitet, et eodem modo interroget. Quo in numero conticuisti, si ad eum numerum unum addidero, multane erunt? progrediere rursus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse. Cujus generis error manat ita, ut non videam quo non possit accedere. Nihil me lædit, inquit; ego enim ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo, eoque magis si locus is, quo ferentur equi, præceps erit. Sic me, inquit, ante sustinebo, nec

diutius captiose interroganti respondebo. Si habes, quod liqueat, neque respondes; superbis. Si non habes; ne tu quidem percipis. Si, quia obscura, concedo. Sed negas te usque ad obscura progredi; illustribus igitur rebus insistis. Si id tantummodo, ut taceas, nihil assequeris. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem irretiat te an loquentem? Sin autem usque ad novem, verbi gratiâ, sine dubitatione respondes pauca esse, in decimo insistis, etiam a certis et illustrioribus cohibes assensum: hoc idem me in obscuris facere non sinis. Nihil igitur te contra Soritas ars ista adjuvat; quæ nec augenti, nec minuenti, quid aut primum sit, aut postremum, docet». — Ceterum ipse Carneades hoc argumentationis genere probare conabatur, non esse Deos; quod intelligitur e pluribus locis Sexti Empirici, v. c. Advers. Mathematt. Lib. IX. segm. 138. sq. pag. 582. segm. 142. pag. 583. segm. 148. pag. 584. sq. Fabric.: ut etiam hinc manifestum sit quod supra posuimus, Part. I. §. III. not. 18., in Dialecticis armatum fuisse a Chrysippo Carneadem.

§. LXIX.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΕΓΚΕΚΑΛΥΜΜΕΝΟΥ.

Sic dicitur hæc argumentationis forma, quod in exemplum assumatur Pater Coopertus, hoc modo: *An nosti patrem tuum? Novi. An hunc qui linteo coopertus est? Non novi. Atqui hic pater tuus est. Patrem igitur tuum non nosti.* Ludit eam sub Chrysippi personâ Lucianus, Vitarum Auct. Cap. 22. extr. T. III. pag. 106. sq. Bip.: Χρυσ. Τὸν δ' αὖ ἐγκεκαλυμμένον καὶ πάνυ θαυμαςὸν ἀκούσῃ λόγον· ἀπόκριναι γάρ μοι, τὸν πατέρα οἶσθα τὸν σεαυτοῦ; Ἀγορ. Ναί. Χρυσ. Τί οὖν; ἤν σοι παραςήσας τινὰ ἐγκεκαλυμμένον, ἔρωμαι, τοῦτον

οἶσθα, τί φήσεις; Ἀγορ. Δηλαδὴ ἀγνοεῖν. Χρυσ. Ἀλλὰ μὴν αὐτὸς οὗτος ἦν ὁ πατήρ σός· ὥστε εἰ τοῦτον ἀγνοεῖς, δῆλος εἶ τὸν πατέρα τὸν σὸν ἀγνοῶν. Inventor autem illius habebatur Diodorus Cronus, teste Diogene Laertio Lib. II. segm. 111. Plura hanc in rem attulit Menagius ad Laërtii Vit. Euclidis Lib. II. segm. 108. pag. 121. sq. Ceterum hinc forsitan ductum est nomen fabulæ Anthippi Comici, quæ inscribebatur ὁ Ἐγκαλυπτόμενος, Athenæus Lib. IX. pag. 403. E. T. III. pag 494. Schweigh. ut suspicatur Mos. Solanus ad laud. Luciani locum pag. 452. Aliter tamen sentire videtur Jo. Toupius, Append. Notar. in Theocrit. pag. 7.

Sunt alia plura ejusmodi fallaciarum et sophismatum genera, veluti ὁ Οὔτις Λόγος, ὁ Κυριεύων Λόγος, ἡ Ἠλέκτρα: de quibus consuli possunt Ludovicus Cresollius Theatr. Rhetor. Lib. II. cap. 6. (T. X. col. 73. sqq. Thes. Gronov.), Menagius ad Diogenem Laërt. Lib. II. segm. 108. pag. 121. sqq. et Thom. Stanlejus, Histor. Philosoph. P. VII. pag. I. §. XXXII. pag. 508. sq. Interprr. ad Gellii N. A. Lib. I. cap. 2.

§. LXX.

ΚΑΤΑ ΤΗΣ ΣΥΝΗΘΕΙΑΣ ΠΡΟΣ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΝ.

Chrysippi librorum contra Consuetudinem meminit Plutarchus De Stoicis Repugn. pag. 1036. C. D: — ἐπὶ δὲ τοῖς κατὰ Συνηθείας ἐκδοθεῖσιν (sc. ὑπὸ Χρυσίππου) οὕτω κομῶσιν καὶ μεγαληγοροῦσιν, ὥστε τοὺς πάντων ὁμοῦ τῶν Ἀκαδημιακῶν λόγους εἰς ταὐτὸ συμφορηθέντας, οὐκ ἀξίους εἶναι παραβαλεῖν οἷς Χρύσιππος ἔγραψεν εἰς διαβολὴν τῶν Αἰσθήσεων. Καὶ τοῦτο μὲν ἀπειρίας τῶν λεγόντων ἢ φιλαυτίας σημεῖόν ἐστιν. ἐκεῖνο δὲ ἀληθές, ὅτι βουληθεὶς αὖθις συνειπεῖν τῇ Συνηθείᾳ καὶ ταῖς Αἰσθήσεσιν, ἐνδεέστερος γέγονεν αὐτοῦ καὶ τὸ σύνταγμα τοῦ συντάγματος μαλακώτερον. Ὥστε

αὐτὸν ἑαυτῷ μάχεσθαι· κελεύοντα μὲν ἀεὶ τὰ ἐναντία, μὴ μετὰ συνηγορίας, ἀλλὰ μετὰ ἐνδείξεως τοῦ ὅτι ψευδῆ ἐστι, παρατίθεσθαι· τῶν δὲ αὐτοῦ δογμάτων κατήγορον ὄντα δεινότερον ἢ συνήγορον, καὶ φυλάττεσθαι μὲν ἑτέροις παραινοῦντα τοὺς ἐναντίους λόγους, ὡς περισπῶντας τὴν κατάληψιν, αὐτὸν δὲ τῶν βεβαιούντων τὴν κατάληψιν λόγων φιλοτιμότερον συντιθέντα τοὺς ἀναιροῦντας. Idem PLUTARCHUS, De Communib. Notitiis pag. 1059. D. in ludibrium vertens hos Chrysippi conatus, ita loquentem facit Diadumenum Stoicum : — ἀλλ' ὥσπερ ὁ Κάτων ἔλεγε περὶ Καίσαρος ἐκείνου, « μηδένα (18) νήφοντα μηδὲ φρονοῦντα ἐπὶ συγχύσει τῆς πολιτείας τοῖς δημοσίοις προσελθεῖν πράγμασιν· » οὕτως ἐμοὶ δοκεῖ μετὰ πλείστης ἐπιμελείας καὶ δεινότητος οὗτος ὁ ἀνὴρ (sc. Χρύσιππος) ἀνατρέπειν καὶ καταβάλλειν τὴν συνήθειαν, ὡς ἔνι γοῦν. Huc vero referendus etiam est insignis ille locus CICERONIS Academ. Lib. II. cap. 24. « Quam multa ille (sc. Chrysippus) contra sensus, quam multa contra omnia, quæ in consuetudine probantur, dissolvit? idem mihi quidem non videtur : sed dissolverit sane. Certe tam multa non collegisset quæ nos fallerent probabilitate magnâ, nisi videret his resisti non facile posse. » Conf. cap. 27. « Sed ut ad ea quæ clariora sunt, veniam : res jam universas profundam ; de quibus volumina impleta sunt non a Nostris solum, sed etiam a Chrysippo, de quo queri solent Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus et perspicuitatem, contraque omnem consuetudinem, contraque rationem, ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse : itaque ab eo armatum esse Carneadem. » Conf. supra Part. I. §. III. not. 18.

METRODORI Epicurei (19) liber Περὶ Συνηθείας, contra quem

---

(18) WYTTENBACHIUS V. C., ut commodior sensus exsistat, conjicit, μηδένα πρὸ ἐκείνου.

(19) Epicureum esse intelligendum hunc Metrodorum, licet a DIOGENE

Chrysippus de hoc argumento scripsisse perhibetur in Indice Laërtii, laudatur ab ATHENÆO Lib IX. pag. 391. D. Tom. III. pag. 445. Schweigh. et a SCHOLIASTA ad Nicandri Theriaca v. 613. pag. 94. Schneideri. Cf. etiam MENAGIUS ad Diogenem Laërt. Lib. VII. segm. 198. pag. 343.

§. LXXI.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΔΙΑΛΕΛΗΘΟΤΟΣ ΠΡΟΣ ΑΘΗΝΑΔΗΝ.

In Logicis Chrysippi operibus a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 198. recensetur etiam liber singularis Περὶ τοῦ Διαλεληθότος, ut subaudiendum sit λόγου, cujus verbi omissio, ut vidimus supra e titulis Περὶ τοῦ Ψευδομένου et aliis, hac in re solemnis fuisse videtur. Et alio loco Lib. VII. segm. 82. in captiosis argumentationibus diserte etiam ponit τοὺς Ἐγκεκαλυμμένους Λόγους καὶ Διαλεληθότας. Quocirca non dubitavit MENAGIUS, Obss. ad Lib. II. segm. 108. pag. 123. b. nostram hanc inscriptionem de fallaci ejusmodi argumentatione intelligere, quæ eadem sit atque ὁ Διαλανθάνων Euclidis Megarici, Lib. VII. segm. 108. et hac fere formulâ contineatur: *Nosti patrem tuum? Novi. Nosti hominem illum qui latet? Non novi. Ergo patrem tuum non nosti: nam ille pater tuus est.* Cf. §. LXIX. Sed eamdem inscriptionem accipi etiam posse de Stoicorum Sapiente qui, recens Sapientiam

---

LAERTIO Lib. X. segm. 24. ejusque interprete MENAGIO pag. 456. et FABRICIO Bibl. Gr. T. II. pag. 812. sq. Harl. in Indice librorum ab hoc Metrodoro conscriptorum omissus sit hic liber De Consuetudine, recte nobis statuisse videtur Jo. SCHWEIGHÆUSERUS V. Cl. in Indice Auctor. ab Athenæo laudatorum Tom. IX. pag. 150.

adeptus, non sentiat se esse jam Sapientem, duo loci ostendunt, alter Jo. Stobæi, alter Plutarchi. Et PLUTARCHUS quidem, De Stoicis Repugn. pag. 1042. F. sq. ita confutat Chrysippum : — ὅτι δὲ μάχεται (sc. ταῦτα) τοῖς περὶ τὸν διαλεληθότα σοφὸν, τίς οὐκ ἂν ὁμολογήσειεν; Αἰσθητοῦ γὰρ ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ μεγάλην πρὸς τὸ κακὸν διαφορὰν ἔχοντος, τὸν ἐκ φαύλου γινόμενου σπουδαῖον ἀγνοεῖν τοῦτο, καὶ τῆς ἀρετῆς μὴ αἰσθάνεσθαι παρούσης, ἀλλ' οἴεσθαι τὴν κακίαν αὐτῷ παρεῖναι, πῶς οὐκ ἔστιν ἀτοπώτατον.; Cf. De Communib. Notitiis pag. 1062. B. C. E. 1067. B. et De Sentiendo Profectu in Virtute pag. 75. D. ubi in eâdem re simpliciter dicit ἀπορίας περὶ τοῦ διαλεληθότος : ad quem locum WYTTENBACHIUS Animadverss. T. II. pag. 556. hæc profert: « Chrysippi liber περὶ τοῦ διαλεληθότος, memoratus Laërtio VII. 198. vix de alio, quam hoc argumento esse potuit. Philo Judæus ex doctrinâ Stoicorum in Libro De Agricult. pag. 211. A: — παρὰ τοῖς φιλοσόφοις διαλεληθότες εἶναι λέγονται σοφοί· τοὺς γὰρ ἄχρι σοφίας ἄκρας ἐληλακότας, καὶ τῶν ὅρων αὐτῆς ἄρτι πρῶτον ἀψαμένους, ἀμήχανον εἰδέναι φασὶ τὴν ἑαυτῶν τελείωσιν. » STOBÆI locus, quem e præstantissimâ Wyttenbachii emendatione (Ad Plutarchi Mor. l. l. pag. 555.) huc transcribamus, legitur Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 234. sq. Heeren.: Γίγνεσθαι δὲ καὶ διαλεληθότα τινὰ σοφὸν νομίζουσι (sc. οἱ Στωϊκοί), κατὰ τοὺς πρώτους χρόνους, οὔτε ὀρεγόμενόν τινος, οὔτε βουλόμενον ἔν τι τῶν ἐν τῷ βούλεσθαι ἰδικῶν ὄντων, διὰ τὸ μὴ κρίνειν αὐτῷ παρεῖναι ὧν χρή. Quo loco etiam HEERENIUS existimat Chrysippi librum a Laërtio laudatum in hac materiâ esse versatum, eumque in his scribendis ante oculos habuisse Stobæum. Licet autem summa apud nos esse debeat tantorum virorum auctoritas, negandum tamen videtur certi quidquam hac in re statui posse, quandoquidem et ipse Laërtius prodit sophismatis quoque formam fuisse τὸν διαλεληθότα, Lib. VII. segm. 82. neque repugnat Chrysippum in libro Περὶ τοῦ Διαλεληθότος ad Athenadem scripto de hoc egisse sophismate et in alio forsitan, qui omissus

sit in Laërtiano Indice, exposuisse locum a Plutarcho et Stobæo tractatum.

§. LXXII.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗΣ.

Meminit *Tertii* hujus operis *Libri* PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1045. F. et 1046. A. Refert autem Chrysippum cum in illo libro præmisisset, magnam industriam posuisse in Dialecticâ Platonem, Aristotelem, eorumque successores ad Polemonem usque et Stratonem, præ ceteris autem Socratem, et acclamasset, optaturum quemque cum talibus tantisque viris se etiam errare, subjecisse hæc verba: «Εἰ μὲν γὰρ ἐκ παρέργου » περὶ αὐτῶν εἰρήκεσαν, τάχ᾽ ἄν τις διέσυρε τὸν τόπον τοῦτον· οὕτω δ᾽ αὐτῶν » ἐπιμελῶς εἰρηκότων ὡς ἐν ταῖς μεγίςαις δυνάμεσι καὶ ἀναγκαιοτάταις αὐτῆς » οὔσης, οὐ πιθανὸν ἐπὶ τοσοῦτον διαμαρτάνειν αὐτοὺς ἐν τοῖς ὅλοις ὄντας οἵους » ὑπονοοῦμεν.» Chrysippeæ Dialecticæ mentio item occurrit apud EUMDEM De Communib. Notitiis pag. 1059. E. — ἡ δὲ Χρυσίππου Διαλεκτικὴ τὰ κυριώτατα μέρη καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῆς ἀναιροῦσα καὶ περικόπτουσα, τίνα τῶν ἄλλων ἐννοιῶν ἀπολέλοιπεν ἀνύποπτον; Conf. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 62. et quæ de Chrysippi Dialecticâ ex aliis auctoribus nos plura attulimus supra Part. II. Cap. II. §. XVIII. not. 23.

CAPUT TERTIUM.

OPERA PHYSICA.

§. LXXIII.

ΠΕΡΙ ΟΥΣΙΑΣ.

Memorat *Librum Tertium* hujus operis Plutarchus De Stoicis Repugn. p. 1051. C. ubi ait Chrysippum cum sæpe nihil esse in Mundo scripsisset, quod reprehendi vel culpari possit, quippe quum omnia ex optimâ naturâ efficiantur, alicubi contra improbandas quasdam incurias non vulgaribus neque levibus in rebus reliquisse; tum: Ἐν γοῦν τῷ τρίτῳ Περὶ Οὐσίας, μνησθεὶς, ὅτι συμβαίνει τινὰ τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς τοιαῦτα, « Πότερον, » φησὶν, « ἀμελουμένων τινῶν, καθάπερ ἐν οἰκίαις μείζοσι παραπίπτει τινὰ πίτυρα, καὶ ποσοὶ πυροί τινες, τῶν ὅλων εὖ οἰκονομουμένων· ἢ διὰ τὸ καθίςασθαι ἐπὶ τῶν τοιούτων δαιμόνια φαῦλα, ἐν οἷς τῷ ὄντι γίνονται καὶ ἐγκλητέαι ἀμέλειαι; » φησὶ δὲ « πολὺ καὶ τὸ τῆς ἀνάγκης μεμίχθαι. » Quam ob comparationem cum *furfuribus obiter cadentibus*, maxime eum levitatis arguit Plutarchus, ipse existimans, si multum necessitatis esset rebus admixtum, fieri non posse ut omnia Deus habeat in suâ potestate eaque ad suam Rationem gubernet. Vid. quæ etiam Περὶ Οὐσίας nobis erunt dicenda ad Τὰ Φυσικά, §. LXXVI.

§. LXXIV.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΥΣΙΑΣ ΤΩΝ ΣΤΟΙΧΕΙΩΝ.

Ita HEERENIUS ex conjecturâ rescripsit apud Jo. STOBÆUM Eclogg. Lib. I. cap. 9. pag. 312. cum male exhibuisset editio Canteri: ἀταξίας περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς οὐσίας ϛοιχείων: quæ conjectura si vera est, vix dubitamus quin aliud hoc fuerit atque diversum opus ab illo quod nude ac simpliciter Περὶ Οὐσίας appellat PLUTARCHUS.

Locus autem Stobæi, quem ex Heerenii emendatione apponimus, ita habet: Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ τῆς Οὐσίας τῶν Στοιχείων τοιαῦτά τινα ἀποφαίνεται, τῷ τῆς αἱρέσεως ἡγεμόνι Ζήνωνι κατακολουθῶν, « τέτταρα λέγων εἶναι ϛοιχεῖα..... (20) καὶ φυτὰ καὶ τὸν ὅλον κόσμον, » καὶ τὰ ἐν αὐτῷ περιεχόμενα, καὶ εἰς ταῦτα διαλύεσθαι. Τὸ δὲ [πῦρ (21)] » κατ' ἐξοχὴν ϛοιχεῖον λέγεσθαι, διὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ πρώτου τὰ λοιπὰ συνίϛασθαι » κατὰ μεταβολὴν, καὶ εἰς αὐτὸ ἔσχατον πάντα χεόμενα διαλύεσθαι. Τοῦτο » δὲ μὴ ἐπιδέχεσθαι τὴν εἰς ἄλλα χύσιν καὶ ἀνάλυσιν. Συνίϛασθαι δὲ ἐξ αὐτοῦ » τὰ λοιπὰ, καὶ χεόμενα εἰς τοῦτο ἔσχατον τελευτᾷν, παρ' ὃ καὶ ϛοιχεῖον λέ- » γεσθαι, ὃ πρῶτον ἔϛηκεν οὕτως, ὥστε σύϛασιν διδόναι ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ » τῶν λοιπῶν χύσιν καὶ διάλυσιν δέχεσθαι εἰς αὐτό. Κατὰ μὲν τὸν λόγον τοῦτον » αὐτοτελῶς λεγομένου τοῦ πυρὸς ϛοιχείου, οὐ μετ' ἄλλου γάρ· κατὰ δὲ τὸν » πρότερον καὶ μετ' ἄλλων συϛατικὸν εἶναι, πρώτης μὲν γιγνομένης τῆς ἐκ » πυρὸς κατὰ σύϛασιν εἰς ἀέρα μεταβολῆς, δευτέρας δ' ἀπὸ τούτου εἰς ὕδωρ,

---

(20) Lacunam hanc esse vidit eamque ita explere conatus est HEERENIUS l. l. καὶ ἐκ τούτων συνίϛασθαι.

(21) Addendum hoc esse e contextu suspicatur IDEM l. l.

» τρίτης δ' ἔτι μᾶλλον κατὰ τὸ ἀνάλογον συνιςαμένου τοῦ ὕδατος εἰς γῆν. Πάλιν δὲ ἀπὸ ταύτης διαλυομένης καὶ διαχεομένης πρώτη μὲν γίγνεται χύσις » εἰς ὕδωρ, δεύτερον δὲ ἐξ ὕδατος εἰς ἀέρα, τρίτη δὲ καὶ ἐσχάτη εἰς πῦρ. » Λέγεσθαι δὲ πῦρ τὸ πυρῶδες πᾶν, καὶ ἀέρα τὸ ἀερῶδες, καὶ ὁμοίως τὰ λοιπά.» Subjicit his Stobæus, elementum tribus modis dici a Chrysippo, ex ejusque sententiâ has quoque definitiones illi esse tribuendas, ut sit «τό, τε δἰ αὐτοῦ εὐκινητότατον, καὶ ἡ ἀρχὴ, καὶ λόγος, » καὶ ἀΐδιος δύναμις, φύσιν ἔχουσα τοιαύτην, ὥστε γῆν τε κινεῖν κάτω πρὸς » γῆν, τὴν τροφὴν, καὶ ἀπὸ τῆς τροφῆς ἄνω, πάντη κύκλῳ εἰς αὐτήν τε πάντα » καταναλίσκουσα, καὶ τὸ αὐτῆς πάλιν ἀποκαθιςᾶσα τεταγμένως καὶ ὁδῷ. » Quibuscum conferenda sunt quæ ab eodem Stobæo proferuntur Lib. I. pag. 414. Ζήνωνι καὶ Κλεάνθει καὶ Χρυσίππῳ ἀρέσκει τὴν οὐσίαν μεταβάλλειν, οἷον εἰς σπέρμα, εἰς τὸ πῦρ, καὶ πάλιν ἐκ τούτου τοιαύτην ἀποτελεῖσθαι τὴν διακόσμησιν, οἷα πρότερον ἦν. Aliquantum etiam his lucis affundent quæ promenda nobis erunt ad Τὰ Φυσικά. Vid. tamen omnino quæ de his uberrime disseruit JUST. LIPSIUS Physiologiæ Stoicor. Lib. II. diss. 11. sqq. (Opp. T. IV. pag. 581. sqq.).

Quod si autem putat HEERENIUS Comment. De Fontib. Eclogar. Jo. Stobæi pag. 185. locum Stobæi Lib. I. pag. 324. ubi de Materiâ agitur, ad ipsum hoc opus esse referendum, hoc vix probaverim, cum Laërtius doceat Chrysippum de eâdem re iisdem fere verbis agere ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Φυσικῶν.

§. LXXV.

ΑΙ ΦΥΣΙΚΑΙ ΤΕΧΝΑΙ.

In hoc libro de Unitate egisse Chrysippum putabat SAMUEL TENNULIUS in Notis ad Jamblichi Introduct. in Nicomachi Arithmetic. pag. 92. Jamblichi autem verba, unde hoc collegerat

Tennulius, hæc sunt: Συγκεχυμένως οἱ Χρυσίππειοι λέγουσι, μόνας ἐστὶ πλῆθος ἕν· μόνη γὰρ αὕτη ἀντιδιέςαλται τῷ πλήθει, pag. 12. Hanc autem a Jamblicho reprehensam opinionem Chrysippeam copiosâ disputatione refutat Sextus Empiricus Adv. Mathematt. Lib. IV. segm. 11. pag. 334. Fabric. — Sententiam Chrysippi ex hoc opere desumtam profert Plutarchus De Stoicis Repugn. pag. 1043. E. qui cum inconstantiam ei exprobasset quod aërem aliquando dicat *levem esse et sursum se efferre*, aliquando *neque gravem esse neque levem*, ad posterius hoc probandum ita pergit: ἐν ταῖς Φυσικαῖς Τέχναις, ἐπὶ τὴν ἑτέραν ῥέπει δόξαν, ὡς « μήτε βάρος ἐξ αὐτοῦ, » μήτε κουφότητα τοῦ ἀέρος ἔχοντος. » — De Stellarum Ortu et Occasu egisse in his libris Chrysippum, auctor est Jo. Stobæus Lib. I. Cap. XXV. pag. 520: « Ἀνατολὴν εἶναί φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν ταῖς Φυσικαῖς Τέχναις, « ὑπεροχὴν ἄςρου ὑπὲρ γῆς, δύσιν δὲ κρύψιν ἄςρου ὑπὸ γῆν· » γίγνεσθαι δὲ ἅμα τῶν αὐτῶν ἀνατολὴν καὶ δύσιν πρὸς ἄλλους τε ἄλλως· ἐπι- » τολὴν δ' ἄςρου ἅμα ἡλίῳ ἀνατολὴν, δύσιν δὲ τὴν ἅμα ἡλίῳ δύσιν· διχῶς γὰρ » λέγεσθαι δύσιν, τὴν μὲν κατὰ τὴν ἀνατολὴν, τὴν δὲ κατὰ τὴν ἐπιτολήν· Κυνὸς » δ' ἐπιτολὴν ἅμα ἡλίῳ κυνὸς ἀνατολὴν, δύσιν δὲ ἅμα ἡλίῳ κυνὸς ἀπόκρυψιν » εἰς γῆν· τὸν δὲ ὅμοιον λόγον εἶναι καὶ ἐπὶ τῆς πλειάδος. » Quem locum bene illustravit Heerenius.

Plures fuisse hujus Operis libros inde efficitur quod Diogenes Laertius in Zenone Lib. VII. segm. 140. Chrysippum disseruisse dicit de Inani ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Φυσικῶν Τεχνῶν, et in libro De Inani: sed hanc materiam seorsim tractabimus ad fragmentum Περὶ Κενοῦ, §. LXXXII.

Huc vero etiam, Heerenio judice, trahenda esse duximus quæ de Tempore e Chrysippi sententiâ uberius exponit Jo. Stobæus Eclogg. Lib. I. Cap. IX. pag. 260. Ὁ δὲ Χρύσιππος (sc. λέγει) « εἶναι χρόνον κινήσεως διάςημα, καθ' ὅ ποτε λέγεται μέτρον τάχους τε » καὶ βραδύτητος· ἢ τὸ παρακολουθοῦν διάςημα τῇ τοῦ κόσμου κινήσει, καὶ

» κατὰ μὲν τὸν χρόνον κινεῖσθαί τε ἕκαςα καὶ εἶναι, εἰ μὴ ἄρα διττὸς λέ-
» γεται ὁ χρόνος, καθάπερ ἥτε γῆ, καὶ ἡ θάλασσα, καὶ τὸ κενὸν, τά τε ὅλα
» καὶ τὰ μέρη αὐτῶν. Ὥσπερ δὲ τὸ κενὸν πᾶν ἄπειρόν ἐστι πάντη, καὶ τὸν
» χρόνον ἄπειρον εἶναι ἐφ' ἑκάτερα· καὶ γὰρ τὸν παρεληλυθότα, καὶ τὸν μέλ-
» λοντα ἄπείρον εἶναι.» Ἐκφανέςατα δὲ τοῦτο λέγει, ὅτι « οὔθ' εἷς ὅλος ἐνίςαται
» χρόνος. Ἐπεὶ γὰρ εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τῶν συνεχόντων ἐστὶ, κατὰ τὴν διαί-
» ρεσιν ταύτην καὶ πᾶς χρόνος εἰς ἄπειρον ἔχει τὴν τομήν· ὥςε μήθ' ἕνα κατ
» ἀπαρτισμὸν ἐνεςᾶναι χρόνον, ἀλλὰ κατὰ πλάτος λέγεσθαι. Μόνον δὲ ὑπάρχειν
» φησὶ τὸν ἐνεςῶτα, τὸν δὲ παρωχημένον καὶ τὸν μέλλοντα ἐφεςᾶναι μὲν,
» ὑπάρχειν δὲ οὐδαμῶς, εἰ μὴ (22) ὡς καὶ κατηγορήματα ὑπάρχειν λέγεται
» μόνα τὰ συμβεβηκότα, οἷον τὸ περιπατεῖν ὑπάρχει μοι ὅτε περιπατῶ, ὅτε
» δὲ κατακέκλιμαι ἢ κάθημαι οὐχ ὑπάρχει. Ἔαρ δὲ ἔτους ὥραν κεκραμένην ἐκ
» χειμῶνος ἀπολήγοντος καὶ θέρους ἀρχομένου· ἢ τὴν μετὰ χειμῶνα ὥραν πρὸ
» θέρους. Θέρος δὲ, ὥραν τὴν μάλις' ἀφ' ἡλίου διακεκαυμένην. Μετόπωρον δὲ,
» ὥραν ἔτους τὴν μετὰ θέρος μὲν, πρὸ χειμῶνος δὲ, κεκραμένην. Χειμῶνα δὲ
» ὥραν ἔτους τὴν μάλιςα κατεψυγμένην, ἢ τὴν τῷ περὶ γῆν ἀέρι κατεψυγ-
» μένην. Γίνεσθαι δὲ ἰσημερίας δύο καθ' ἕκαςον ἐνιαυτὸν, καὶ τρόπας δύο.
» Ἰσημερίας μὲν, ὅταν ἡ νὺξ καὶ ἡ ἡμέρα ἴσαι ὦσι. Τούτων δὲ τὴν μὲν ἔαρι
» γίγνεσθαι, τὴν δὲ μετοπώρῳ· τῶν δὲ τροπῶν τὰς μὲν θέρους, τὰς δὲ
« χειμῶνος. »

§. LXXVI.

ΤΑ ΦΥΣΙΚΑ.

Primo hujus Operis *Libro* de Philosophiæ etiam partitione egisse Chrysippum, auctor est DIOGENES LAERTIUS Lib. VII.

---

(22) Vid. HEERENIUS pag. 261.

segm. 39. quem locum hic apponere supersedemus, quandoquidem eâ de re adcuratius disputavimus supra, Part. II. Cap. I. §§. XV. XVI et XVII.

Idem Lib. VII. segm. 134. docet Chrysippum hoc decretum posuisse in *Primo* Physicorum sub finem : ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον· τὸ μὲν οὖν πάσχον, εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν τὴν ὕλην· τὸ δὲ ποιοῦν, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν· τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα. : eâque in re cum Zenone et Cleanthe eum consensisse. Fuit autem hæc omnium fere Stoicorum sententia, ut docuimus supra Part. II. Cap. III. §. XXXI. præsertim not. 91 et 92. — Idem vero Laertius Lib. VII. segm. 136. perhibet hoc modo Chrysippum etiam cum Zenone et Archedemo consentientem disseruisse in *Primo* Physicorum : principio Deum, cum esset apud se, substantiam omnem per aërem in aquam convertisse; et quemadmodum in fœtu semen contineatur, ita etiam hunc, cum seminalis ratio mundi sit, eamdem in humore reliquisse, quo materiam ad universam deinceps generationem bonâ operatione vegetet : tum genuisse primum elementa quatuor, ignem, aquam, aërem, terram.—Et segm. 142. asserit Chrysippum in *Primo* Physicorum de Generatione et Corruptione Mundi disputare; quod sic paullo superius exposuerat: mundum fieri, cum ex igne substantia per aërem versa in humorem fuerit, deinde crassior ipsius pars consistens effecta fuerit terra, porro subtilior in aërem cesserit, eademque magis ac magis extenuata in ignem evaserit. Tum ex his permixtis exortas esse plantas, et animantes, et alia genera. — Item segm. 150. memorat Chrysippum in *Primo* Physicorum dicere: οὐσίαν τῶν ὄντων ἁπάντων εἶναι τὴν πρώτην ὕλην, rerum omnium substantiam, primam materiam esse. Prima igitur illa materia

Stoicis erat æterna eamque nec crescere volebant nec decrescere. Quod placitum impugnatur a Patribus Ecclesiæ, veluti *Dionysio* et *Origene*, apud Eusebium Præp. Evang. Lib. VII. Cap. 19 et 20. pag. 33. D. sqq. a Lactantio Divin. Instit. Lib. II. Cap. 9. T. I. pag. 145. sqq. ed. Dufresnoy. De eodem argumento hæc quoque nobis servavit Jo. Stobæus. Lib. I. pag. 324. Heeren: Χρύσιππος « τῶν κατὰ ποιότητα ὑφισαμένων » πρώτην ὕλην· ταύτην δὲ ἀΐδιον, οὔτε αὔξησιν οὔτε μείωσιν ὑπομένουσαν, » διαίρεσιν δὲ καὶ σύγχυσιν ἐπιδεχομένην κατὰ μέρη, ὥστε φθορὰς γίγνεσθαι » ἐκ τῶν μερῶν εἴς τινα, οὐ κατὰ διαίρεσιν, ἀλλὰ κατ' ἀναλογίαν, τῇ » συγχύσει τινῶν γιγνομένων ἔκ τινος. » Οἱ δὲ ὕδωρ λέγοντες, ἢ πῦρ ἢ ἀέρα, ἢ καὶ γῆν τὴν ὕλην, οὐκ ἔτι ἄμορφον αὐτὴν λέγουσιν, ἀλλὰ σῶμα· οἱ δὲ τ' ἀμερῆ καὶ τὰς ἀτόμους, ἄμορφον. Hæc autem sic intelligamus, ut materia, quippe quæ æterna sit, nec crescat nec decrescat, quamquam diffusior rariorve possit fieri. Tum enim ipsa non crescit, et extensio in modo est, non in essentiâ augmentum. De mixtione plura nobis erunt dicenda, cum de tertio hujus operis libro agemus.

Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 150. ultima verba a nobis paullo superius laudata excipiens, addit: σῶμα δέ ἐστι κατ' αὐτοὺς (τοὺς Στωϊκούς), ἡ οὐσία καὶ πεπερασμένη · · · · καὶ παθητὴ δέ ἐστιν. . . . . . Εἰ γὰρ ἦν ἄτρεπτος, οὐκ ἂν τὰ γινόμενα ἐξ αὐτῆς ἐγίνετο. Ἔνθεν κἀκεῖνο ὅτι τομὴ εἰς ἄπειρόν ἐστιν. Οὐκ ἄπειρον δέ φησιν αὐτὴν ὁ Χρύσιππος· οὐ γάρ ἐστι τὶ ἄπειρον εἰς ὃ γίνεται ἡ τομή, ἀλλὰ ἀκατάληκτός ἐστι. Lego παθητὴ pro vulgari ἀπαθητή cum Menagio ad h. l. et J. Lipsio Physiolog. Stoicor. Lib. II. diss. 2. (Opp. T. IV. pag. 568. sq.). Οὐσίαν igitur πεπερασμένην dicebant Stoici, Platonici contra infinitam esse materiam affirmabant. Quam diversam sententiam sic explicat Lipsius, apposito Apulei loco De Dogmat. Plat., ut utrique recte dixerint; Stoici, quia essentia, quam materiam dicunt, finiri potest et finitur; Platonici, quia in se considerata

(v. c. ante mundum conditum) fines certos non habet. Finita est igitur, utpote *mundo clausa*. Quod autem Laertius l. l. dixit sectionem illius esse in infinitum, de eâdem re e Stoicorum sententiâ idem perhibet Cicero Acad. Lib. I. cap. 7. « Sed subjectam putant omnibus sine ullâ specie atque carentem omni illâ qualitate.... materiam quamdam, ex qua omnia expressa et effecta sint...., eoque etiam interire non in nihilum, sed in suas partes, quæ infinite secari ac dividi possint; cum sit nihil omnino in rerum naturâ minimum quod dividi non queat.» Ubi vid. Jo. Davisius; add. Sextus Empiricus Adv. Mathematt. Lib. X. segm. 142. pag. 657. Fabr. Eadem vero rursus de Chrysippo dicta exstant apud Jo. Stobæum Lib. I. pag. 344. Heer. cujus verba hæc sunt: Χρύσιππος ἔφασκε « τὰ σώ- » ματα εἰς ἄπειρον τέμνεσθαι, καὶ τὰ τοῖς σώμασι προσεοικότα, οἷον ἐπιφάνειαν, » γραμμὴν, τόπον, κενὸν, χρόνον· εἰς ἄπειρόν τε τούτων τεμνομένων, οὔτε » σῶμα ἐξ ἀπείρων σωμάτων συνέστηκεν, οὔτ' ἐπιφάνεια, οὔτε γραμμὴ, οὔτε » τόπος. » Ad quem locum hæc annotat Heerenius pag. 345: « Obscurum est, quomodo Chrysippus simul dicere potuerit, corpora in infinitum dividi posse, neque constare ex infinitis. Latent hîc Stoicæ argutiæ, quæ, deficientibus ipsis Stoicorum scriptis, explicari nequeunt. Distinguendum forte ita putavit Chrysippus, ut ad eorum objectiones responderet, qui fieri posse negarent, ut corpus, quod tamen per se sit finitum, ex infinitis partibus constaret, unde apud Diogenem Laertium l. l. (Lib. VII. segm. 150.) contendisse dicuntur Stoici non esse infinitum quod sectionem vel divisionem pateretur: οὐ γάρ ἐστι τὶ ἄπειρον εἰς ὃ γίνεται ἡ τομή. »

Sed his relictis videamus quæ ex *Secundo Libro* Physicorum Chrysippi nobis suppeditet Laertius. Discimus e Lib. VII.

segm. 55. contendisse Chrysippum, σῶμα εἶναι τὴν φωνὴν, *corpus esse vocem*. De quo ejus placito vid. quæ supra dedimus Part. II. Cap. III. §. XXXI. not. 98. — Lib. VII. segm. 157: — ὁρᾷν δὲ, τοῦ μεταξὺ τῆς ὁράσεως καὶ τοῦ ὑποκειμένου φωτὸς, ἐντεινομένου κωνοειδῶς· καθά φησι Χρύσιππος ἐν δευτέρῳ τῶν Φυσικῶν. Eadem fere reperias apud Plutarchum De Placit. Philosoph. Lib. IV. cap. 15. pag. 901. D. E. unde sua videtur hausisse Laërtius. Cum enim videri posse tenebras secundum Stoicos dixisset, addit: Χρύσιππος, κατὰ τὴν συνέντασιν τοῦ μεταξὺ ἀέρος ὁρᾷν ἡμᾶς, νυγέντος μὲν ὑπὸ τοῦ ὁρατικοῦ πνεύματος, ὅπερ ἀπὸ τοῦ ἡγεμονκοῦ μέχρι τῆς κόρης διήκει, κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν παρακείμενον ἀέρα ἐπιβολὴν ἐκτείνοντος αὐτὸν κωνοειδῶς, ὅταν ᾖ ὁμογενὴς ὁ ἀήρ· προχέονται δὲ ἐκ τῆς ὄψεως ἀκτῖνες πύριναι, οὐχὶ μέλαναι καὶ ὁμιχλώδεις· διόπερ ὁρατὸν εἶναι τὸ σκότος. Cum his autem conjungenda sunt quæ posuit Plutarchus l. l. Cap. 13. pag. 901 B. — Laertius Libro eodem, segm. 159. de semine loquens: — εἶναι δὲ αὐτὸ (τὸ σπέρμα) Χρύσιππός φησιν ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Φυσικῶν, πνεῦμα κατὰ τὴν οὐσίαν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν εἰς τὴν γῆν καταβαλλομένων σπερμάτων, ἃ παλαιωθέντα οὐκ ἔτι φύεται, ὡς δῆλον διαπεπνευκυίας αὐτοῖς τῆς δυνάμεως. Ubi consulendus est Menagius pag. 327. qui recte docuit non de humano semine hæc esse accipienda, ideoque errasse Just. Lipsium, Physiologiæ Stoicor. Lib. III. diss. 7. (Opp. T. IV. pag. 609.), cum suspicaretur τοὺς δεφομένους h. l. significari a Laërtio. Conf. Part. II. Cap. III. §. XLIII. not. 174.

In *Tertio* Physicorum *Libro* hæc asseruisse Chrysippum auctor est idem Laertius Lib. VII. segm. 151: τὰς κράσεις δι' ὅλου γίνεσθαι, καὶ μὴ κατὰ περιγραφὴν καὶ παράθεσιν· hæc adjiciens: καὶ γὰρ εἰς πέλαγος ὀλίγος οἶνος βληθεὶς, ἐπὶ ποσὸν ἀντιπαρεκταθήσεται, εἶτα συμφθαρήσεται. Qua datâ opportunitate huc transcribamus locum insignem Jo. Stobæi, cujus summam exhibuimus supra, Part. II. Cap. III. §. XXXIV. Sic enim ille scribit in Eclogg. Lib. I.

pag. 374.: Χρύσιππος δὲ τοιοῦτό τι διεβεβαιοῦτο· « εἶναι τὸ ὂν πνεῦμα κινοῦν » ἑαυτὸ πρὸς ἑαυτὸ καὶ ἐξ αὐτοῦ, ἢ πνεῦμα ἑαυτὸ κινοῦν πρόσω καὶ ὀπίσω· πνεῦ- » μα δὲ εἴληπται διὰ τὸ λέγεσθαι αὐτὸ ἀέρα εἶναι κινούμενον· ἀνάλογον δὲ γίγ- » νεσθαι ἔπειτα αἰθέρος, ὥςε καὶ εἰς κοινὸν λόγον πεσεῖν αὐτά.» Ἡ τοιαύτη δὲ κίνησις κατὰ μόνους γίγνεται τοὺς νομίζοντας τὴν οὐσίαν πᾶσαν μεταβολὴν ἐπιδέχεσθαι, καὶ σύγχυσιν, καὶ σύςασιν, καὶ σύμμιξιν, καὶ σύμφυσιν, καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια. Διαφέρειν γὰρ ἀρέσκει τοῖς ἀπὸ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως, παράθεσιν, μίξιν, κρᾶσιν, σύγχυσιν· παράθεσιν μὲν γὰρ εἶναι σωμάτων συναφὴν κατὰ τὰς ἐπιφανείας, ὡς ἐπὶ τῶν σωρῶν ὁρῶμεν, ἐν οἷς πυροί τε καὶ κριθαὶ, καὶ φακοὶ, καὶ εἴ τινα τούτοις ἄλλα παραπλήσια περιέχεται, καὶ τὴν ἐπὶ τῶν αἰγιαλῶν ψήφων καὶ ἄμμων· μίξιν δ' εἶναι δύο, ἢ καὶ πλειόνων σωμάτων, ἀντιπαρέκτασιν δι' ὅλων, ὑπομενουσῶν τῶν συμφυῶν περὶ αὐτὰ ποιοτήτων, ὡς ἐπὶ τοῦ πυρὸς ἔχει καὶ τοῦ πεπυρακτωμένου σιδήρου, ἐπὶ τούτων γὰρ ὅλων γίγνεσθαι τῶν σωμάτων ἀντιπαρέκτασιν. Ὁμοίως δὲ κἀπὶ τῶν ἐν ἡμῖν ψυχῶν ἔχει· δι' ὅλων γὰρ τῶν σωμάτων ἡμῶν ἀντιπαρεκτείνουσιν, ἀρέσκει γὰρ αὐτοῖς σῶμα διὰ σώματος ἀντιπαρήκειν· Κρᾶσιν δὲ λέγουσι εἶναι δύο καὶ πλειόνων σωμάτων ὑγρῶν δι' ὅλων ἀντιπαρέκτασιν, τῶν περὶ αὐτὰ ποιοτήτων ὑπομενουσῶν. Τὴν μὲν οὖν μίξιν καὶ ἐπὶ ξηρῶν γίγνεσθαι σωμάτων, οἷον πυρὸς, καὶ σιδήρου, ψυχῆς τε καὶ τοῦ περιέχοντος ταύτην σώματος· τὴν δὲ κρᾶσιν ἐπὶ μόνων φασὶ γίγνεσθαι τῶν ὑγρῶν· συνεκφαίνεσθαι γὰρ ἐκ τῆς κράσεως τὴν ἑκάςου τῶν συγκρατένθων ὑγρῶν ποιότητα· οἷον οἴνου, μέλιτος, ὕδατος, ὄξους, τῶν παραπλησίων. Ὅτι δ' ἐπὶ τοιούτων κράσεων διαμένουσιν αἱ ποιότητες τῶν συγκραθέντων, πρόδηλον ἐκ τοῦ πολλάκις ἐξ ἐπιμηχανήσεως ἀποχωρίζεσθαι ταῦτα ἀπ' ἀλλήλων. Ἐὰν οὖν σπόγγον ἐλαιούμενον καθεῖ τις εἰς οἶνον ὕδατι κεκραμένον, ἀποχωρίσει τὸ ὕδωρ τοῦ οἴνου, ἀναδραμόντος τοῦ ὕδατος εἰς τὸν σπόγγον. Τὴν δὲ σύγχυσιν, δύο καὶ πλειόνων ποιοτήτων περὶ τὰ σώματα μεταβολὴν εἰς ἑτέραν διαφερούσης τούτων ποιότητος γένεσιν, ὡς ἐπὶ τῆς συνθέσεως ἔχει τῶν μύρων καὶ τῶν ἰατρικῶν φαρμάκων. Integrum hunc locum, etiamsi longiorem, descripsimus. Quamvis enim Stobæus hæc ut placitum Stoicorum generale profert, nos tamen vix dubitandum esse censemus, quominus ea e Chrysippo cum maxime

desumserit, quippe qui de toto hoc Mixtionis loco tam acute simul et copiose disputasset ut, teste Alexandro Aphrodisiensi Περὶ μίξεως pag. 141. ab ipsis Stoicis in eo princeps haberetur. Οὔσης δὲ καὶ ἐν τοῖς ἀπὸ ϛοᾶς πολυφωνίας (ἄλλοι γὰρ ἄλλως περὶ κράσεως λέγουσιν), ἡ μάλιϛα δοκοῦσα δόξα εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτοῖς, ἔϛιν ἡ ὑπὸ Χρυσίππου λεγομένη. Ceterum ad Stobæi verba omnino conferendæ sunt *Heerenii* notæ.

Duodecimum denique Physicorum *Librum* commemorat idem Laertius Lib. VII. segm. 54. dicens Chrysippum in eo posuisse, κριτήριον τῆς ἀληθείας τυγχάνειν τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, τουτέϛι, τὴν ἀπὸ ὑπάρχοντος. Chrysippea potissimum ob oculos versata esse videntur Sexto Empirico cum hæc scriberet Pyrrhon. Hypotypos. I. 34. οἱ δὲ περὶ Φίλωνά φασιν, ὅσον μὲν ἐπὶ τῷ Στωϊκῷ κριτηρίῳ, τουτέϛι τῇ καταληπτικῇ φαντασίᾳ, ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πράγματα. Sed de veritatis Criteriis plura erunt inferius proferenda ad Περὶ Λόγου.

§. LXXVII.

ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ.

Hoc opus sæpius memoratur Plutarcho, cujus locos ad librorum ordinem recenseamus.

Plutarchus De Stoicis Repugn. pag. 1049. A. Πρῶτον γὰρ ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Φύσεως τὸ ἀΐδιον τῆς κινήσεως κυκεῶνι παρείκασας, ἄλλα ἄλλως ϛρέφοντι καὶ ταράσσοντι τῶν γινομένων, ταῦτ' εἴρηκεν· « Οὕτω δὲ τῆς » τῶν ὅλων οἰκονομίας προαγούσης, ἀναγκαῖον κατὰ ταύτην, ὡς ἄν ποτ' ἔχω- » μεν, ἔχειν ἡμᾶς, εἴτε παρὰ φύσιν τὴν ἰδίαν νοσοῦντες, εἴτε πεπηρωμένοι, » εἴτε γραμματικοὶ γεγονότες, ἢ μουσικοί. » Καὶ πάλιν μετ' ὀλίγον· « Κατὰ » τοῦτον δὲ τὸν λόγον τὰ παραπλήσια ἐροῦμεν καὶ περὶ τῆς ἀρετῆς ἡμῶν καὶ

» κακίας, καὶ τὸ ὅλον τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν ἀτεχνιῶν, ὡς ἔφην.» Καὶ μετ' ὀλίγον ἅπασαν ἀναιρῶν ἀμφιβολίαν· « Οὐθὲν γάρ ἐςιν ἄλλως τῶν κατὰ μέρος » γενέσθαι, οὐδὲ τοὐλάχιςον, ἢ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν (23) καὶ κατὰ τὸν » ἐκείνης λόγον.» Ὅτι δ' ἡ κοινὴ φύσις καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος, Εἱμαρμένη καὶ Πρόνοια καὶ Ζεύς ἐςιν (24), οὐδὲ τοὺς ἀντίποδας λέληθε· πανταχοῦ γὰρ ταῦτα θρυλλεῖται ὑπ' αὐτῶν· καί,

Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή,

τὸν Ὅμηρον εἰρηκέναι, φησὶν, ὀρθῶς ἐπὶ τὴν εἱμαρμένην ἀναφέροντα, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν, καθ' ἣν πάντα διοικεῖται (25). Deinceps probare conatur Plutarchus ex his sequi, ut turpia etiam Diis assignanda sint.

Videamus nunc fragmentum *Secundi Libri* Περὶ Φύσεως. PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1050. F. cum dixisset indignum esse, quod Chrysippus voluerit, et fieri et puniri peccata secundum Jovis rationem, addit: ἐπιτείνει δὲ τὴν ὑπεναντίωσιν ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ Φύσεως, γράφων τάδε· « Ἡ δὲ κακία πρὸς τὰ

(23) Vid. supra Part. II. Cap. IV. §. XLVI. coll. JUST. LIPSIO Manuduct. ad Stoic. Philosoph. Lib. II. diss. 17. (Opp. T. IV. pag. 477. sqq.) et Physiolog. Stoicor. Lib. I. diss. 5. pag. 593. sq. Ceterum cum his non confundenda sunt, ut factum est a nonnullis Stoicæ doctrinæ interpretibus, quæ CICERO dixit, De Officiis Lib. I. cap. 30. init. « Sic enim faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus; eâ tamen conservatâ, propriam naturam sequamur. » Vid. CAR. BEIERUS ad h. l. pag. 237. Aliter judicandum erit de loco SENECÆ, Consol. ad Helv. Cap. VIII. pag. 77. B. Lipsii: « Duo quæ pulcherrima sunt, quocumque nos moverimus, sequentur: natura communis et propria virtus. »

(24) Vid. quæ de his proferemus ad Περὶ Εἱμαρμένης.

(25) Conf. PLUTARCHUS De Audiendis Poëtis pag. 23. D. ibique WYTTENBACHII annotatio T. I. pag. 239.

» δεινὰ συμπτώματα ἴδιόν τινα ἔχει λόγον· γίνεται μὲν γὰρ καὶ αὐτή πως » κατὰ τὸν τῆς φύσεως λόγον, καὶ, ἵν' οὕτως εἴπω, οὐκ ἀχρήστως γίνεται πρὸς » τὰ ὅλα· οὔτε γὰρ τἀγαθὰ ἦν. » Eadem, exiguâ differentiâ, protulit IDEM De Communibus Notitiis pag. 1065. A. B. Acerbius vero hac rursus datâ occasione in Chrysippi doctrinam invehitur, ex qua, ut putat, sequeretur malitiam culpâ vacare, quandoquidem Jovis consilio et exsistat et puniatur malitia. Equidem dixerim non tantum, quantum Plutarchus voluerit, absurditatis habere Chrysippi sententiam. Eo enim quod nihil sit inutile, non efficitur ut omnia sint necessaria; tum sequuntur necessario vitia ex naturâ animantium finitarum, neque quidquam eorum quæ Deo tribuuntur, peccandi licentiâ læditur aut afficitur. Illudens Chrysippo hæc addit PLUTARCHUS De Communibus Notit. pag. 1065. D. ex eodem, ut videtur, De Naturâ *Libro Secundo :* Ἢ βούλει τὸ ἥδιστον αὐτοῦ τῆς γλαφυρίας καὶ πιθανότητος ἱστορῆσαι; « Ὥσπερ γὰρ αἱ κωμῳδίαι, » φησὶν, « ἐπιγράμματα γελοῖα φέρουσιν, ἃ καθ' ἑαυτὰ μέν ἐστι φαῦλα, τῷ δὲ ὅλῳ ποιήματι χάριν τινὰ » προστίθησιν· οὕτως ψέξειας ἂν αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς τὴν κακίαν· τοῖς δὲ ἄλλοις » οὐκ ἄχρηστός ἐστι. » Quam Chrysippi sententiam tangere videtur MARC. ANTONINUS De Rebus Suis Lib. IV. §. 42 : ἀλλὰ σὺ μὴ τοιοῦτο μέρος γένῃ, οἷος ὁ εὐτελὴς καὶ γελοῖος στίχος ἐν τῷ δράματι, οὗ Χρύσιππος μέμνηται: ubi vid. quæ notavit THOM. GATAKERUS (Opp. Critt. pag. 196. sq.).

Tertii Libri fragmentum exstat apud eumdem PLUTARCHUM De Stoic. Repugn. pag. 1038 C. D. Dicit enim probasse Chrysippum, « μήτε κακίαν κακίας, ἢ ἁμαρτίαν ἁμαρτίας ὑπερέχουσαν εἶναι, » μήτε ἀρετὴν ἀρετῆς, ἢ κατόρθωσιν κατορθώσεως. » et sic adeo scripsisse in *Tertio* De Natura *Libro* : « Ὥσπερ τῷ Διῒ προσήκει σεμνύνεσθαι ἐπ' » αὐτῷ τε καὶ τῷ βίῳ καὶ μέγα φρονεῖν, καὶ, εἰ δεῖ οὕτως εἰπεῖν, ὑψαυχεῖν » καὶ κομᾷν, καὶ μεγαληγορεῖν, ἀξίως βιοῦντι μεγαληγορίας· οὕτω τοῖς ἀγα-

» θοῖς πᾶσι ταῦτα προσήκει, κατ' οὐθὲν προεχομένοις ὑπὸ τοῦ Δίος. » De Paradoxo illo quod Plutarchus Chrysippo tribuit, commodior erit agendi locus, cum de Bonis et Malis materiam tractabimus. Ad hæc autem ultima verba, *Viris bonis nihilo præcellentiorem esse Jovem,* adhibenda sunt quæ itidem Chrysippo tribuuntur a PLUTARCHO De Comm. Notit. pag. 1076. A. « ἀρετῇ » οὐχ ὑπερέχειν τὸν Δία τοῦ Δίωνος, ὠφελεῖσθαί τε ὁμοίως ὑπὸ ἀλλήλων τὸν » Δία καὶ τὸν Δίωνα, σόφους ὄντας, ὅταν ἕτερος θατέρου τυγχάνῃ κινομένου. » et ibid. pag. 1077. D. Λέγει γοῦν Χρύσιππος, « ἐοικέναι τῷ μὲν ἀνθρώπῳ » τὸν Δία καὶ τὸν κόσμον, τῇ δὲ ψυχῇ τὴν Πρόνοιαν· ὅταν οὖν ἐκπύρωσις γέ» νηται, μόνον ἄφθαρτον ὄντα τὸν Δία τῶν θεῶν, ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὴν Πρόνοιαν, » εἶτα ὁμοῦ γενομένους ἐπὶ μιᾶς τῆς τοῦ αἰθέρος οὐσίας διατελεῖν ἀμφοτέρους. » Quem locum tractavit WYTTENBACHIUS V. C. in Annot. ad Jan. Bakii Librum De Posidonio pag. 267. Priori loco, e Chrysippi aliorumque Stoicorum sententiâ, ita pergit Plutarchus, pag. 1076. A. B. Τοῦτο γάρ ἐϛιν ὃ καὶ παρὰ θεῶν ἀγαθὸν ἀνθρώποις ὑπάρχει, καὶ θεοῖς παρὰ ἀνθρώπων, σοφῶν γενομένων, ἄλλο δὲ οὐ. Ἀρετῇ δὲ μὴ ἀπολειπόμενον ἄνθρωπον, οὐδὲν ἀποδεῖν εὐδαιμονίας λέγουσιν, ἀλλ' ἐπίσης εἶναι μακάριον τῷ Διῒ τῷ Σωτῆρι τὸν ἀτυχῆ, διὰ νόσους καὶ πηρώσεις σώματος ἐξάγοντα τοῦ ζῆν ἑαυτὸν, εἴπερ εἴη σόφος. Similia sunt quæ habet ARRIANUS Epictet. Dissertat. Lib. I. cap. 12. pag. 77. Schweigh. : — ὡς κατά γε τὸν λόγον οὐδὲ χείρων τῶν θεῶν, οὐδὲ μικρότερος (sc. εἶ)· λόγου γὰρ μέγεθος οὐ μήκει, οὐδ' ὕψει κρίνεται, ἀλλὰ δόγμασιν. CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 61 : — « vita beata par et similis Deorum, nullâ re, nisi immortalitate, quæ nihil ad bene vivendum pertinet, cedens cœlestibus : » aliique, quos laudavit JUST. LIPSIUS Manuduct. ad Stoic. Philosoph. Lib. I. diss. 14. (Opp. T. IV. pag. 511. sqq.). Plura qui desideret ei consulenda est eruditissima Annotatio DAN. WYTTENBACHII ad Plutarchi Consolat. ad Apollon. pag. 111. A. Tom. I. pag. 737. sq.

Plutarchus De Stoicis Repugn. pag. 1048. B. item ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ Φύσεως Chrysippum ait asseruisse, « μακαρίζεσθαι ἐνίους » βασιλεύοντας καὶ πλουτοῦντας, ὅμοιον εἰ χρυσαῖς ἀμίσι χρώμενοι καὶ χρυσοῖς » κρασπέδοις ἐμακαρίζοντο· τῷ δ' ἀγαθῷ τὸ τὴν οὐσίαν ἀποβαλεῖν οἱονεὶ δραχ- » μὴν ἀποβαλεῖν, καὶ τὸ νοσῆσαι οἷον προσκόψαι. » In eodem opere sæpius hoc inculcasse Chrysippum, auctor est idem Plutarchus l. l. pag. 1043. E. Καίτοι πολλαχοῦ ἐν δὲ τοῖς Περὶ Φύσεως λέγει, « τὸν » σοφὸν, εἰ τὴν μεγίστην οὐσίαν ἀποβάλοι, δραχμὴν μίαν ἐκβεβληκέναι δόξειν. »

Plutarchus Op. mem. pag. 1042. A. B: Οὐσίαν κακοδαιμονίας ἀποφαίνει (sc. ὁ Χρύσιππος) τὴν κακίαν ἐν παντὶ βιβλίῳ φυσικῷ καὶ ἠθικῷ, γράφων καὶ διατεινόμενος ὅτι, « τὸ κατὰ κακίαν ζῆν, τῷ κακοδαιμόνως ζῆν » ταυτόν ἐστιν· » ἐν δὲ τῷ τρίτῳ Περὶ Φύσεως ὑπειπὼν ὅτι, « λυσιτελεῖ ζῆν » ἄφρονα μᾶλλον, ἢ μὴ βιοῦν, κἂν μηδέποτε μέλλῃ φρονήσειν, » ἐπιλέγει· « τοιαῦτα γὰρ τἀγαθά ἐστι τοῖς ἀνθρώποις, ὥστε τρόπον τινὰ τὰ κακὰ τῶν ἀνὰ » μέσον (26) προτερεῖν. » Quam opinionem cum ipse Chrysippus ineptam esse sensisset, eam mitigare volentem hæc illum de Malis subjecisse testatur Plutarchus, pag. 1042. C. « Ἔστι δὲ οὐ » ταῦτα προτεροῦντα, ἀλλ' ὁ λόγος, μεθ' οὗ βιοῦν ἐπιβάλλει (27) μᾶλλον, » καὶ εἰ ἄφρονες ἐσόμεθα. » Totum vero hoc ita interpretabantur Philosophi, qui Chrysippi partes tuerentur, ut is nullo modo existimaverit in vitâ mansionem bonis, et discessum ex eâ malis esse annumerandum, sed utrumque iis quæ media sunt naturâ: hinc et felicis interdum officium fieri, ut mortem sibi conscis-

---

(26) De hac locutione monuit Wyttenbachius V. C. ad Plutarchi Consolat. ad Apollon. pag. 103. C. Tom. II. pag. 709.

(27) De verbo ἐπιβάλλειν, Stoicis præcipue sic usurpato, luculenta est disputatio Wyttenbachii ad Plutarchum De Rectâ Aud. Rat. pag. 37. F. Tom. I. pag. 311. sq., cui add. etiam G. H. Schæferus ad Scholiast. Apollonii Rhod. T. II. pag. 219. et Fr. Astius ad Nicomachi Instit. Arith. II. 14. pag. 292.

cat; et miseri, ut vitam producat. Eadem refert PLUTARCHUS De Communib. Notit. pag. 1064. D. E. iisdem fere verbis, locum certe Chrysippi iisdem omnino.

De Stoicis Repugn. pag. 1053. A. absurdam esse ostendere studens PLUTARCHUS Chrysippi opinionem, fetum partu editum refrigeratione fieri animatum, quoniam solem animatum putet, igneum corpus, et natum ex vapore in ignem mutato, hæc addit: Λέγει γὰρ ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ Φύσεως· « Ἡ δὲ πυρὸς μεταβολή ἐστι » τοιαύτη· δι᾽ ἀέρος εἰς ὕδωρ τρέπεται· κἀκ τούτου γῆς ὑφισταμένης, ἀὴρ ἀνα- » θυμιᾶται· λεπτυνομένου δὲ τοῦ ἀέρος, ὁ αἰθὴρ περιέχεται κύκλῳ· οἱ δ᾽ ἀστέρες » ἐκ θαλάσσης μετὰ τοῦ ἡλίου ἀνάπτονται. » Eadem fere invenias de Stoicis dicta apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 137. ἀνωτάτω μὲν οὖν εἶναι τὸ πῦρ, ὃν δὲ αἰθέρα καλεῖσθαι, ἐν ᾧ πρώτην τὴν τῶν ἀπλανῶν σφαῖραν γεννᾶσθαι, εἶτα τὴν τῶν πλανωμένων· μεθ᾽ ἣν τὸν ἀέρα· εἶτα τὸ ὕδωρ· ὑποστάθμην δὲ πάντων τὴν γῆν, μέσην ἁπάντων οὖσαν. Conf. CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 9. sqq. PLUTARCHUS vero l. l. ostendit Chrysippum secum rursus pugnare, cum dicat mundum, postquam inflammatus sit, in totum vivere et esse animantem, qui si rursus restinguatur et spissetur, in aquam et ignem et corpus degenerare. Paullo ante dixerat item: ἔμψυχον ἡγεῖται τὸν ἥλιον, πύρινον ὄντα, καὶ γεγενημένον ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως εἰς πῦρ μεταβαλούσης. Conf. CICERO l. l. Lib. III. cap. 15 et sqq. ubi opinio Cleanthis de Sole animante exponitur.

Restat ut, quæ e *Quinto* De Natura *Libro* a PLUTARCHO servata sunt, proferamus. De Stoicis Repugn. pag. 1045. A. B.— ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ πάλιν Περὶ Φύσεως λέγει, « καλῶς μὲν ἀπαγορεύειν τὸν » Ἡσίοδον, εἰς ποταμοὺς καὶ κρήνας οὐρεῖν· ἔτι δὲ μᾶλλον ἀφεκτέον εἶναι τοῦ » πρὸς βωμὸν οὐρεῖν, ἢ ἀφίδρυμα θεοῦ· μὴ γὰρ εἶναι πρὸς λόγον, εἰ κύνες καὶ » ὄνοι τοῦτο ποιοῦσι, καὶ παιδάρια νήπια, μηδεμίαν ἐπιστροφὴν μηδ᾽ ἐπιλογισ-

» μὸν ἔχοντα περὶ τῶν τοιούτων. » Hic Hesiodi locus est in Op. et D. vs. 757.

> Μηδέ ποτ' ἐν προχοῇ ποταμῶν ἅλαδε προρεόντων,
> Μηδ' ἐπὶ κρηνάων οὐρεῖν· μάλα δ' ἐξαλέασθαι.

quem tangere videtur A. Persius Satir. I. v. 113.

> Pueri, sacer est locus: extra
> Meiite.

Ubi Is. Casaubonus pag. 151. nostrum Chrysippi locum attulit, monuitque summæ impietati tribuisse Veteres, in loco sacro urinam facere: quamquam per lasciviam a multis hoc factum esse ex Aristophane, Juvenali aliisque notum sit. Conf. v. c. Philocleontis illud apud Aristophanem, Vesp. v. 393.

Plutarchus Op. mem. pag. 1044. C. refert Chrysippum ἐν τοῖς Περὶ Φύσεως scripsisse ὅτι, « πολλὰ τῶν ζώων ἕνεκα κάλλους ἡ φύσις » ἐνήνοχε, φιλοκαλοῦσα καὶ χαίρουσα τῇ ποικιλίᾳ, » et quod absurdissimum esset subjecisse, « τὸν ταὼν ἕνεκα τῆς οὐρᾶς γεγονέναι, διὰ τὸ » κάλλος αὐτῆς. » Hæc autem e *Quinto Libro* esse desumta, licet non diserte dixerit Plutarchus, ex altero loco apparet, p. 1044. D. ubi ita loquitur de Chrysippo: Ἐν μὲν οὖν τῷ πέμπτῳ Περὶ Φύσεως, εἰπὼν ὅτι, « οἱ κόρεις εὐχρήστως ἐξυπνίζουσιν ἡμᾶς, καὶ οἱ μύες ἐπι» στρέφουσιν ἡμᾶς μὴ ἀμελῶς ἕκαστα τιθέναι, φιλοκαλεῖν δὲ τὴν φύσιν τῇ ποικι» λίᾳ χαίρουσαν εἰκός ἐστι, » ταῦτα κατὰ λέξιν εἴρηκε· « Γένοιτο δ' ἂν μάλιστα » τούτου ἔμφασις ἐπὶ τοῦ κέρκου τοῦ ταώ. » Quibus addit, Chrysippum hoc ipso loco significasse pavonem esse factum propter caudam, non vicissim.

§. LXXVII.

ΦΥΣΙΚΑ ΖΗΤΗΜΑΤΑ.

Hujus operis *Libri Primi* fragmentum servatum habemus apud PLUTARCHUM De Stoicis Repugn. pag. 1053. F. Τὸν ἀέρα φύσει ζοφερὸν εἶναι λέγει (sc. ὁ Χρύσιππος), καὶ τούτῳ τεκμηρίῳ χρῆται τοῦ καὶ ψυχρὸν εἶναι πρώτως· ἀντικεῖσθαι γὰρ αὐτοῦ τὸ μὲν ζοφερὸν πρὸς τὴν λαμπρότητα, τὸ δὲ ψυχρὸν πρὸς τὴν θερμότητα τοῦ πυρός· ταῦτα κινῶν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Φυσικῶν Ζητημάτων. Id ipsum de Chrysippo testatur PLUTARCHUS De Primo Frigido pag. 952. C. D: Ἐπειδὴ γάρ (28) Χρύσιππος, οἰόμενος, τὸν ἀέρα πρώτως ψυχρὸν εἶναι, διότι καὶ σκοτεινὸν, ἐμνήσθη μόνον τῶν πλέον ἀφεστάναι τὸ ὕδωρ τοῦ αἰθέρος ἢ τὸν ἀέρα λεγόντων, καὶ πρὸς αὐτούς τι βουλόμενος εἰπεῖν. « Οὕτω μὲν ἂν, » ἔφη, « καὶ τὴν γῆν ψυχρὰν » εἶναι πρώτως λέγοιμεν, ὅτι τοῦ αἰθέρος ἀφέστηκε πλεῖστον· » ὡς ἀδόκιμόν τινα παντελῶς τοῦτον καὶ ἄτοπον ἀποῤῥίψας τὸν λόγον· ἐγώ μοι δοκῶ μηδὲ τὴν γῆν ἄμοιρον εἰκότων καὶ πιθανῶν ἀποφαίνειν, ποιησάμενος ἀρχὴν ᾧ μάλιστα Χρύσιππος ὑπὲρ τοῦ ἀέρος κέχρηται. Stoicis omnino placitum hoc tribuit DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 137. ubi consulendus est MENAGIUS. CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 10. « Ipse vero aër, qui naturâ est maxime frigidus, minime est expers caloris. » Conf. SENECA Nat. Quæst. Lib. II. cap. 10. 11. pag. 704. A. B. Lipsii, et qui Stoicos, suo more, secutus est de Verbo Divino metaphorice loquens CLEMENS ALEXANDRINUS Protrept. p. 4. B. ed. Paris.: Καὶ μὴν καὶ πυρὸς ὁρμὴν ἐμάλαξεν ἀέρι (sc. τὸ καινὸν ἆσμα) οἱονεὶ Δώριον ἁρμονίαν κράσας Λυδίῳ· καὶ τὴν ἀέρος ἀπηνῆ ψυχρότητα τῇ παραπλοκῇ τοῦ πυρὸς ἐτιθάσσευε, τοὺς νεάτους τῶν ὅλων φθόγγους τούτους

---

(28) Ita scripsi ex præstantissimâ Wyttenbachii correctione pro Ἐπεὶ δὲ καί.

κιρνὰς ἐμμελῶς. Vid. etiam Just. Lipsius Physiolog. Stoicor. Lib. II. diss. 15. (Opp. T. IV. pag. 587. sq.).

Plutarchus De Communibus Notit. pag. 1078. E. de mixtione agens dicit guttam unam in mare delapsam per profundum in longum latumque diffundi, et addit: Καὶ ταῦτα προσδέχεται Χρύσιππος εὐθὺς ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Φυσικῶν Ζητημάτων, « οὐδὲν ἀπέχειν, » φάμενος, « οἴνου ςαλαγμὸν ἕνα κεράσαι τὴν θάλατταν. » καὶ ἵνα δὴ μὴ τοῦτο θαυμάζωμεν, « εἰς ὅλον φησὶ τὸν κόσμον διατενεῖν τῇ κράσει τὸν ςαλαγ-» μόν. » Ὧν οὐκ οἶδα τί ἂν ἀτοπώτερον φανείη. Idem ibidem pag. 1084. D. de multitudine corporum ex sententiâ Stoicorum disserens: Καὶ μὴ δυσχεραινέτωσαν ἐπὶ ταῦτα ἀγόμενοι τῷ κατὰ μικρὸν λόγῳ, Χρυσίππου μνημονεύοντες, ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Φυσικῶν Ζητημάτων οὕτω προσάγοντος· « Οὐχ ἡ μὲν νὺξ σῶμά ἐστιν· ἡ δ᾽ἑσπέρα καὶ ὁ ὄρθρος, καὶ τὸ μέσον τῆς νυκ-» τὸς σώματα οὐκ ἔστιν. Οὐδὲ ἡ μὲν ἡμέρα σῶμά ἐστιν· οὐχὶ δὲ καὶ ἡ νουμηνία » σῶμα, καὶ ἡ δεκάτη, καὶ πεντεκαιδεκάτη, καὶ ἡ τριακὰς, καὶ ὁ μὴν, σῶμά » ἐστι, καὶ τὸ θέρος, καὶ φθινόπωρον, καὶ ὁ ἐνιαυτός. » Conf. supra Part. II. Cap. III. §. XXXI.

§. LXXIX.

ΦΥΣΙΚΑΙ ΘΕΣΕΙΣ.

Ex hoc Chrysippi libro fragmentum apponitur a Plutarcho De Stoicis Repugn. pag. 1035. C. « Οὐ γάρ ἐςτιν ἄλλως, οὐδ᾽ οἰκειό-» τερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, οὐδ᾽ ἐπὶ τὰς ἀρετὰς, » οὐδ᾽ ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ᾽ ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως, καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου » διοικήσεως· — Δεῖ γὰρ τούτοις συνάψαι τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, » οὐκ οὔσης ἄλλης ἀρχῆς αὐτῶν ἀμείνονος, οὐδὲ ἀναφορᾶς, οὐδ᾽ ἄλλου τινὸς » ἕνεκεν τῆς φυσικῆς θεωρίας παραληπτῆς οὔσης, ἢ πρὸς τὴν περὶ ἀγαθῶν ἢ κα-

» χῶν διάστασιν.» Sed de collocandis Philosophiæ partibus e Chrysippi sententiâ vid. quæ deditâ operâ eos disputavimus in Secundâ hujus Commentationis Parte Cap. I. §§. XV. XVI et XVII.

Alterum Fragmentum exstat apud EUMDEM, Op. mem. pag. 1037. B. Ἵνα μηδ' ἀντίρρησιν ἀπολίπῃ ὁ Χρύσιππος τοῦ τὰ ἐναντία λέγειν, ἐν ταῖς Φυσικαῖς Θέσεσι ταῦτα γέγραφεν· «Ἔσται δὲ καὶ καταλαμβάνοντάς τι, » πρὸς τὰ ἐναντία ἐπιχειρεῖν, τὴν ἐνοῦσαν συνηγορίαν ποιουμένους· ποτὲ δ' ὑ- » δέτερον καταλαμβάνοντας, εἰς ἑκάτερον τὰ ὄντα λέγειν.»

Superest unus ad hunc librum pertinens locus PLUTARCHI Op. laud. pag. 1047. C. Ἐν δὲ ταῖς Φυσικαῖς Θέσεσι περὶ τῶν ἐμπειρίας καὶ ἱστορίας δεομένων διακελευσάμενος «τὴν ἡσυχίαν ἔχειν, ἂν μή τι κρεῖττον » καί ἐναργέστερον ἔχωμεν λέγειν, ἵνα, » φησὶ, « Μήτε Πλάτωνι παραπλησίως » ὑπονοήσωμεν, τὴν μὲν ὑγρὰν τροφὴν εἰς τὸν πνεύμονα φέρεσθαι (29), τὴν δὲ » ξηρὰν εἰς τὴν κοιλίαν, μήτε ἕτερα παραπλήσια γεγονότα τούτοις διαπτώμα- » τα.» His vehementer succenset Plutarchus et quærit quod et ipse exprobret Chrysippo. Dicit autem eum asserere, «Denorum pronuntiatorum complexiones numero excedere decies centena millia» : cum id neque indagasset per se sedulo neque a perito aliquo veritatem percepisset. Platonem vero adstipulantes habere Medicos clarissimos, Hippocratem, Philistionem, Dioxip-

---

(29) De hac sententiâ exstat peculiaris disputatio PLUTARCHI, Quæst. Convival. Lib. VII. Qu. I. pag. 698. sqq. Ipsius PLATONIS locus est in Timæo pag. 70. C. Steph. : Τὴν τοῦ πνεύμονος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν (sc. οἱ θεοὶ τῇ καρδίᾳ)· πρῶτον μὲν, μαλακὴν καὶ ἄναιμον, εἶτα σήραγγας ἐντὸς ἔχουσαν οἷον σπόγγου κατατετρημένης· ἵνα τὸ,τε πνεῦμα καὶ τὸ πόμα δεχομένη, ψύχουσα, ἀναπνοὴν καὶ ῥᾳστώνην ἐν τῷ καύματι παρέχοι : coll. pag. 91. A. ubi de semine animantium loquens dicit Deos fecisse διέξοδον, ᾗ διὰ τοῦ πνεύμονος τὸ πόμα ὑπὸ τοὺς νεφροὺς εἰς τὴν κύστιν ἐλθοι. Memorabilis eâ de re est etiam A. GELLII narratio, Noct. Att. Lib. XVII. cap. 11.

pum (30) pluresque poëtas (31) qui potionem dicant per pulmonem permeare; Chrysippo autem adversos esse Arithmeticos omnes, in quibus Hipparchum, qui demonstret in errorem eum calculi impegisse gravissimum: siquidem genus affirmativum efficiat contextarum enuntiationum centum millia et insuper tria millia ac quadraginta novem: negativum noningenta quinquaginta duo supra trecenta decem millia.

§. LXXX.

ΠΕΡΙ ΚΟΣΜΟΥ.

Ex loco Jo. Stobæi Eclogg. Lib. I. pag. 180. Heer. apparet Chrysippum libros scripsisse Περὶ Κόσμου, licet neminem e Recentioribus noverim qui opus hoc laudet. Cujus rei caussa forsitan hæc est quod in loco Plutarchi De Placitis Philosoph. pag. 885. B. ubi idem fragmentum, quod mox dabimus, legitur, verba exciderunt quæ eos de hac re facerent certiores (32). Stobæi autem locus hic est: Χρύσιππος δύναμιν πνευματικὴν τὴν οὐσίαν τῆς εἱμαρμένης (sc. λέγει), τάξει τοῦ παντὸς διοικητικήν. Τοῦτο ἐν οὖν ἐν τῷ δευτέρῳ

(30) Contrariam sententiam tuebatur Erasistratus. Sed vid. de totâ hac Veterum Philosophorum et Medicorum controversiâ Plutarchus Quæst. Convival. l. l. Gellius l. l. ad eumque Interpretes, et Curt. Sprengel, Histoire de la Médecine depuis son origine etc. traduite de l'allemand par Jourdan. Paris, 1815. Tom. I. pag. 362. sq.

(31) Quorum versus laudantur Plutarcho Op. mem. pag. 697. F. 698. E. F. 699. A.

(32) Sic certe suspicatur Heerenius l. l.

Περὶ Κόσμου, ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ περὶ ὅρων, καὶ ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης, καὶ ἐν ἄλλοις σποράδην πολυτρόπως ἀποφαίνεται λέγων· « Εἱμαρμένη ἐςὶν ὁ τοῦ κόσμου » λόγος, ἢ λόγος τῶν ἐν τῷ κόσμῳ προνοίᾳ διοικουμένων· ἢ λόγος, καθ' ὃν τὰ » μὲν γεγονότα γέγονε, τὰ δὲ γιγνόμενα γίγνεται, τὰ δὲ γενησόμενα γενήσε- » ται. » Μεταλαμβάνει δὲ ἀντὶ τοῦ λόγου τὴν ἀλήθειαν, τὴν αἰτίαν, τὴν φύσιν, τὴν ἀνάγκην, προστιθεὶς καὶ ἑτέρας ὀνομασίας, ὡς ἐπὶ τῆς αὐτῆς οὐσίας τασσομένας καθ' ἑτέρας καὶ ἑτέρας ἐπιβολάς. Reliqua hujus loci dabimus ad Περὶ Εἱμαρμένης, cum magis videatur cum eâ materiâ cohærere.

Ex libro De Mundo hausta quoque esse quæ ab eodem Stobæo Lib. I. pag. 260. de Temporis naturâ disputantur, suspicatur doctissimus hujus auctoris editor Heerenius in Comment. De Fontib. Eclogg. Jo. Stob. p. 185 (33). Cujus judicium nos sequentes locum illum hîc duximus esse apponendum. Est autem hic : Ὁ δὲ Χρύσιππος (sc. dixit), εἶναι χρόνον κινήσεως διάστημα, καθ' ὅ ποτε λέγεται μέτρον τάχους τε καὶ βραδύτητος· ἢ τὸ παρακολουθοῦν διάςημα τῇ τοῦ κόσμου κινήσει, καὶ κατὰ μὲν τὸν χρόνον κινεῖσθαί τε ἕκαςα καὶ εἶναι, εἰ μὴ ἄρα διττὸς λέγεται ὁ χρόνος, καθάπερ ἥ τε γῆ, καὶ ἡ θάλασσα, καὶ τὸ κενὸν, τά τε ὅλα καὶ τὰ μέρη αὐτῶν. Ὥσπερ δὲ τὸ κενὸν πᾶν ἄπειρόν ἐςι πάντη, καὶ τὸν χρόνον ἄπειρον εἶναι ἐφ' ἑκάτερα· καὶ γὰρ τὸν παρεληλυθότα, καὶ τὸν μέλλοντα ἄπειρον εἶναι. Ἐκφανέςατα δὲ τοῦτο λέγει, ὅτι οὔθ' εἷς ὅλος ἐνίςαται χρόνος. Ἐπεὶ γὰρ εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τῶν συνεχόντων ἐςὶ, κατὰ τὴν διαίρεσιν ταύτην καὶ πᾶς χρόνος εἰς ἄπειρον ἔχει τὴν τομήν· ὥςε μήθ' ἕνα κατ' ἀπαρτισμὸν ἐνεςάναι χρόνον, ἀλλὰ κατὰ πλάτος λέγεσθαι. Μόνον δὲ ὑπάρχειν φησὶ τὸν ἐνεςῶτα, τὸν δὲ παρῳχημένον καὶ τὸν μέλλοντα ἐφεςᾶναι μὲν, ὑπάρχειν δὲ οὐδαμῶς, εἰ μὴ (34) ὡς καὶ κατηγορήματα ὑπάρχειν λέγεται μόνα τὰ συμβε-

(33) Neque tamen sibi constitit eâ in re, quandoquidem in Annotatione ad ipsum Stobæi locum potius ad Opus Περὶ Φυσικῆς Τέχνης hæc Chrysippea credidit esse referenda.

(34) Vid. Heerenius pag. 261.

βηκότα, οἷον τὸ περιπατεῖν ὑπάρχει μοι ὅτε περιπατῶ, ὅτε δὲ κατακέκλιμαι ἢ κάθημαι οὐχ ὑπάρχει. Ἔαρ δὲ ἔτους ὥραν κεκραμένην ἐκ χειμῶνος ἀπολήγοντος καὶ θέρους ἀρχομένου· ἢ τὴν μετὰ χειμῶνα ὥραν πρὸ θέρους. Θέρος δὲ, ὥραν τὴν μάλιςʹ ἀφʹ ἡλίου διακεκαυμένην. Μετόπωρον δὲ, ὥραν ἔτους τὴν μετὰ θέρος μὲν, πρὸ χειμῶνος δὲ, κεκραμένην. Χειμῶνα δὲ ὥραν ἔτους τὴν μάλιςα κατεψυγμένην, ἢ τὴν τῷ περὶ γῆν ἀέρι κατεψυγμένην. Γίνεσθαι δὲ ἰσημερίας δύο καθʹ ἕκαςον ἐνιαυτὸν, καὶ τροπὰς δύο. Ἰσημερίας μὲν, ὅταν ἡ νὺξ καὶ ἡ ἡμέρα ἴσαι ὦσι. Τούτων δὲ τὴν μὲν ἔαρι γίγνεσθαι, τὴν δὲ μετοπώρῳ· τῶν δὲ τροπῶν τὰς μὲν θέρους, τὰς δὲ Χειμῶνος. Hoc loco jam supra usi sumus Part. II. Cap. III. §. XXXIII.

Notandum etiam est hoc loco, a Stoicis Mundum ipsum sine vacuo τὸ ὅλον appellari, quod nos Universum dicimus: eumdem adjuncto vacuo τὸ πᾶν, Totum, nominari. Plutarchus De Placit. Philosoph. pag. 886. C. Οἱ Στωϊκοί φασι διαφέρειν τὸ πᾶν καὶ τὸ ὅλον. Πᾶν μὲν γὰρ εἶναι τὸ σὺν κενῷ ἄπειρον· ὅλον δὲ χωρὶς τοῦ κενοῦ τὸν κόσμον, ὥστε οὐ τὸ αὐτὸ εἶναι τὸ πᾶν (35) καὶ τὸν κόσμον. Eadem verba invenias apud Cyrillum Contra Julianum Lib. II. pag. 46. C. Spanhem. Just. Lipsius tamen, Physiol. Stoic. Lib. II. diss. 6. rescribendum docet, πᾶν γὰρ εἶναι σὺν κενῷ ἀπείρῳ: *Universum esse cum vacuo infinito*. Quam suam correctionem firmat loco Stobæi, Eclogg. Lib. I. pag. 440. sq. Heeren., ubi est: Οἱ Στωϊκοί φασι διαφέρειν τὸ πᾶν καὶ τὸ ὅλον· πᾶν μὲν γὰρ εἶναι σῦν τῷ κενῷ τῷ ἀπείρῳ· ὅλον δὲ, χωρὶς τοῦ κενοῦ τὸν κόσμον. et Sexti Empirici Advers. Mathematt. Lib. IX. cap. IV. segm. 331. ubi vid. Fabricius pag. 615. Tetigit etiam hanc differentiam Rob. Balforeus ad Cleomedis Meteor. Lib. I. cap. 1. pag. 269. Bakii.

(35) Ita pro vulg. τὸ ὅλον scripsi cum Wyttenbachio, monente etiam Heerenio ad Stobæi locum mox proferendum, pag. 442.

Quod vero, auctore Stobæo paullo ante laudato, Chrysippus Tempus dixit esse διάστημα τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως, id ad verbum reddidit VARRO De Ling. Lat. Lib. V. pag. 52. Bipont. « Tempus esse dicunt intervallum mundi motûs (36). » Is autem motus ab Solis et Lunæ cursu maxime innotuit, divisimusque in partes. » Ideo ait Idem Varro, « ab eorum tenore temperato Tempus dictum. » Chrysippus etiam definiebat μέτρον τάχους τε καὶ βραδύτητος, mensuram celeritatis et tarditatis. Quæ definitiones magis sensum nostrum de Tempore exprimunt, quam Tempus ipsum, ut recte monuisse videtur J. LIPSIUS Physiol. Stoic. Lib. II. diss. 24. (Opp. Tom. IV. pag. 603.). Ad vocem ὑπάρχειν, etsi jam monuimus supra Part. II. Cap. III. §. XXXIII, addemus tamen PLUTARCHI locum De Communib. Notitiis pag. 1081. C. D. ubi asserit Chrysippum in Libro De Inani et aliis nonnullis dicere præteritum et futurum non subsistere, sed substitisse (οὐχ ὑπάρχειν, ἀλλ' ὑφεστηκέναι); solum existere τὸ ἐνεστὸς, instans seu præsens; et id ipsum in aliis libris facere et distribuere, partim præsens, partim præteritum; itaque nihil quod subsistat relinquere.

Quod ad varias anni tempestates attinet, de quibus in loco Stobæano sermo est, similia habemus apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 151. τῶν δὲ ἐν ἀέρι γινομένων, χειμῶνα μὲν εἶναι φασὶ τὸν ὑπὲρ γῆς ἀέρα κατεψυγμένον, διὰ τὴν τοῦ ἡλίου πρόσω ἄφοδον· ἔαρ δὲ, τὴν εὐκρασίαν τοῦ ἀέρος, κατὰ τὴς πρὸς ἡμᾶς πορείαν· θέρος δὲ, τὸν ὑπὲρ γῆς ἀέρα, καταθαλπόμενον τῇ τοῦ ἡλίου πρὸς ἄρκτον πορείᾳ· μετόπωρον δὲ, τῇ παλινδρομίᾳ τοῦ ἡλίου ἀφ' ἡμῶν γίνεσθαι, παρὰ τοὺς τόπους ἀφ' ὧν ῥέουσι. Τῆς δὲ γενέσεως αὐτῶν αἴτιον γένεσθαι τὸν ἥλιον, ἐξατμίζοντα τὰ νέφη: ubi con-

(36) Ita enim cum SCALIGERO est legendum, omissâ conjunctione *et*. Ceterum de origine vocis *Tempus* Conf. FR. SANCTIUS in Minervâ, Lib. IV. cap. XV. ad eumque JAC. PERIZONIUS not. 4. T. II. pag. 460. Bauer.

sulendi sunt INTERPRETES. Sed hæc sufficiant. Redeamus ad Fragmenta, quæ huc pertinere videantur, recensenda.

Et ultro quidem apparet e Chrysippi Libro De Mundo esse depromta quæ longiori disputatione complexus est Jo. STOBÆUS Lib. I. pag. 444. sqq. Heerenii: « Κόσμον δ' εἶναί » φησιν ὁ Χρύσιππος « σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις φύσεων (37). « ἢ τὸ ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων σύστημα, καὶ ἐκ τῶν ἕνεκα τούτων γεγονότων (38).

---

(37) Hæc Mundi definitio paullo uberior exhibetur ab *Areio Didymo*, apud EUSEBIUM Præp. Evang. Lib. XV. cap. XV. pag. 817. D: σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἀέρος καὶ γῆς καὶ θαλάττης, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς φύσεων.

(38) Idem *Areius Didymus* l. l. alteram quoque hanc definitionem subjungit, quam cognoscere operæ pretium erit. Verba ejus hæc sunt: Ὃν γὰρ τρόπον πόλις λέγεται διχῶς, τό, τε οἰκητήριον, καὶ τὸ ἐκ τῶν ἐνοικούντων σὺν τοῖς πολίταις σύστημα, οὕτω καὶ ὁ κόσμος οἱονεῖ πόλις ἐστὶν ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσα, τῶν μὲν θεῶν τὴν ἡγεμονίαν ἐχόντων, τῶν δὲ ἀνθρώπων ὑποτεταγμένων. Κοινωνίαν δὲ ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὅς ἐστι φύσει νόμος· τὰ δ' ἄλλα πάντα γεγονέναι τούτων ἕνεκα. Notum est autem Stoicorum placitum, Mundum esse unam ex Diis hominibusque compositam civitatem, cujus fundamentum esset lex (ὁ νόμος), quæ quidem eadem esset atque recta ratio (ὁ ὀρθὸς λόγος). Insignis hac de re locus est CICERONIS De Legibus, ubi, ut alias docuimus, Chrysippum secutus ita ratiocinatur, Lib. I. cap. 7. §. 22. « Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eâque et in homine et in Deo, prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eos etiam recta ratio communis est. Quæ quum sit lex, lege quoque conciliati homines cum Diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem hæc sunt inter eos communia, et civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent; multo etiam magis. Parent autem huic cœlesti descriptioni mentique divinæ, et præpotenti Deo: ut jam universus hic mundus una civitas sit communis Deorum atque hominum existimanda. » Conf. ibid. Lib. II. cap. 11. init.

» Λέγεται δ' ἕτερος κόσμος ὁ θεὸς, καθ' ὃν ἡ διακόσμησις γίνεται καὶ τελειοῦ-
» ται (39). Τοῦ δὲ κατὰ τὴν διακόσμησιν λεγομένου κόσμου τὸ μὲν εἶναι πε-
» ριφερόμενον, τὸ δ' ὑπομένον. Περιφερόμενον τὸν αἰθέρα, ὑπομένον δὲ, τὴν
» γῆν, καὶ τὰ ἐπ' αὐτῆς ὑγρὰ, καὶ τὸν ἀέρα. Τὸ γὰρ τῆς πάσης οὐσίας πυκ-
» νότατον ὑπέρεισμα πάντων εἶναι κατά φύσιν, ὅνπερ τρόπον ἐν ζώῳ τὰ ὀστέα,

---

De Finibus Lib. III. cap. 19. §. 64. « Mundum censent regi numine Deorum, eamque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et Deorum. » De Nat. Deor. Lib. II. cap. 62. pr. « Est mundus quasi communis Deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes, jure ac lege vivunt. » Stobæi definitio exstat etiam apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. VII. segm. 138. Vid. omnino JUST. LIPSIUS Physiol. Stoicor. Lib. II. diss. 7. (Opp. IV. pag. 575.) cum eoque conferatur CHRISTOPH. MEINERS Historia Doctrinarum nascentium, crescentium, labentium, apud Græcos et Romanos, Vol. I. pag. 534 et 651.

(39) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 137: *λέγουσι δὲ* (sc. *οἱ Στωϊκοί*) *κόσμον αὐτόν τε τὸν θεὸν, τὸν ἐξ ἁπάσης οὐσίας ἰδίως ποιόν..... δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως*, κ. τ. λ. ibique MENAGIUS pag. 313. *Areius Didymus* apud EUSEBIUM Præp. Evang. Lib. XV. cap. XV. pag. 817. C: *οἱ Στωϊκοὶ ὅλον τὸν κόσμον σὺν τοῖς αὐτοῦ μέρεσι προσαγορεύουσι θεόν*. CICERO Academ. Lib. I. cap. 7. §. 28 de Stoicis: « mundi partes naturâ sentiente teneri, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna..... quam vim animum esse dicunt mundi, eamdemque esse mentem sapientiamque perfectam, quem Deum appellant omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quamdam, procurantem cœlestia maxime, deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: » ac de Chrysippo ipso, De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. « Ait enim, inquit, vim divinam in ratione esse positam, et universæ naturæ animo atque mente, ipsumque mundum Deum dicit esse, et ejus animi fusionem universam: tum ejus ipsius principatum qui in mente, et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem. » Conf. quæ hac de re jam supra disputavimus, Part. II. Cap. III. §. XXXVII. ac præterea JUST. LIPSIUS Physiol. Stoicor. Lib. II. diss. 10. (Opp. T. IV. pag. 579. sq.)

» τοῦτο δὲ καλεῖσθαι γῆν (40). Περὶ δὲ ταύτην τὸ ὕδωρ περικέχυσθαι σφαιρι-
» κῶς, ὁμαλωτέραν τὴν ἴσχυν διειληχός (41). Τῆς γὰρ γῆς ἐξοχάς τινας ἐχούσης
» ἀνωμάλους, διὰ τοῦ ὕδατος ἐς ὕψος ἀνηκούσας, ταύτας γε νήσους καλεῖσθαι.
» Τούτων δὲ τὰς ἐπιπλεῖον διηκούσας, ἤπειρον προσαγορεύεσθαι, ὑπ᾽ ἀγνοίας
» τοῦ περιέχεσθαι καὶ ταύτας πελάγεσι μεγάλοις (42). Ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος τὸν
» ἀέρα ἐξῆφθαι, καθάπερ ἐξατμισθέντα, σφαιρικῶς, καὶ περικεχύσθαι· ἐκ δὲ
» τούτου τὸν αἰθέρα ἀραιότατόν τε καὶ εἰλικρινέστατον (43). Τὸν μὲν οὖν κατὰ
» τὴν διακόσμησιν λεγόμενον κόσμον εἰς ταύτας διακεκρίσθαι τὰς φύσεις. Τὸ δὲ
» περιφερόμενον αὐτοῦ ἐγκυκλίως αἰθέρα εἶναι, ἐν ᾧ τὰ ἄστρα καθίδρυται, τά

---

(40) DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 137. Stobæi hunc locum in suum usum convertit FR. A. UKERTUS Geograph. Græcor. et Rom. Vol. I. Tom. I. pag. 129. Appositi sunt Græci illi versus quos servavit MACROBIUS Saturnal. Lib. I. cap. 20, pag. 258. Steph.,

Εἰμὶ Θεὸς τοίοςδε μαθεῖν, οἷον κ᾽ ἐγὼ εἴπω·
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δ᾽ οὔατ᾽ ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Similia sunt quæ leguntur apud PLUTARCHUM De Facie in Orbe Lunæ pag. 925. C—E.

(41) Sic CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 45. « Eâdemque ratione mare, cum supra terram sit, medium tamen terræ locum expetens conglobatur undique æqualiter, neque redundat unquam, neque effunditur. » Globosa sane est aqua, idemque centrum habet ac terra, eoque vergit. PLINIUS Hist. Nat. Lib. II. cap. 66. « Est igitur in toto suo globo tellus, medio ambitu, præcincta circumfluo mari. »

(42) Vid. STRABO Lib. I. pag. 10. C. Almelov. pag. 8. l. 7. Falcon. :*Ὅτι δὲ ἡ οἰκουμένη νῆσός ἐστι, πρῶτον μὲν ἐκ τῆς αἰσθήσεως καὶ τῆς πείρας ληπτέον. Πανταχῆ γὰρ, ὅπῃ ποτ᾽ οὖν ἐφικτὸν γέγονεν ἀνθρώποις ἐπὶ τὰ ἔσχατα τῆς γῆς προελθεῖν, εὑρίσκεται θάλαττα, ἣν δὲ καλοῦμεν Ὠκεανόν.* Conf. JUST. LIPSIUS Physiolog. Stoic. Lib. II. diss. 17. (Opp. T. IV. p. 590.).

(43) Hæc jam alio loco attigimus pluraque de iis dicemus ad *Περὶ Προνοίας*.

» τε ἀπλανῆ καὶ τὰ πλανώμενα (44), τὰ δὲ πλανώμενα ἕπτα τὸν ἀριθμὸν » εἶναι, πάντα δὲ τὰ πλανώμενα θεῖα τὴν φύσιν ὄντα καὶ ἔμψυχα (45), καὶ » διοικούμενα κατὰ τὴν πρόνοιαν· τῶν μὲν οὖν ἀπλανῶν ἀστέρων εἶναι ἀκατά-» ληπτον τὸ πλῆθος, τὰ δὲ πλανώμενα ταπεινότερα τῶν ἀπλανῶν. Τετάχθαι » δὲ τὰ μὲν ἀπλανῆ ἐπὶ μιᾶς ἐπιφανείας, ὡς καὶ ὁρᾶται· τὰ δὲ πλανώμενα ἐπ' » ἄλλης καὶ ἄλλης φορᾶς· περιέχεσθαι δὲ πάσας τὰς τῶν πλανομένων ὑπὸ τῆς » τῶν ἀπλανῶν σφαίρας. Τῶν δὲ πλανωμένων ὑψηλοτάτην εἶναι μετὰ τὴν ἀπλα-» νῶν τὴν τοῦ Κρόνου, μετὰ δὲ ταύτην τὴν τοῦ Διὸς, εἶτα τὴν τοῦ Ἄρεος, » ἐφεξῆς δὲ τὴν τοῦ Ἑρμοῦ, καὶ μετ' αὐτὴν τὴν τῆς Ἀφροδίτης, εἶτα τὴν τοῦ » Ἡλίου, ἐπὶ πᾶσι δὲ τὴν τῆς Σελήνης, πλησιάζουσαν τῷ ἀέρι. Διὸ καὶ ἀερο-» δεςέραν φαίνεσθαι, καὶ μάλιςα διατείνειν τὴν ἀπ' αὐτῆς δύναμιν εἰς τὰ πε-» ρίγεια. Ὑπὸ δὲ τὴν Σελήνην τὴν τοῦ ὑπ' αὐτοῦ φερομένου ἀέρος, εἶτα τὴν » τοῦ ὕδατος, τελευταίαν δὲ τὴν τῆς γῆς, περὶ τὸ μέσον σημεῖον τοῦ κόσμου » κειμένης, ὃ δὴ τοῦ παντός ἐςι κάτω, ἄνω δὲ τὸ ἀπ' αὐτοῦ εἰς τὸ κύκλῳ » πάντη. »

Ad Chrysippi sententiam de Sole præcipue pertinent quæ leguntur apud eumdem Stobæum Lib. I. cap. XXVI. pag. 540. Heer. Χρύσιππος (sc. λέγει) τὸν ἥλιον εἶναι τὸ ἀθροισθὲν ἔξαμμα νοερὸν ἐκ τοῦ τῆς θαλάσσης ἀναθυμιάματος, σφαιροειδῆ δὲ εἶναι τῷ σχήματι. Quod placitum non proprium fuisse Stoicorum, sed ab Heraclito repetitum, docuit Cel. Bakius in Libro De Posidonio pag. 66 qui omnino de hac re est consulendus.

---

(44) Conf. Cicero De Nat. Deor. Lib. II. cap. 15. « Sidera autem æthereum locum obtinent. » et Lib. II. cap. 40. « Restat ultimus et a domicilliis nostris altissimus, omnia cingens, et coërcens cœli complexus, qui idem æther vocatur, extrema ora et determinatio mundi, »

(45) Conf. J. Bakius V. C. in Libro De Posidonio p. 65. De iis quæ sequuntur vid. Cicero De Nat. Deor. Lib. II. cap. 18. sqq. cum Davisii et Fr. Creuzeri annotationibus.

De Lunâ hæc habet idem STOBÆUS Lib. I. Cap. XXVII. pag. 554. Χρύσιππος (τὴν σελήνην ἔφησεν) τὸ ἀθροισθὲν ἔξαμμα μετὰ τὸν ἥλιον, νοερὸν, ἐκ τοῦ ἀπὸ τῶν ποτίμων ὑδάτων ἀναθυμιάματος, διὸ καὶ τούτοις τρέφεσθαι· σφαιροειδῆ δὲ εἶναι (46). Μῆνα δὲ καλεῖσθαι τὴν τοῦ δρόμου αὐτῆς περίοδον. Μεῖς δ' ἐςὶ, φησὶ, τὸ φαινόμενον τῆς σελήνης πρὸς ἡμᾶς, ἢ σελήνη, μέρος ἔχουσα φαινόμενον πρὸς ἡμᾶς. Confirmat hoc Chrysippi placitum, ex parte saltem, DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 145: — γεωδεςέραν δὲ τὴν σελήνην, ... τρέφεσθαι δὲ ἐκ ποτίμων ὑδάτων, ἀερομιγῆ τυγχάνουσαν καὶ πρόσγειον οὖσαν. PLINIUS Hist. Nat. Lib. II. cap. 98. T. I. pag. 119. Harduin.: «Ferunt in dulcibus aquis Lunæ alimentum esse, sicut in marinis Solis.»

De Lunæ defectu IDEM l. l. pag. 560. Χρύσιππος ἐκλείπειν τὴν σελήνην τῆς γῆς αὐτῇ ἐπιπροσθούσης, καὶ εἰς σκιὰν αὐτῆς ἐμπιπτούσης. DIOGENES LAERTIUS l. l. de Stoicorum decretis: ἐκλείπειν τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν εἰς τὸ τῆς γῆς σκίασμα. CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 40. ibique a CREUZERO laud. LUCRETIUS De Rerum Nat. Lib. V. v. 462. Lunam vero a Sole lucem mutuari, jam antiquissimorum Philosophorum fuisse sententiam, docte nuper etiam demonstravit Cel. BAKIUS ad Cleomedis Circul. Doctr. pag. 462. Conf. IDEM in Libro De Posidonio pag. 73. sq.

Huc autem trahenda etiam videntur, quæ de origine et naturâ Fulminis, Tonitru, Fulguris, Typhonis, Presteris, e Chrysippi sententiâ exhibet STOBÆUS Eclogg. Lib. I. Cap. XXX. pag. 596. Χρύσιππος (sc. ἔφησεν) ἀςραπὴν, ἔξαψιν νεφῶν ἐκτριβομένων ἢ ῥηγνυμένων ὑπὸ πνεύματος, βροντὴν δὲ εἶναι τὸν τούτων ψόφον. Ἅμα δὲ γίγνεσθαι ἐν τῷ ἀέρι βροντήν τε καὶ ἀςραπὴν, πρότερον δὲ τῆς ἀςραπῆς ἀντιλαμβάνε-

---

(46) Conf. PLUTARCHUS De Placit. Philosophor. Lib. II. c. 14. p. 989. A. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 145. ibiq. MENAGIUS.

σθαι ἡμᾶς, διὰ τὸ τῆς ἀκοῆς ὀξυτέραν εἶναι τὴν ὅρασιν. Ὅταν δὲ ἡ τοῦ πνεύματος φορὰ σφοδροτέρα γένηται καὶ πυρώδης, κεραυνόν ἀποτελεῖσθαι· ὅταν δὲ ἄθρουν ἐκπέσῃ τὸ πνεῦμα καὶ ἧττον πεπυρωμένον, πρηστῆρα (47) γίγνεσθαι· ὅταν δέ τι ἧττον ἡ πεπυρωμένον τὸ πνεῦμα, τυφῶνα. Secutus erat in his Chrysippus Zenonem, qui iisdem fere verbis fulgur ac tonitru explicaverat; DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 153: — ἀστραπὴν εἶναι ἔξαψιν νεφῶν παρατριβομένων, ἢ ῥηγνυμένων ὑπὸ πνεύματος, ὡς Ζήνων ἐν τῷ περὶ ὅλου· βροντὴν δὲ τὸν τούτων ψόφον ἐκ παρατρίψεως ἢ ῥήξεως. Κεραυνὸν δὲ, ἔξαψιν σφοδρὰν μετὰ πολλῆς βίας πίπτουσαν ἐπὶ γῆς, νεφῶν παρατριβομένων ἢ ῥηγνυμένων. De Typhone aliam Stoicorum sententiam tradit DIOGENES LAERTIUS l. l. τυφῶνα δὲ, κεραυνὸν πολὺν, βίαιον καὶ πνευματώδη, ἢ πνεῦμα καπνῶδες, ἐῤῥωγότος νέφους. Conf. omnino PLUTARCHUS De Placitis Philosoph. Lib. III. cap. 3. pag. 893. D. — F. ubi variæ Veterum opiniones de his rebus exponuntur et eadem verba Stobæana ex parte leguntur. Add. quæ uberius disputavit MENAGIUS ad Diog. Laërt. Lib. VII. segm. 153. 154. pag. 323. sq. De differentiâ inter fulgura, tonitrua et fulmina, e Stoicorum mente, vid. CICERO De Divinat. Lib. II. cap. 19.

§. LXXXI.

ΠΕΡΙ ΚΙΝΗΣΕΩΣ.

Definitionem Motûs, Cursûs et Quietis a Chrysippo profectam suppeditat Jo. STOBÆUS Lib. I. pag. 404. Heer. Κίνησιν δ' εἶναί φησιν ὁ Χρύσιππος μεταβολὴν κατὰ τόπον ἢ ὅλῳ ἢ μέρει, ἢ μεταβολὴν ἐκ τόπου, ἢ

---

(47) De origine hujus vocis conferendus est CLAUD. SALMASIUS Exercitatt. Plinian. ad Solin. Tom. II. pag. 1013.

καθ' ὅλον ἢ κατὰ μέρος (48). Καὶ ἄλλως· κίνησιν μεταλλαγὴν κατὰ τόπον ἢ σχῆμα· φορὰν δὲ μετεώρου κίνησιν ὀξεῖαν, μονὴν δὲ τὸ μὲν οἷον ἀκινησίαν σώματος, τὸ δὲ οἷον σώματος σχέσιν κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως, νῦν τε καὶ πρότερον Πολλαχῶς δὲ λέγεσθαι τὴν κίνησιν καὶ τὴν μονήν, διὸ καὶ πολλοὺς καθ' ἕκαστον σημαινόμενον ἀποδίδοσθαι ὅρους. Τὰς δὲ πρώτους κινήσεις εἶναι δύο, τήν τε εὐθεῖαν καὶ τὴν καμπύλην· διὰ τούτων δὲ πολλαχῶς μιγνυμένων γίγνεσθαι πολλὰς κινήσεις καὶ διαφέρουσας. Apparet hinc Stoicos in definiendo Motu admodum diligentes fuisse, ut nimirum defenderent eum contra objectiones eorum, qui plane tollendum putabunt (τῶν στασιωτῶν) : quod intelligitur e SEXTO EMPIRICO Adv. Mathematt. Lib. X. Cap. II. segm. 45. sqq. qui simul varias definitiones affert atque refutat.

Quot libros de hoc argumento scripserit Chrysippus, non constat. Nam PLUTARCHUS e *Secundo* solum *Libro* duo nobis fragmenta servavit. De Stoicis Repugn. pag. 1053. E. « Τὸν ἀέρα » ποτὲ μὲν « ἀνωφερῆ καί κοῦφον εἶναί » φησι, ποτὲ δὲ « μήτε βαρύν, μήτε κοῦ- » φον. » Ἐν μὲν οὖν τῷ δευτέρῳ Περὶ Κινήσεως, « τό τε πῦρ ἀβαρὲς ὄν, ἀνω- » φερὲς (49) εἶναι λέγει, καὶ τούτῳ καραπλησίως τὸν ἀέρα, τοῦ μὲν ὕδατος » τῇ γῇ μᾶλλον προσνεμομένου, τοῦ δ' ἀέρος τῷ πυρί. » Ibidem pag. 1054. F. Ἀρκεῖ δὲ παραθέσθαι λέξιν ἐκ τοῦ δευτέρου Περὶ Κινήσεως· ὑπειπὼν γὰρ ὅτι, « τέλεον μὲν ὁ κόσμος σῶμά ἐστιν, οὐ τέλεα δὲ τὰ τοῦ κόσμου μέρη, τῷ » πρός τὸ ὅλον πως ἔχειν, καὶ μὴ καθ' αὑτὰ εἶναι· » καὶ περὶ τῆς κινήσεως αὐτοῦ διελθών, ὡς « ἐπὶ τὴν συμμονὴν καὶ τὴν συνοχὴν τὴν ἑαυτοῦ κινεῖσθαι

(48) Duo esse motûs genera (*ἀλλοίωσιν* et *φορὰν*, sic enim pro *περιφορὰν* legendum est ex Heindorfii conjecturâ) jam statuit PLATO Theætet. p. 181. C. D. Steph., ARISTOTELES tria, Physicor. Lib. VII. cap. 2. Conf. SEXTUS EMPIRICUS Adv. Mathematt. Lib. X. segm. 52. ibique FABRICIUS p. 642.

(49) Vox Aristotelea. Addendus est hic Chrysippi locus H. STEPHANI Thesauro L. Gr. T. IV. col. 84. A. B.

» διὰ τῶν μερῶν πάντων πεφυκότος, οὐκ ἐπὶ τὴν διάλυσιν καὶ τὴν θρύψιν, » ταῦτ' εἴρηκεν· « Οὕτω δὲ τοῦ ὅλου τεινομένου εἰς ταὐτὸ, καὶ κινουμένου, καὶ » τῶν μορίων ταύτην τὴν κίνησιν ἐχόντων ἐκ τῆς τοῦ σώματος φύσεως, πιθα- » νὸν πᾶσι τοῖς σώμασιν εἶναι τὴν πρώτην κατὰ φύσιν κίνησιν πρὸς τὸ τοῦ » κόσμου μέσον, τῷ μὲν κόσμῳ οὑτωσὶ κινουμένῳ πρὸς αὑτὸν, τοῖς δὲ μέρε- » σιν, ὡς ἂν μέρεσιν οὖσιν. » Est autem ἡ πρώτη κίνησις eadem atque ἡ ἐπὶ τὸ μέσον φορά, et a Stoicis ipsa Mundi conservatrix habebatur. Docte de hoc placito egit, nec Chrysippei loci oblitus, Cel. BAKIUS ad Cleomedis Circ. Doctrin. pag. 275. sq.

§. LXXXII.

ΠΕΡΙ ΚΕΝΟΥ.

De Loco et Vacuo Chrysippi sententiam his verbis exponit Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. I. pag. 390 et 392. Heer. « Τόπον δ' εἶναι » ὁ Χρύσιππος ἀπεφαίνετο, « τὸ κατεχόμενον δι' ὅλου ὑπὸ ὄντος, ἢ τὸ οἷον κατέ- » χεσθαι ὑπὸ ὄντος, καὶ δι' ὅλου κατεχόμενον εἴτε ὑπὸ τινὸς, εἴτε ὑπὸ τινῶν. » Ἐὰν δὲ τοῦ οἵου τε κατέχεσθαι ὑπὸ ὄντος τὶ μὲν κατέχεται, τὶ δὲ μὴ, τὸ ὅλον » οὔτε (50) κενὸν ἔσται οὔτε τόπος, ἕτερον δέ τι οὐκ ὠνομασμένον. (τὸ μὲν » γὰρ κενὸν τοῖς κενοῖς ἀγγείοις λέγεσθαι καραπλησίως, τὸν δὲ τόπον τοῖς πλή- » ρεσι). Χώραν δὲ, πότερον τὸ μεῖζον οἷόν τε κατέχεσθαι ὑπὸ ὄντος, καὶ οἷον

---

(50) In Codd. deest οὔτε: sed addendam esse hanc particulam, tacite significavit GUIL. CANTERUS, vertens: *totum ipsum nec vacuum nec locum* fore: eam ob caussam reprehensus ab HEERENIO, vulgarem lectionem defendente, pag. 392. At veram esse Canteri conjecturam cognoscere vir doctus poterat ex BALFOREI Animadversione ad Cleomedis Circular. Doctr. pag. 262: cujus viri sententiæ nuperrime etiam adstipulatus est Cel. BAKIUS ad Op. mem. p. 265.

» μεῖζον ἀγγεῖον σώματος, ἢ τὸ χωροῦν μεῖζον σῶμα (51); τὸ μὲν οὖν κενὸν » ἄπειρον εἶναι λέγεσθαι· τὸ γὰρ ἐκτὸς τοῦ κόσμου τοιοῦτ' εἶναι. Τὸν δὲ τόπον » πεπερασμένον, διὰ τὸ μηδὲν σῶμα ἄπειρον εἶναι. Καθάπερ δὲ τὸ σωματικὸν » πεπερασμένον εἶναι, οὕτως τὸ ἀσώματον ἄπειρον, ὅ, τε γὰρ χρόνος ἄπειρος » καὶ τὸ κενόν. Ὥσπερ γὰρ τὸ μηδὲν οὐδέν ἐστι πέρας, οὕτως καὶ τοῦ μηδενός, » οἷόν ἐστι τὸ κενόν. Κατὰ γὰρ τὴν αὐτοῦ ὑπόστασιν ἄπειρόν ἐστι· περατοῦται » δ' αὖ τοῦτο ἐκπληρούμενον· τοῦ δὲ πληροῦντος ἀρθέντος, οὐκ ἔστιν αὐτοῦ νο- » ῆσαι πέρας (52). » Vid. quæ de hâc materià nos plura disputavimus in Secundâ Dissertationis Parte, Cap. III. §. XXXII. quibus addatur uberior hujus rei expositio CLEOMEDIS Circular. Doctr. De Subl. Lib. I. cap. 1. pag. 1-14. BAKII, et hujus BALFOREIque Animadverss. ad h. l.

Exstat autem unus tantummodo locus PLUTARCHI, disertam continens hujus libri Chrysippei mentionem, De Communib. Notit. pag. 1031. F. Χρύσιππος δὲ βουλόμενος φιλοτεχνεῖν περὶ τὴν διαίρεσιν, ἐν τῷ Περὶ Κενοῦ.... φησί, « τὸ μὲν παρῳχημένον τοῦ χρόνου καὶ τὸ » μέλλον οὐχ ὑπάρχειν, ἀλλ' ὑφεστηκέναι, μόνον δὲ ὑπάρχειν τὸ ἐνεστηκός. Qua de re jam actum est supra Part. II. Cap. III. §. XXXIII. et in Fragmm. §. LXXX.

§. LXXXIII.

ΠΕΡΙ ΨΥΧΗΣ.

Laudatur Chrysippus in *Primo* hujus Operis *Libro*, a GALENO De Hippocr. et Plat. Decr. Lib. IV. Tom. I. pag. 275. lin. 54.

(51) Explicuit hæc BAKIUS ad Cleomedem l. l.

(52) Chrysippi hoc fuisse placitum, Inane et extra Mundum et infinitum esse, aperte etiam docet PLUTARCHUS De Stoic. Repugn. p. 1054. B. Ὅτι « τοῦ κόσμου κενὸν ἐκτὸς ἄπειρόν ἐστι, τὸ δ' ἄπειρον οὔτε ἀρχὴν οὔτε μέσον, οὔτε τε- » λευταῖον ἔχει, » πολλάκις ὑπ' αὐτοῦ λέγεται.

Basil: — ἐπιλαθόμενος ὧν αὐτὸς ἐν τῷ προτέρῳ τῷ Περὶ Ψυχῆς ἔγραψε, « τὸν » μὲν ἔρωτα τῆς ἐπιθυμητικῆς εἶναι δυνάμεως, τὸν δὲ χόλον τοῦ θυμοειδοῦς. » et in *Duodecimo* a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 50: « Διαφέρει » δὲ φαντασία καὶ φάντασμα. Φάντασμα μὲν γάρ ἐστι δόκησις διανοίας οἷα γί- » νεται κατὰ τοὺς ὕπνους· φαντασία δέ ἐστι τύπωσις ἐν ψυχῇ, τουτέστιν, ἀλ- » λοίωσις » ὡς ὁ Χρύσιππος ἐν τῇ δυωδεκάτῃ Περὶ Ψυχῆς ὑφίσταται. Conferendi sunt hac de Veterum loci quos supra jam attulimus Part. II. Cap. I. §. XXI.

Quæ autem De Animâ e Chrysippi doctrinâ erant dicenda, ea ex parte jam occupavimus Part. II. Cap. III. §. XLIII. Adjiciamus nunc fragmenta, quæ ad hoc cum maxime opus pertinere videntur, licet id nullo diserto Auctorum, unde depromta sunt, testimonio constet.

Ac primum quidem PLUTARCHUS dicit, De Stoicis Repugn. pag. 1052. F. placuisse Chrysippo, « τὴν ψυχὴν ἀραιότερον πνεῦμα τῆς » φύσεως καὶ λεπτομερέστερον » esse. Quod quidem ab Anaxagorâ videtur desumsisse, qui eam dicebat τὸ λεπτότατον τε πάντων χρημάτων καὶ καθαρώτατον. Vid. SIMPLICII Comment. in Physica Aristotelis pag. 33. b. coll. PLUTARCH. De Placitis Philoss. Lib. IV. cap. 3. p. 898. C. quamquam aliam fuisse Anaxogoræ, quam Chrysippi, sententiam, Simplicii illa verba explicans docuit CARUS De Anaxagoræ Cosmotheologiæ Fontibus p. 8. Conf. VALCKENARII Diatriba Euripidea pag. 40. B. C.

De Suum animâ nota est Chrysippi sententia e CICERONE De Nat. Deor. Lib. II. c. 64. init: « Sus vero quid habet, præter escam? cui quidem ne putisceret, animam ipsam pro sale datam esse dicit Chrysippus. » Quam in rem quæ collegeramus, ea omnia occupata jam esse videmus a CREUZERO V. C. ad hunc locum pag. 477. sq. Ejus igitur annotationem integram huc transfera-

mus: « Porphyrius De Abstin. III. 20. pag. 259. sq. ed. Rhoer.: Ἀλλ' ἐκεῖνο, νὴ Δία, τοῦ Χρυσίππου πιθανὸν ᾖ, ὡς ἡμᾶς αὐτῶν καὶ ἀλλήλων οἱ θεοὶ χάριν ἐποιήσαντο, ἡμῶν δὲ τὰ ζῶα, συμπολεμεῖν μὲν ἵππους, καὶ συνθηρεύειν κύνας, ἀνδρείας δὲ γυμνάσια παρδάλεις καὶ ἄρκτους καὶ λέοντας· ἡ δὲ ὗς, ἐνταῦθα γάρ ἐςι τῶν χαρίτων τὸ ἥδιςον, οὐ δι' ἄλλο τι πλὴν θύεσθαι ἐγεγόνει, καὶ τῇ σαρκὶ τὴν ψυχὴν ὁ θεὸς οἷον ἅλας ἐνέμιξεν, εὐοψίαν ἡμῖν μηχανώμενος. ubi vid. Rhoerii annot. ab eoque laudatum Rittershusium ad Porphyrii Vit. Pythagor. §. I. (pag. 8. b. ed. Kuster.). Clementis autem locus est Stromat. VII. pag. 718. B. Oxon. [pag. 304. extr. Sylb. pag. 718. C. Paris.] ubi jam Sylburgius Ciceroniani loci lectores admonuit (53). Atque illi viri docti vulgo laudant *ne putresceret*. Goerenzius autem in loco gemino De Finib. V. 13. extr. pag. 578. edidit: *ne putisceret*. Ceterum iis quæ ad Porphyrium apposuerunt viri docti, adde Athenæum Lib. IX. pag. 402. D. [Tom. III. pag. 488. Schweigh]. et Eustath. ad Odyss. XIX. 439. pag. 705. » Philonis locus a Davisio laudatus, ubi idem de piscibus dicitur, est De Opificio Mundi pag. 10. G. ed. Genev. pag. 14. A. B. Paris.

---

(53) Notandum tamen est, a Clemente non Chrysippo tribui hanc opinionem, sed Cleanthi. Verba autem hæc sunt: — *διὸ καὶ Κλεάνθης φησὶν ἀνθ' ἁλῶν αὐτοὺς (τοὺς ὗς) ἔχειν τὴν ψυχὴν, ἵνα μὴ σάπῃ τὰ κρέα.* Ne vero aut Clementem erroris accusemus aut a librario Chrysippi nomen cum Cleanthis permutatum esse credamus, facit locus Plutarchi Convival. Disputt. Lib. V. quæst. X. pag. 685. C: *τῶν Στωϊκῶν ἔνιοι τὴν ὗν σάρκα κρέα γεγονέναι λέγουσι, τῆς ψυχῆς, ὥσπερ ἁλῶν, παρεσπαρμένης ὑπὲρ τοῦ διαμένειν.* Ceterum verba *τὴν ὗν σάρκα κρέα* manifesto corrupta sunt, eaque alii aliter emendare studuerunt. Nobis maxime arridet Bacheti Meziriaci lectio: *τὴν ὗν σαρκὸς ἕνεκα*: sed exspectemus quæ ad h. l. monuerit Wyttenbachius in Animadversionibus, quarum posteriora volumina brevi, quod sciamus, e prelo Oxoniensi sunt proditura.

Ad Stoicorum de Partibus Animæ sententiam memorabilis est TERTULLIANI locus De Animâ Cap. XVI. pag. 273. B. ed. Paris. : « Dividitur anima in partes, nunc in duas a Platone, nunc in tres a Zenone, nunc in quinque et sex a Panætio, in septem a Sorano, nunc in octo penes Chrysippum, etiam in novem penes Apollophanem, sed et in decem apud quosdam Stoicorum et in duas amplius apud Posidonium .... Ita in alias ex aliis species dividunt animam. » Hinc intelligitur quæ a DIOGENE LAERTIO et PLUTARCHO Stoicis omnino tribuuntur eorum fuisse auctorem Chrysippum. Sic enim ille ait Lib. VII. segm. 110: φασὶ δὲ τὴν ψυχὴν εἶναι ὀκταμερῆ· μέρη γὰρ αὐτῆς, τά τε πέντε αἰσθητήρια, καὶ τὸ φωνητικὸν ὄργανον, καὶ τὸ διανοητικὸν, ὅπερ ἐςὶν αὐτὴ ἡ διάνοια· καὶ τὸ γεννητικόν· et Lib. VII. segm. 157: μέρη δὲ ψυχῆς λέγουσιν ὀκτὼ, τὰς πέντε αἰσθήσεις, καὶ τοὺς ἐν ἡμῖν σπερματικοὺς λόγους, καὶ τὸ φωνητικὸν, καὶ τὸ λογιστικόν: hic De Placit. Philosoph. IV. 4. pag. 898. E. Οἱ Στωϊκοὶ ἐξ ὀκτὼ μερῶν φασι συνεςάναι (sc. τὴν ψυχὴν), πέντε μὲν τῶν αἰσθητῶν, ὁρατικοῦ, ἀκουςικοῦ, ὀσφρητικοῦ, γευςικοῦ, ἁπτικοῦ, ἕκτου δὲ φωνητικοῦ, ἑβδόμου σπερματικοῦ, ὀγδόου αὐτοῦ τοῦ ἡγεμονικοῦ, ἀφ' οὗ ταῦτα πάντα ἐπιτέτακται διὰ τῶν οἰκείων ὀργάνων προσφερῶς ταῖς τοῦ πολύποδος πλεκτάναις. Conf. VARRO De Ling. Lat. Lib VIII. pag. 133. ed. Bipont. et omnino MENAGIUS ad Laërtii l. l. VII. 110. pag. 301.

De Principali Animæ parte (τῷ ἡγεμονικῷ) ita loquitur PLUTARCHUS l. l. cap. 21. pag. 903. A. B. Οἱ Στωϊκοί φασιν εἶναι τῆς ψυχῆς ἀνώτατον μέρος τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ ποιοῦν τὰς φαντασίας καὶ τὰς συγκαταθέσεις, καὶ αἰσθήσεις καὶ ὁρμάς· καὶ τοῦτο λογισμὸν καλοῦσιν. *Principatum* vertit CICERO De Nat. Deor. Lib. II. cap. 11. Idem *principale* vocat et *summum in animâ gradum* LACTANTIUS De Animâ Cap. XV. GALENUS De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. II. Tom. I. pag. 262. lin. 32. Basil. illud dicit τὸ λογιζόμενον τῆς ψυχῆς, monens Chrysippum, promiscue dixisse τὸ ἡγεμονικὸν, τὴν διάνοιαν et τὸ κύριον.

De Sede illius ἡγεμονικοῦ varias Philosophorum opiniones recenset PLUTARCHUS De Plac. Phil. pag. 899. A. οἱ Στωϊκοὶ πάντες, inquit, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, ἢ ἐν τῷ περὶ καρδίαν πνεύματι. Zenonis a Diogene Babylonio perscriptam et Chrysippi sententiam deinceps profert et dijudicat GALENUS De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. II. Tom. I. pag. 257. lin. 39. sqq. Basil. Stoicorum sententiam probabat, aut potius probare conabatur Chrysippus hac argumentatione: quod natura ipsa doceat mentis vim in corde esse; quoniam sponte homines cum de se loquantur, *Ego* pronuntiantes, manum cordi admoveant, et labia inferiora ad pectus demittant. Et ipsa Chrysippi verba, quibus usus erat in hac argumentatione, ex illius *Libro Primo* De Animâ servata sunt a GALENO De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. II. Tom. I. pag. 253. lin. 35. Basil. Ἃ δ' οὖν ὑπὲρ τῆς ἘΓΩ φωνῆς ἔγραψεν ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Ψυχῆς ὁ Χρύσιππος ὑπὲρ ἡγεμονικοῦ διαλεγόμενος, ἤδη παραγράψω γνωρίσματος ἕνεκα· « Οὕτως δὲ καὶ τὸ ἘΓΩ λέγομεν κατὰ τοῦτο, δεικ-
» νύντες αὑτοὺς ἐν τῷ ἀποφαίνεσθαι τὴν διάνοιαν εἶναι, τῆς δείξεως φυσικῶς,
» καὶ οἰκείως ἐνταῦθα φερομένης, καὶ ἄνευ δὲ τῆς κατὰ τὴν χεῖρα τοιαύτης
» δείξεως νεύοντες εἰς αὑτοὺς τὸ ἘΓΩ λέγομεν· εὐθὺς καὶ τῆς ἘΓΩ φωνῆς τοι-
» αύτης οὔσης, καὶ κατὰ τὴν ἑξῆς ὑπογεγραμμένην δεῖξιν συνεκφερομένης. Τὸ
» γὰρ ἘΓΩ προφερόμεθα κατὰ τὴν πρώτην συλλαβὴν κατασπῶντες τὸ κάτω
» χεῖλος εἰς αὑτοὺς δεικτικῶς, ἀκολούθως δὲ τῇ τοῦ γενείου κινήσει καὶ ἐπὶ τὸ
» στῆθος νεύσει· καὶ τῇ τοιαύτῃ δείξει ἡ ἑξῆς συλλαβὴ παράκειται, οὐδὲν ἀποστη-
» ματικὸν (Marg. Basil. ἐπιστημονικὸν) παρεμφαίνουσα, ὅπερ ἐπὶ τοῦ ἐκεῖνος
» συντέτευχε. » Ridet hoc loco Chrysippi argumentum Galenus, et magnam scriptionis partem in eo denuo refutando consumit, cum jam prius in opere Περὶ Ὀνομάτων Ὀρθότητος illud refutasset. IDEM ibid. pag. 253. lin. 32. Bas. Docet autem Galenus, in veritate exquirendâ neque exemplis neque poëtarum auctoritate, neque etymologiis esse nitendum, ut Stoici, et Chrysippus maxime, fecissent, sed ex ipsâ rei naturâ argumenta esse

repetenda. Pag. 253. lin. 23. et præcipue pag. 254. lin. 16: ἦν δὲ τὸ κεφάλαιον (sc. ὧν εἴπομεν), ὡς ἀπ' αὐτῆς χρὴ τῆς οὐσίας τοῦ ζητουμένου πράγματος ἐξευρίσκειν τὰ προσήκοντά τε καὶ οἰκεῖα λήμματα· καθάπερ ἐν τούτοις ἐν οἷς Χρύσιππός τε ἐπισκοπεῖται περὶ τοῦ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικοῦ τὸν τῆς οὐσίας λόγον εἰπόντας ὑπὲρ οὗ ζητοῦμεν πράγματος, ἐκείνῳ χρῆσθαι κανόνι τε καὶ σκοπῷ τῶν κατὰ μέρος ἁπάντων. Ἐςὶ δὲ τὸ ἡγεμονικὸν, ὡς αὐτοὶ βούλονται, τὸ κατάρχον αἰσθήσεώς τε καὶ ὁρμῆς. Οὔκουν ἄλλοθεν χρὴ δεικνύναι τὴν καρδίαν ἐν αὐτῇ τὸ ἡγεμονικὸν ἔχουσαν, ἢ ἐκ τοῦ πάσης μὲν τῆς καθ' ὁρμὴν κινήσεως ἐξηγεῖσθαι τοῖς ἄλλοις τοῦ ζώου μορίοις, ἅπασαν δὲ αἴσθησιν εἰς αὐτὴν ἀναφέρεσθαι· πόθεν οὖν τοῦτο δειχθήσεται; πόθεν δὲ ἄλλοθεν, ἢ ἐκ τῶν ἀνατομῶν; et ratione ejusdem argumentationis Chrysippeæ mox pag. 255. lin. 6: ὅπως χρὴ γνωρίζειν τε καὶ διακρίνειν ἐπιςημονικὰ λήμματα διαλεκτικῶν τε καὶ ῥητορικῶν καὶ σοφιςικῶν, οὐκέτι ἔγραψαν ἀξιόλογον οὐδὲν, οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον, οὔτε φαίνονται χρώμενοι. Conf. etiam LACTANTIUS De Oper. Dei XVI.

Ad libros Chrysippi De Animâ aliud hoc Fragmentum videtur esse referendum, quod, licet omisso libri titulo, transcripsit GALENUS De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. II. pag. 257. lin. 55: Βούλομαι δὲ καὶ τὸν τοῦ Χρυσίππου λόγον παραθέσθαι, τόνδε τὸν τρόπον ἔχοντα· « Εὔλογον δὲ εἰς ὃ γίγνονται αἱ ἐν τούτῳ σημασίαι καὶ ἐξ » οὗ λόγος, ἐκεῖνο εἶναι τὸ κυριεῦον τῆς ψυχῆς μέρος· οὐ γὰρ ἄλλη μὲν ἡ πη» γὴ λόγου ἐςὶν, ἄλλη δὲ διανοίας· οὐδὲ ἄλλη μὲν φωνῆς πηγὴ, ἄλλη δὲ λό» γου· οὐδὲ τὸ ὅλον ἁπλῶς, ἄλλη φωνῆς πηγὴ ἐςὶν, ἄλλο δὲ τὸ κυριεῦον τῆς » ψυχῆς μέρος. Τοιούτοις δὲ καὶ τὴν διάνοιαν συμφώνως ἀφοριζόμενοι, λέγου» σιν αὐτὴν πηγὴν εἶναι λόγου· τὸ γὰρ ὅλον, ὅθεν ὁ λόγος ἐκπέμπεται, ἐκεῖσε » δεῖ καὶ τὸν διαλογισμὸν γίγνεσθαι καὶ τὰς διανοήσεις καὶ τὰς μελέτας τῶν » ῥήσεων, καθάπερ ἔφην. Ταῦτα δὲ ἐμφανῶς περὶ τὴν καρδίαν γίγνεται, ἐκ τῆς » καρδίας διὰ φάρυγγος καὶ τῆς φωνῆς καὶ τοῦ λόγου ἐκπεμπομένων· πιθανὸν » δὲ καὶ ἄλλως εἰς ὃ ἐνσημαίνεται τὰ λεγόμενα, καὶ σημαίνεσθαι ἐκεῖθεν, καὶ » τὰς φωνὰς ἀπ' ἐκείνου γίγνεσθαι κατὰ τὸν προειρημένον τρόπον. » Quæ dein-

ceps impugnare conatur GALENUS pag. 258. sqq., maxime autem ipsius Chrysippi verbis quæ profert et explicat pag. 259. lin. 49. παραγράψω δὲ καὶ τὴν ῥῆσιν αὐτὴν ἐν ᾗ δείκνυσιν ὁ Χρύσιππος, ὡς οὐκ ἐςὶ ὁ προγεγραμμένος λόγος ἀποδεικτικός· ἔςι δὲ τοιάδε· « Ἔχει δ' ὡς ἔφην » πλείονα αὐτοῖς ἐπὶ πᾶσι μήποτ' εἰ καὶ τοῦτο δοθείη καθάπερ ἐπιπορεύοντα » ἀπὸ τῆς κεφαλῆς εἶναι τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὰ εἰρημένα μέρη ἐπιζητήσομεν· σχεδὸν » γὰρ οἷα ἄν τινα λέγοι περὶ τοῦ τὴν φωνὴν ἐκ τοῦ ςήθους φέρεσθαι διὰ τῆς » τοῦ φάρυγγος ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ποιᾶς τινος καταρχῆς γιγνομένης, τοιαῦτ' » ἔξεςι λέγειν, ἐν τῇ καρδίᾳ μὲν τοῦ ἡγεμονικοῦ ὄντος, τῆς δὲ τῶν κινήσεων » ἀρχῆς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς οὔσης. » Cujus loci sententiam vix assequeremur, nisi Galenus ipse continuo eam dilucidâ circumlocutione explanaret. Subtiliorem autem illius disceptationem instituit ibid. pag. 260. lin. 52. Ne vero dubitemus e libris Chrysippi De Animâ duos hoc locos esse desumtos, faciunt hæc GALENI verba iisque subjunctum tertium Chrysippi fragmentum ex eodem Opere: pag. 261. lin. 46: ἐγὼ μὲν δή μοι δοκῶ κελευθὲν ὑπὸ τοῦ Χρυσίππου πεπραχέναι ζητήσας, εἴτ' ἀπὸ καρδίας ἐγκεφάλῳ δύναμίς τις, εἴτ' ἀπ' ἐγκεφάλου τῇ καρδίᾳ χορηγεῖται. Χρύσιππος δ' αὐτὸς ὀλιγώρως ἐσχηκέναι φαίνεται περὶ τὴν τοῦ πράγματος ἔρευναν, ἰδὼν μὲν τὴν ὁδὸν ᾗ χρὴ τὸ ζητούμενον ἁλῶναι, μὴ χρησάμενος δὲ αὐτῇ. Μέμφομαι δ' αὐτῷ, καὶ διότι καθ' ἓν βιβλίον ἐναντία λέγειν ὑπέμεινεν, οὐκ ἀπὸ μακροῦ διαςήματος ἀλλήλων, ἔμπροσθεν μὲν ὡς ἀποδεικτικὸν γράψας τὸν τοῦ Ζήνωνος λόγον, ἐπὶ προήκοντι δὲ τῷ συγγράμματι δεικνὺς αὐτοῦ τὴν λύσιν. Εὑρίσκω δ' οὐχ ἥκιςα τὸν Χρύσιππον καὶ ἄλλας τινὰς ἐναντιολογίας ἐν αὐτῷ τούτῳ τῷ λόγῳ Περὶ τοῦ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικοῦ πεποιημένον. Ἐν ἀρχῇ γὰρ προειπὼν, ὡς τὰ μὲν ἄλλα μέρη τῆς ψυχῆς, ἐν οἷς ἐςι τοῦ ζώου μορίοις, ὁμολογεῖται· περὶ δὲ τοῦ ἡγεμονικοῦ μόνου ζητεῖται, διὰ τὸ μήτε αἴσθησιν ἐμφανῆ μηδεμίαν εἶναι αὐτοῦ, μήτ' ἐναργές τι τεκμήριον, ὀλίγον ὕςερον ὡς περὶ φαινομένου τοῦ μέρους διαλέγεται. Transcripta autem a Galeno *Chrysippi* verba, quibus hanc rem probare contendit, ita habent: « Οὕτω φαίνεται » διαφεύγειν ὁ τόπος ἡμᾶς, οὔτε αἰσθήσεως ἐμφανοῦς γιγνομένης, ὅπερ ἐπὶ τῶν

» λοιπῶν συντέτευχεν, οὔτε τῶν τεκμηρίων, δι' ὧν ἄν τις συλλογίσαιτο τοῦτο. » Οὐδὲ γὰρ ἂν οὐδ' ἐπὶ τοσοῦτον ἀντιλογίας προῆλθεν ἰατροῖς τε καὶ φιλοσό- » φοις. » Addit deinde GALENUS lin. 57: ταῦτα προειπὼν ὁ Χρύσιππος ἐφεξῆς φησὶν, ὡς ἅπαντες ἄνθρωποι τῶν τῆς διανοίας παθῶν αἰσθάνονται κατά γε τὸν θώρακα καὶ τὴν καρδίαν; quod colligit ex his ab eo allatis Chrysippi verbis: « Κοινῇ δέ μοι δοκοῦσιν οἱ πολλοὶ φέρεσθαι ἐπὶ τοῦθ' » ὡσανεὶ αἰσθανόμενοι περὶ τὸν θώρακα αὐτοῖς τῶν κατὰ τὴν διάνοιαν παθῶν » γιγνομένων, καὶ μάλιςα καθ' ὃν ἡ καρδία τέτακται τόπον, οἷον μάλιςα ἐπὶ » τῶν φόβων καὶ τῶν λυπῶν λέγω καὶ ἐπὶ τῆς ὀργῆς καὶ μάλιςα κατὰ τοῦ » θυμοῦ: » et mox pag. 262. lin. 5: « Ἡ γὰρ περὶ τὴν διάνοιαν γιγνο- » μένη ταραχὴ καθ' ἕκαςον τούτων αἰσθητῶς περὶ τοὺς θώρακας ἐςὶν, εἶτ' ἐφε- » ξῆς· τῆς μὲν γὰρ ὀργῆς γιγνομένης, ἐνταῦθα εὔλογον καὶ τὰς λοιπὰς ἐπιθυ- » μίας ἐνταῦθα εἶναι: » quibus addit Galenus: καὶ πάλιν ἐν τοῖς ἑξῆς τοῦ συγγράμματος, καὶ τὰ τῶν ὀγριζομένων πάθη, φησὶ, φαίνεται περὶ τὸν θώρακα γιγνόμενα καὶ τὰ τῶν ἐρώντων· καὶ λοιπὸν οὐκ ἔτι παύεται περὶ τῶν παθῶν διαλεγόμενος, ὡς ἔν τε τῷ θώρακι καὶ περὶ τὴν καρδίαν μάλιςα συνίστασθαι φαινομένων: et paucis interjectis, pag. 262. lin. 28. diserte dicit: ἐν τῷ βιβλίῳ τῷ πρώτῳ Περὶ Ψυχῆς Chrysippi nullam hujus rei demonstrationem reperiri.

Atque hæc sunt Chrysippi Fragmenta, quæ a GALENO in Libro Secundo De Hippocr. et Platon. Decret. adferuntur. Quæ in sequentibus libris reperiuntur cum plura sint quam ut, in hac temporis brevitate, apte a nobis digeri queant et adcuratius tractari, id solummodo agere constituimus ut, quo ordine a Galeno referuntur, eodem et ipsi ea huc transcriberemus. Et initio quidem Libri III. Tom. I. pag. 264. lin. 45. Basil. apponit alium Chrysippi locum e *Libro Primo* De Animâ, quo probare hic contenderit, Animæ primariam partem corde dumtaxat contineri (τὴν ἀρχὴν τῆς ψυχῆς ἐν τῇ καρδίᾳ μόνῃ περιέχεσθαι (54). Verba au-

(54) De verbis περιέχειν, συνέχειν et κατέχειν, Stoicis hac significatione maxime

tem ipsa hæc sunt: « Ἡ ψυχὴ πνεῦμά ἐςι σύμφυτον ἡμῖν συνεχὲς παντὶ » τῷ σώματι διῆκον ἔς' ἂν ἡ τῆς ζωῆς εἰς τρία (sic, haud dubie vitium » typographicum pro αἰτία) παρῇ ἐν τῷ σώματι. Ταύτης οὖν τῶν μερῶν » ἑκάςῳ διατεταγμένων μορίῳ, τὸ διῆκον αὐτῆς εἰς τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, φωνὴν » εἶναι, τὸ δὲ εἰς ὀφθαλμοὺς, ὄψιν, τὰ δὲ εἰς ὦτα, ἀκοὴν, τὰ δὲ εἰς ῥίνας, ὄσφρη- » σιν, τὸ δὲ εἰς γλῶτταν, γεῦσιν, τὸ δὲ εἰς ὅλην τὴν σάρκα, ἁφὴν, καὶ τὸ εἰς ὄρχεις, » ἕτερόν τιν' ἔχον τοιοῦτον λόγον σπερματικὸν, εἰς ὃ δὲ συμβαίνει πάντα ταῦ- » τα, ἐν τῇ καρδίᾳ εἶναι μέρος ὂν αὐτῆς τὸ ἡγεμονικόν. Οὕτω δὲ ἐχόντων αὐτῶν, τὰ » μὲν λοιπὰ συμφωνεῖται· περὶ δὲ τοῦ ἡγεμονικοῦ μέρους τῆς ψυχῆς διαφωνοῦ- » σιν, ἄλλοι ἐν ἄλλοις λέγοντες αὐτὸ εἶναι τόποις. Οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν θώρα- » κά φασιν εἶναι αὐτὸ, οἱ δὲ περὶ τὴν κεφαλήν. Κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ ταῦτα δια- » φωνοῦσι ποῦ τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ θώρακος ἐςὶν, οὐ συμφωνοῦντες αὐτοῖς. » Πλάτων δὲ καὶ τριμερῆ τὴν ψυχὴν φήσας εἶναι, τὸ μὲν λογιστικὸν ἔλεγεν » ἐν τῇ κεφαλῇ εἶναι, τὸ δὲ θυμοειδὲς περὶ τὸν θώρακα, τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν » περὶ τὸν ὄμφαλον. Οὕτω φαίνεται διαφεύγειν ὁ τόπος ἡμᾶς, οὔτ' αἰσθήσεως ἐκ- » φανοῦς γενομένης, ὅπερ ἐπὶ τῶν λοιπῶν συντετύχηκεν, οὔτε τῶν τεκμηρίων, » δι' ὧν ἄν τις συλλογίσαιτο τοῦτο. Οὐδὲ γὰρ ἂν ἀντιλογία ἐπὶ τοσοῦτον προ- » ῆλθεν, καὶ ἐν ἰατροῖς καὶ ἐν φιλοσόφοις. » Ad hæc monet Galenus, Chrysippi Librum Primum De Animâ bipartitum fuisse, et priori parte de Substantiâ Animæ eum egisse, posteriori ostendere studuisse illius Principatum in corde esse collocatum, hujusque partis initium verbis modo allatis contineri. Illum deinde reprehendit quod nec bene expositâ nec refutatâ Platonis sententiâ ad argumenta Philosopho indigna, testium auctoritatem et vulgi opinionem, confugiat, ita pergens: « Περὶ ὧν ἑξῆς » ζητήσομεν παραπλησίως ἀπὸ τῆς κοινῆς ὁρμώμενοι φορᾶς (55) καὶ τῶν κατὰ

---

usitatis consulenda est exquisita annotatio Cel. WYTTENBACHII ad BAKII V. Cl. librum De Posidonio Rhodio pag. 273. sqq.

(55) H. e. ἀπὸ τοῦ κοινῇ πᾶσιν ἀνθρώποις δοκοῦντος, ut explicat GALENUS l. l. lin. 12.

» ταύτην εἰρημένων λόγων· καὶ ἐπὶ τούτων ἱκανῶς ἐνηνέχθαι ἀπ' ἀρχῆς εἰς τὸ
» εἶναι τὸ ἡγεμονικὸν ἡμῶν ἐν τῇ καρδίᾳ. Κοινῇ δέ μοι δοκοῦσιν οἱ λοιποὶ φέ-
» ρεσθαι ἐπὶ τοῦτο, ὡσαγεὶ συναισθανόμενοι περὶ τὸν θώρακα αὐτοῖς τῶν κατὰ
» τὴν διάνοιαν παθῶν γιγνομένων, καὶ μάλιϛα καθ' ὃν ἡ καρδία τέτακται τό-
» πον, οἷον μάλιϛα ἐπὶ τῶν λυπῶν, καὶ τῶν φόβων, καὶ ἐπὶ τῆς ὀργῆς, καὶ
» μάλιϛα τοῦ θυμοῦ, ἐκ τῆς καρδίας ἀναθυμιωμένου καὶ ὠθουμένου ἐκτὸς ἐπί
» τινα καὶ ἐμφυσῶντος τὸ πρόσωπον καὶ τὰς χεῖρας γίγνεται ἡμῖν ἔμφασις. »
Tom. I. pag. 265. lin. 10-17. et ad confirmandam suam opinionem hosce laudans poëtarum versus :

Ὅς γε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρὸς ἐνὶ ϛήθεσσι ἀέξεται ἠΰτε καπνός (56).

et

Ὁ θυμὸς αὐτὸν τῶν φρενῶν ἐξῆρεν ἄνω.

item

Πηδῶν δ' ὁ θυμὸς ἔνδοθεν μαντεύεται.

aliosque generis ejusdem quibus tota scriptio sit referta. Hæc autem ait Galenus, nec Platonicis adversari nec probare quæ probanda fuissent, Animæ Principatum (τὸ ἡγεμονικὸν) in corde esse. Perperam enim Chrysippum ita concludere rationem : « τῆς
» μὲν ὀργῆς γιγνομένης ἐνταῦθα, εὔλογον καὶ τὰς λοιπὰς ἐπιθυμίας ἐνταῦθ' εἶ-
» ναι, καὶ νὴ Δία τὰ λοιπὰ πάθη, καὶ τοὺς διαλογισμοὺς, καὶ ὅσου τούτοις
» ἐϛὶ παραπλήσιον. » Pag. 265. lin. 43. Deinceps ostendit, qui plurimi a Chrysippo laudentur versus Homerici (57) et Hesiodei

(56) Homerus Iliad. XVIII. vss. 206. et 207.

(57) Ne, quod in Chrysippo Galenus reprehendit, nimiâ versuum copiâ sua scripta refersisse, ne igitur et ipsi in eamdem reprehensionem incurre-

(58), ex iis neutiquam quæ ipse voluisset, effici posse, eosque ipsos qui probabilitatis aliquam speciem habeant ab eo esse prætermissos (59), neque eum animadvertisse, eo minus fidei Homeri testimonio esse habendum, quod alii ejusdem poëtæ loci sententiæ ab ipso prolatæ aperte repugnent (60); idemque valere de Euripidis, Empedoclis, Tyrtæi aliorumque poëtarum locis, quos intempestive adhibuerit Chrysippus, quandoquidem effici ex iis possit, in cerebro potius esse Animæ Sedem quam in corde. Tom. I. pag. 265. lin. 45 — 267. lin. 51. Bas. Adfertur deinde Chrysippi locus sic se habens : « Παραβάλλουσι δὲ τοῖς εἰρη-
» μένοις καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν λεγομένων, οἷον τοὺς ἀσπλάγχνους, καθ' ὃ φαμὲν
» μὴ ἔχειν τινὰς ἐγκέφαλον καὶ ἔχειν. Οὕτως ἡμᾶς ὑπονοοῦντες λέγειν καὶ μὴ

---

remus, noluimus huc transcribere omnes a Galeno allatos poëtarum versus, quibus usus sit Chrysippus; satis esse existimantes illos aut memorasse tantum aut etiam, ubi visum fuerit, locos unde desumti sint indicasse. Qui igitur huc pertinent Homerici loci sunt Odysseæ XX. v. 13. XX. v. 17. De posteriori vid. Cel. WYTTENBACHIUS Annot. ad Platonis Phædonem pag. 242. item Iliad. X. v. 9 et 10. Iliad. IX. v. 645. Il. IV. v. 24. Il. I. v. 82. Il. XVIII. v. 108. aliique plurimi in quibus major minorve reperitur lectionis discrepantia.

(58) Ut:

Οἷον ἐνὶ στήθεσσι χόλον θυμαλγέ' ἔχουσα

aliique complures.

(59) Ut Iliad. XX. v. 20.

Ἔγνως, Ἐννοσίγαιε, ἐμὴν ἐν στήθεσι βουλὴν

item Odyss. XIII. v. 330. Odyss. XVII. v. 403. alios.

(60) Veluti Odyss. XX. vs. 17. et 18.

Στῆθος δὲ πλήξας, κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ·
Τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

» ἔχειν καρδίαν τινὰς καὶ ἔχειν, κατὰ τὰ προειρημένα, τῶν μὲν ἀσπλάγχνων
» τάχα λαμβανομένων κατὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ἔνδον συναλγοῦν καὶ τὰ ἐναντία,
» καὶ ἀπὸ τῆς καρδίας οὕτως αὐτῶν κοινότερον λεγομένων, τοῦ δ' ἐγκεφάλου
» λαμβανομένου, ἤτοι κατὰ τὰ αὐτὰ ὁμοίου τινὸς ὄντος, ἢ διὰ τὸ καὶ τοῦτον
» ἔχειν τινὰ κυρίαν τοῖς σπλάγχνοις ὁμοίαν.» Ibid. pag. 267. lin. 52-56. Bas. Cujus loci obscuritatem ex intempestivâ quadam et per fraudem quæsitâ brevitate profectam acerbius reprehendit Galenus, utcumque tamen explicare eum contendit et refellere sententiam quam inde elicuit. Tom. I. pag. 262. lin. 13. sqq. subjiciuntur alia Chrysippi argumenta, quæ his ipsius verbis continentur: « Τῆς μὲν οὖν ὀργῆς γιγνομένης ἐνταῦθα, εὔλογον καὶ τὰς
» λοιπὰς ἐπιθυμίας ἐνταῦθ' εἶναι, καὶ ἤδη τὰ λοιπὰ πάθη, καὶ τοὺς διαλογισ-
» μοὺς, καὶ ὅσα τούτοις ἐςὶ παραπλήσια. Σαινόμενοι δὲ φημῇ οἱ πολλοὶ τού-
» των, πολλὰ κατὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιλέγουσι τοιαῦτα ἐχόμενοι τῆς ῥηθείσης φο-
» ρᾶς. Πρῶτον μὲν γὰρ ἵνα πάντες ἐντεῦθεν ἄρξομαι, κατὰ τοῦτο φασὶν ἀνα-
» βαίνειν τινὰς τὸν θυμὸν καὶ καταπίνειν τὴν χολὴν τινὰς ἀξιοῦσι λέγοντες τε
» καταπίνεσθαι τινὰ αὐτοῖς σπαράγματα, καὶ μὴ παταπίνεσθαι κατὰ τὴν τοι-
» αύτην φορὰν λέγομεν· οὕτω δὲ λέγεσθαι, καὶ μηδὲν αὐτοῖς τούτων καταβαί-
» νειν, καὶ ὅτι καταπιὸν τὸ ῥηθέν. ἀπῆλθεν ὅ,τε Ζήνων πρὸς τοὺς ἐπιλαμβανομένους,
» ὅτι πάντα τὰ ζητούμενα εἰς τὸ ςόμα φέρειν, ἔφησεν, ἀλλ' οὐ πάντα καταπί-
» νεται, οὔτε τῆς καταπόσεως, ἄλλως ἂν οἰκειότερον λεγομένης, οὔτε τῆς κατα-
» βάσεως τῶν ῥηθέντων, εἰ μὴ περὶ τὸν θώρακα τὸ ἡγεμονικὸν ἡμῖν ἦν, εἰς
» ὃ ταῦτα πάντα φέρεται. Ἐν γοῦν τῇ κεφαλῇ ὄντος αὐτοῦ γελοίως ῥηθήσεται
» καὶ ἀλλοτρίως καταβαίνειν. ἀναβαίνειν δ' ἂν οἶμαι οἰκειότερον αὐτῶν λεγομέ-
» νων, καὶ οὐ καταβαίνειν τὸν προειρημένον τρόπον τῆς κατὰ τὴν ἀκοὴν αἰσ-
» θήσεως καταφερομένης περὶ τὴν διάνοιαν, ἐὰν ᾖ περὶ τὸν θώρακα, οἰκείως
» κατάβασις ῥηθήσεται· ἐὰν δὲ περὶ τὴν κεφαλὴν, ἀλλοτριώτερον.» Tom. I. pag. 269. lin. 24-35. Basil. et mox ita continuatur. « Αἱ δὲ γυναῖ-
» κες καὶ μᾶλλόν τι τούτων ἐμφαίνουσιν· εἰ γὰρ μὴν καταβαίνει αὐταῖς τὰ
» λεγόμενα, πολλάκις τὸν δάκτυλον κατάγουσιν ἑὼς τοῦ κατὰ τὴν καρδίαν τό-
» που, οὐ φάσκουσαι, καταβαίνειν ὧδε τὰ εἰρημένα.» Pag. eâd. lin. 41-43.

Huc pertinet aliud fragmentum inferius alio a GALENO allatum, pag. 269. lin. 57. sq.: « τούτοις δ' ἀκολούθως ἀνεμεῖν τέ τινας φαμὲν τὰ » φανέντα αὐτοῖς, καὶ ἔτι τὸν βαθὺν λέγομεν πολλῶν τοιούτων συμφώνως τοῖς » εἰρημένοις, καταπιόντες γὰρ ὅμοιον εἰπεῖν ὅτι ἡμέρα ἐςὶ, καὶ ἐναποθέμενοι » τοῦτο εἰς τὴν διάνοιαν, καὶ πάλιν ἐκεῖνο λέγοντες ὅτι οὐκ ἐςὶν ἡμέρα μενόν- » των τῶν πραγμάτων, οὐκ ἀλλοτρίως οὐδ' ἀνοικείως ἀνεμεῖν λέγονται τοῦτο, » τὸ ἀνεμεῖν. » ac deinde quæ apud Galenum his præcedunt, et sic habent: « Ἀφ' ἧς τε φορᾶς λέγομεν μὴ καταβαίνειν τὰ λεγόμενα, εἴτε » ἀπειλὰς, εἴτε λοιδορίας, ὥστε καθικέσθαι καὶ ἅπτεσθαι αὐτῶν, καὶ οὕτως » κινεῖσθαι τὴν διάνοιαν. Ἀπὸ τῆς φορᾶς ταύτης καὶ βαθείας τινὰς φαμὲν εἶναι, » τὸ διὰ μηδὲν τῶν τοιούτων ἐφικνεῖσθαι καταβῆναι αὐτῶν. » L. l. pag. 269. lin. 49—51.

Atque hæc omnia cum idoneis rationibus impugnasset Galenus et quæ supra dixerat de Voce et Manuum admotione leviter tetigisset, subjicit quæ Chrysippus in eodem Libro Primo De Animâ de Cordis Etymologiâ scripserat in hunc modum: « Τούτοις πᾶσι » συμφώνως καὶ τοὔνομα τοῦτ' ἔσχηκεν ἡ καρδία κατά τινα κράτησιν, καὶ κυρείαν » ἀπὸ τοῦ ἐν αὐτῇ εἶναι τὸ κυριεῦον καὶ κρατοῦν τῆς ψυχῆς μέρος (61) ὡς ἂν κρατία » λεγομένη, τὸ μὲν ὡς πρὸς τὴν ζωὴν ἡμῶν κυριώτατον εἶναι τὸ σπλάγχνον. » Tom. I. pag. 270. lin. 23 — 30. et mox: « Ὁρμῶμεν κατὰ τοῦτο τὸ μέρος καὶ » συγκατατιθέμεθα τούτῳ, καὶ εἰς τοῦτο συντείνει τὰ αἰσθητήρια πάντα. » Ibid. pag. 271. lin. 33. sq. Quod cum neque a Chrysippo esset probatum et a Galeno jam in superioribus refutatum, continuo additur aliud fragmentum, unde cognoscatur, ipsum sibi Chrysippum contradixisse, quippe ea proferentem quibus adversariorum potius quam ipsius sententia nitatur. Verba ipsa, quæ leguntur

(61) Addi hæc possunt iis quæ dedit Cel. WYTTENBACHIUS ad Plutarchi librum De Serâ Numinis Vindictâ pag. 123.

l. l. pag. 271. lin. 43-46. hæc sunt: « Κατὰ τοῦτο καὶ εὐκάρδιοι λέ-
» γονταί τοι εἶναί τινες καθάπερ εὔψυχοι, καὶ καρδίαν ἀλγεῖν οἱ κηδόμενοί τι-
» νων, ὡς ἂν κατὰ τὴν καρδίαν τῆς κατὰ τὴν λύπην ἀλγηδόνος γιγνομένης. »
quæ hisce mox excipiuntur, lin. 51: « τὸ γὰρ ὅλον, καθάπερ ἐν ἀρχῇ
» εἶπον, εὖ μάλ' ἐμφαίνουσιν οἵ τε φόβοι καὶ αἱ λῦπαι κατὰ τοῦτο τὸ μέρος
» γιγνόμεναι. » et lin. 54: « ἥ τε γὰρ ἐν τοῖς φόβοις πάλσις τῆς καρδίας ἐμ-
» φανής ἐςι, καὶ ἡ εἰς τοῦτο τῆς ὅλης ψυχῆς συνδρομή. οὐκ ἄλλως ἐπιγεννη-
» ματικῶς γιγνομένων αὐτῶν, καθάπερ ἄλλοις ἄλλου συμπάσχειν πεφυκότος,
» καθὸ καὶ συνιζάνουσιν εἰς αὐτοὺς συναγόμενοι πρὸς τοῦτο, ὡς ἂν τὸ ἡγεμονικὸν
» καὶ κατὰ τὴν ὡς ἂν αὐτῶν τούτου φυλακτικήν. καὶ τὰ τῆς λύπης πάθη ἐν-
» ταυθοῖ που εὐφυῶς γίγνεται, οὐδενὸς ἄλλου συμπάσχοντος οὐδὲ συναλγοῦντος
» τόπου. ἀλγηδόνων γάρ τινων κατὰ ταῦτα γιγνομένων σφοδρῶν, ἕτερος μὲν
» οὐδεὶς ἐμφαίνει τόπος τὰ πάθη ταῦτα, ὁ δὲ περὶ τὴν καρδίαν μάλιστα. »
Ostendit deinceps Galenus, Platonis potius et Hippocratis sententiam esse probandam, Principatum Animæ in cerebro collocantium, Chrysippumque perperam illa sumsisse tantummodo nec ullam aut demonstrationem aut suasionem aut probabilitatem adjunxisse; et ad firmandum hoc suum judicium aliud addit Chrysippi Fragmentum ex eodem libro: « Ἀτόπως
» οὖν αὐτὸ κατὰ ταῦτα ἐξαχθησόμενον, ἐάν τε μὴ φῶσι τὴν λύπην καὶ τὴν
» ἀγωνίαν ἀλγηδόνας εἶναι, ἐάν τε ἀλγηδόνας ἐν ἄλλῳ γίνονται τόπῳ ἢ τῷ ἡγε-
» μονικῷ. Τὰ δὲ αὐτὰ καὶ ἐπὶ τῆς χαρᾶς καὶ ἐπὶ τοῦ θάρσους ἐροῦμεν, ἅπερ
» ἐμφαίνει περὶ τὴν καρδίαν γινόμενα. Ὃν τρόπον γὰρ ὅταν τὸν πόδα πονῶμεν
» ἢ τὴν κεφαλὴν, περὶ τούτους τοὺς τόπους ὁ πόνος γίνεται, οὕτως συναισθα-
» νόμεθα καὶ τῆς κατὰ τὴν λύπην ἀλγηδόνος περὶ τὸν θώρακα γινομένης, οὔτε τῆς
» λύπης οὐκ οὔσης ἀλγηδόνος, οὔτε ἐν ἑτέρῳ τινὶ τόπῳ ἢ τῷ ἡγεμονικῷ αὐτῆς γινο-
« μένης. » L. l. pag. 271. lin. 31—35. Ad hæc docet Galenus, dolores neutiquam effici posse in principali Animæ parte, sed a Chrysippo varias Animæ partes male inter se confundi, et interruptam illius orationem ita continuat: « Καθ' ἣν ἔτι φορὰν καὶ τὰ τοι-
» αῦτα λέγεται πάντα· Ἠψάμην σου τῆς καρδίας ὥσπερ τῆς ψυχῆς, καὶ Ἀπ-

» τομαι τῆς καρδίας, λέγομεν, οὐχ ὡς ἀντιπαρέλθοιέν τινες ἡμᾶς ἐπι τοῦ ἐγ- » κεφάλου καὶ τῶν σπλάγχνων λέγοντες καὶ τοῦ ἥπατος, ἀλλὰ τοῖς προειρημένοις » παραπλησίως. Ἐκεῖνα γάρ μοι δοκεῖ λέγεσθαι, ὡς ἄν τις ἔφη, τῶν ἐντός σου » ἅπτομαι διϊκνουμένης τῆς κακοποιΐας ἐπὶ τοσοῦτον, τῇ δὲ καρδίᾳ καθάπερ » ἂν τῇ ψυχῇ χρώμεθα. » L. l. pag. 272. lin. 14-17. et statim lin. 22. sqq. « Κατὰ τοιάνδε μοι δοκοῦσι μάλιστα φορὰν καὶ οἱ τιμωρητικώτερον πρός » τινας φερόμενοι ὁρμᾷν ἐπὶ τὸ ταύτην (h. e. τὴν καρδίαν) ἐκσπᾶσαι, καθ' ἣν » φορὰν ἐπιτείνοντες καὶ πρὸς τὰ λοιπὰ τῶν σπλάγχνων ὁμοειδῶς φέρονται. » item lin. 30. sq. « καὶ τὰ τῶν ὀργιζομένων δὲ πάθη περὶ τὸν θώρακα φαί- » νεται γιγνόμενα, καὶ τὰ τῶν ἐρώντων, ὥστε καὶ τὴν ἐπιθυμίαν μάλιστα γίνεσ- » θαι περὶ τούτους τοὺς τόπους. » et lin. 43. sqq. « εὖ μάλα δὲ περιστᾶσι » τὸ λεγόμενον, ὡς ἔφην, καὶ αἱ ἐν αὐτοῖς γινόμεναι μελέται καὶ ῥήσεων καὶ » τῶν παραπλησίων. Ἐν ᾧ γὰρ ταῦτα πάντα συνελεῖται, πάντως εὔλογον ἐν ἐκεί- » νῳ καὶ τὴν τοῦ λόγου διέξοδον γίνεσθαι, καὶ λέγειν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι κατ' » ἐκεῖνο. » ac denique pag. 273. lin. 5. sq. « Οἰκείως δὲ τούτῳ καὶ οἱ » στεναγμοὶ ἐντεῦθεν προΐενται »: Quæ omnia quam levia sint, fusius demonstrat Galenus, et hæc subjungit Chrysippi verba: « Ὁ δὲ » ποιητὴς πλεονάζων ἐν τούτοις διὰ πολλῶν παρίστησιν, ὅτι καὶ τὸ λογιστικὸν » καὶ τὸ θυμοειδὲς περὶ τοῦτον ἐστὶ τὸν τόπον, συνάγων ὡς ταὐτὸν αὐτὰ καθά- » περ καὶ δεῖ ποιῆσαι. » Pag. 273. lin. 12. Homericum locum quem voluerat Chrysippus, hîc omittens Galenus reliqua orationis continuo addit: « Ὅτι δὲ καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν ἐνταῦθα, διὰ τούτων ἐμ- » φαινει·

Οὐ γὰρ πώποτε μ' ὧδε θεᾶς ἔρος οὐδὲ γυναικός,
Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι περιπροχυθεὶς ἐδάμασσεν (62)

» Ὅτι δὲ τὸ θυμοειδὲς ἐνταῦθά που ἐστὶ, τὰ τοιαῦτα ἐμφαίνει πλείονα ὄντα·

(62) Homeri Iliad. XIV. v. 315. sq.

Ἥρῃ (63) δ' οὐκ ἔχαδε ςῆθος χόλον, ἀλλὰ προσηύδα (64).
Καὶ χόλος, ὅς' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι (65).

Loc. laud. lin. 16. sqq. Eumdem locum exiguâ differentiâ Galenus denuo laudat et Homericos versus hîc omissos addit infra Lib. IV. pag. 275. lin. 24. ἔχουσι δὲ αἱ ῥήσεις ὧδε· « Ὁ δὲ ποιητὴς πλε» ονάζων ἐν τούτοις διὰ πολλῶν παρίςησιν, ὅτι καὶ τὸ λογιςικὸν καὶ τὸ θυ» μοειδὲς περὶ τοῦτον ἐςὶ τὸν τόπον, συνάπτων εἰς ταὐτὸν καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, » καθάπερ καὶ ἔδει ποιῆσαι. » εἶτα ἐπιφέρων φησί· « Ὅτι μὲν γὰρ τὸ λογιςι» κόν ἐςιν ἐνταῦθα, διὰ τούτων ἐμφαίνεται·

Ἄλλο δ' ἐνὶ ςήθεσσι νόος καὶ μῆτις ἀμύμων (66).
Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ ςήθεσσιν ἔπειθεν (67). »

εἶτ' ἐφεξῆς ἔπη παραθέμενος, πλείω μετὰ ταῦτα φησίν κ. τ. λ. Sequitur deinde longior hic Chrysippi locus, quo occurrere solebat iis qui, eo

(63) Ita legimus cum F. A. Wolfio pro Ἥρη, quæ est lectio vulgaris. Conf. Ejus Præfatio novæ Editionis Homer. pag. XLV.

(64) Iliad. IV. v. 24.

(65) Iliad. XVIII. v. 108. Alii consimiles versus eam in rem laudari a Chrysippo solebant, quorum nonnullos profert Galenus infra Lib. V. pag. 275. lin 30. sq. Bas.

(66) Hunc versum, qualis hic exhibetur, frustra quæsivi in Homericis Poëmatis. Sed νόος ἐνὶ ςήθεσσι reperitur certe Odyss. XX. v. 366.

(67) Odyss. VII. v. 258. quo versu usus est etiam Cicero Epistol. ad Familiar. Lib. XIII. ep. 15. Integer fere repetitus est idem Odyss. XXIII. v. 337.

quod Minerva e Jovis capite orta esset, probare contenderent, Animæ Principatum non corde sed capite contineri: a pag. 273. lin. 28. — pag. 274. lin. 11. « Ἀκούω δή τινας λέγειν παραμυθουμένους » πρὸς τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ εἶναι τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς μέρος. Τὸ γὰρ τὴν Ἀθη- » νᾶν μῆτιν οὖσαν καὶ οἷον φρόνησιν ἐκ τῆς κεφαλῆς γενέσθαι τοῦ Διὸς, σύμβο- » λον φασὶν εἶναι τοῦ ταύτῃ τὸ ἡγεμονικὸν εἶναι· οὐ γὰρ ἄλλως ἂν ἐν τῇ κεφα- » λῇ γενέσθαι μῆτιν καὶ φρόνησιν, εἰ μὴ τὸ ἡγεμονικὸν ἐν ταύτῃ ἐςί· πιθανοῦ » μέν τινος ἐχόμενοι, διαμαρτάνοντες δ' ὡς ἐμοὶ φαίνεται, καὶ ἀγνοοῦντες τὰ » περὶ τούτων ἱςορούμενα, περὶ ὧν οὐ χεῖρον ἐςὶν ἐπὶ πλέον εἰπεῖν ἐν τοῖς ἐνε- » στῶσι ζητήμασι. Φασὶ δ' οἱ μὲν οὕτως ἁπλῶς ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς αὐτὴν » γενέσθαι, οὐδὲ προσιστοροῦντες τὸ πῶς ἢ κατὰ τίνα λόγον· ὁ δὲ Ἡσίοδος » ἐπὶ πλέον λέγει ἐν ταῖς θεογονίαις τινῶν μὲν ἐν τῇ θεογονίᾳ γραφόντων τὴν » γένεσιν αὐτῆς· πρῶτον μὲν Μήτιδι συγγενομένου τοῦ Διὸς, δεύτερον δὲ Θέμι- » δι· τινῶν δὲ ἐν ἑτέροις ἄλλως γραφόντων τὴν γένεσιν αὐτῆς· ὡς ἄρα γενομένης » ἔριδος τῷ Διῒ καὶ τῇ Ἥρᾳ, γεννήσειεν ἡ μὲν Ἥρα δι' ἑαυτῆς τὸν Ἥφαιςον, » ὁ δὲ Ζεὺς τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς Μήτιδος καταποθείσης ὑπ' αὐτοῦ. Ἡ μὴν γὰρ » εἰς αὐτὸν κατάποσις τῆς Μήτιδος, καὶ ἔνδον τοῦ Διὸς τῆς Ἀθηνᾶς γένεσις » κατ' ἀμφοτέρους τοὺς λόγους ἐςίν· διαφέρουσι δ' ἐν τῷ, πῶς ταῦτα συνετε- » λέσθη πρὸς τὸν ἐνεςῶτα λόγον, ὅθεν ὡς ὄντος τοιούτου· (sic Editio Basileensis. Sed corruptela in his verbis videtur inesse, quam probabile est in Charterianâ Editione, frustra in pluribus Bibliothecis a me quæsitâ, esse sublatam. Idem et de sequentibus dictum sit et de aliis Chrysippi locis e Basileensi Editione descriptis, quæ editio vitiis typographicis scatet.) Τὸ γὰρ » κοινὸν ἐν αὐτοῖς ὑπάρχον μόνον χρήσιμόν ἐςι πρὸς τὰ ἐνεστῶτα. Λέγεται » δ' ἐν μὲν τῇ Θεογονίᾳ οὕτω·

Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρώτην ἄλοχον θέτο Μῆτιν,
Πλεῖςα θεῶν εἰδυῖαν ἰδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἤμελλε θεὰν γλαυκῶπιν Ἀθήνην
Τέξεσθαι, τότ' ἔπειτα δόλῳ φρένας ἐξαπατήσας

Αἰμυλίοισι λόγοισιν ἑὴν ἐγκάτθετο νηδύν (68).
Ὡς δ' οἱ συμφράσσαιτο θεὰ ἀγαθόν τε κακόν τε (69).

» εἶτα προελθὼν φησὶν οὕτως·

Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα γείνατ' Ἀθήνην (70),
Δεινὴν, ἐγρεκύδοιμον, ἀγέςρατον, ἀτρυτώνην,
Πότνιαν, ᾗ κελαδοί τε ἅδον, πολεμοί τε μαχαί τε (71):

» Στήθεσι γὰρ αὐτοῖς ἔνδον εὔδηλον ὅτι ἀπέθετο τὴν Μῆτιν, καὶ οὕτως φησὶν
» αὐτὴν γεννῆσαι κατὰ τὴν κεφαλήν· ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα πλείω διεληλυθό-
» τος αὐτοῦ, τοιαῦτ' ἐςὶ τὰ λεγόμενα·

Ἐκ ταύτης ἔριδος ἡ μὲν τέκε φαίδιμον υἱὸν
Ἥφαιςον τέχνῃσιν ἄνευ Διὸς αἰγιόχοιο,
Ἐκ πάντων παλάμῃσι κεκλημένος οὐρανιόων (sic).
Αὐτὰρ ὅγ' Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος ἠϋκόμοιο
Κάρην νοσφ' Ἥρας παρεδέξατο καλλιπαρῄου,
Ἐξαπατῶν Μῆτιν καίπερ πολὺ δινεύουσαν,
Συμμάρψας δ' ὅγε χερσὶν, ἑὴν ἐγκάτθετο νηδύν·
Δείσας μὴ τέξῃ κρατερώτερον ἄλλο κεραυνοῦ·

---

(68) Hesiodus Deorum Generat. v. 886. sqq.

(69) Ibid. v. 900.

(70) Editiones habent *γλαυκώπιδα Τριτογένειαν*. Sed semel hoc loco monuisse sufficiat, in exscribendis versibus minores lectionis discrepantias diligenter usque memorare operæ pretium nos non existimasse.

(71) Hesiodus Deor. Generat. v. 294. sqq.

Τοὔνεκά μιν Κρονίδης ὑψίζυγος αἰθέρι ναίων
Κάππιεν ἐξαπίνης· ἡ δ' αὐτίκα Παλλάδ' Ἀθήνην,
Κύσατο, τὴν μὲν ἔτικτε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Πὰρ κορυφὴν Τρίτωνος ἐπ' ὄχθησι ποτάμοιο.
Μῆτις δ' αὖτε Ζηνὸς ὑπὸ σπλάγχνοις λελαθυῖα (sic)
Ἧστο Ἀθηναίη μήτηρ τέκτηνα δικαίων,
Πλεῖςα θεῶν εἰδυῖα κατὰ θνητῶν τ' ἀνθρώπων.
Ἔνθα θεὰ παρέλεκτο Θέμις παλάμαις περὶ πάντων
Ἀθανάτων ἐκέκαστο Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν.
Αἰγίδα ποιήσασα βοφέςρατον ἐντὸς Ἀθήνη (sic).
Σὺν τῇ ἐγείνατό μιν πολεμήϊα τεύχε' ἔχουσαν (72).

» Τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς λεγόμενα τοιαῦτα ἐςὶν, ἄλλου τινὸς συμβόλου » ποιοῦντ' ἔμφασιν. Πρῶτον μὲν γὰρ ἡ Μῆτις λέγεται ὡσανεὶ τις φρόνησις, καὶ » περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον τέχνη, ἣ τὰς τέχνας δεῖ καταπίνεσθαι καὶ ἐναποτί- » θεσθαι, καθ' ὃν λόγον καὶ τὰ λεγόμενά τινας καταπίνειν φαμέν. Διὰ δὲ τὴν » κατάποσιν συνηκολουθηκότως λέγεται καὶ εἰς τὴν κοιλίαν ἀποτίθεσθαι αὐτά· » μετὰ ταῦτα τὴν καταποθεῖσαν τοιαύτην τέχνην τίκτειν εὔλογον ἐν αὐτὸ (sic) » παραπλησίαν τῆς τικτούσης μητρός· πρός τε τούτοις, τὰ ὑπὸ τῶν ἐπιςημο- » νικῶν τικτόμενα ἐν αὐτοῖς. Πῶς δ' ἂν ἐκπορεύοιτο, καὶ διὰ τίνος μάλιςα, » πάρεςι σποπεῖν. Φανερὸν γὰρ ὅτι λόγῳ ἐκφέρεται διὰ τοῦ ςόματος κατὰ τὴν » κεφαλὴν, ἐξ' ἴσου οὕτως τῆς κεφαλῆς λεγομένης, ὃν τρόπον προβάτου κεφα- » λὴ λέγεται· καὶ τὰς κεφαλὰς ἀφαιροῦσι τινῶν, καθ' ὃν λόγον παραγινόμενον » καὶ ἐκ τῆς κορυφῆς λέγεται γενέσθαι τῶν τοιούτων παραλλαγῶν κατὰ σύμβο- » λον γινομένων πλειόνων. Καὶ χωρὶς δὲ τῆς ἱςορίας ταύτης ἀπ' αὐτοῦ μόνον » τοῦ γενέσθαι ταύτην κατὰ τὴν κεφαλὴν τὰ παραπλήσιά τις λέγοι. Οὐ γὰρ ἐν » τῇ κεφαλῇ φησὶν αὐτὴν γενέσθαι, εἰ μή τινες διαςρέφοντες ἢ παραλλάττοντες

---

(72) Hos igitur versus et ipsos Hesiodo tribuit Chrysippus. Equidem eos in Hesiodeis Carminibus, adhuc in lucem editis, frustra quæsivi.

» τὸν λόγον ἐξελθεῖν ταύτῃ γινομένην, ἀλλ' ὡς ἐρεῖντο (sic), ὥστε μᾶλλον καὶ » τοῦτο σύμβολον πρὸς τὸν ἕτερον εἶναι ὡς ἔφην. Τὰ γὰρ ἐν αὐτοῖς γινόμενα » τεχνικὰ κατὰ τὴν κεφαλὴν ἐξιόντα μάλιστα, ἀποσημαίνει τὸν προειρημένον » λόγον. »

Et hactenus quidem oratio Chrysippi: quam obscuram sane et perplexam, paucioribus verbis ita interpretatur Galenus ut, quid sibi voluerit Philosophus cum verbosâ istâ et diffusiori disputatione, facilius possit intelligi : deinde ex consuetudine suâ eum reprehendit, tum quod rem de qua quæratur leviter præterierit, tum quod solis poëtarum aliisque similibus testimoniis nitatur; quod quidem a dignitate Philosophi, cui una veritatis inquisitio sit proposita, omnino abhorreat. Totum vero hunc locum in suum usum convertit et explicuit Cel. CREUZERUS, Symbol. et Mytholog. Veterum Populorum, Edit. altera, Lips. 1820. Tom. II. pag. 763. sq.

§. LXXXIV.

ΠΕΡΙ ΕΝΥΠΝΙΩΝ.

Hujus libri notitia uni CICERONI debetur, De Divinat. Lib. I. cap. 3: « Accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno præterea de oraculis, uno De Somniis.» Nam in LACTANTII loco quem huc traxit Menagius, De Falsâ Religione Lib. I. cap. 6. T. I p. 24. ed. Dufresnoy, non De Insomniis opus Chrysippi, sed De Divinatione tantum laudatur. In Ciceronis autem loco meliores editiones omnes exhibent De Somniis, non De Insomniis, ut perperam legit Menagius, indeque effecit Chrysippi fuisse librum Περὶ Ἐνυπνίων. Inscriptio illius fuisse potius videtur Περὶ Ὀνείρων,

siquidem vera est horum verborum a MACROBIO data interpretatio, Comm. in Somn. Scipionis Lib. I. cap. 3. p. 7. sq. ed. Steph.: « Omnium, quæ videre sibi dormientes videntur, quinque sunt principales et diversitates et nomina: aut enim est ὄνειρος secundum Græcos, quod Latini Somnium vocant; aut est ὅραμα, quod Visio recte appellatur; aut est χρηματισμός, quod Oraculum nuncupatur; aut est ἐνύπνιον, quod Insomnium dicitur; aut est φάντασμα, quod Cicero, quoties opus hoc nomine fuit, Visum vocavit. » E Chrysippi forsitan opere ducta sunt quæ habet LACTANTIUS De Opif. Dei Cap. XVIII. extr. T. II. pag. 120: « Dormiendi causâ tributa est a Deo ratio somniandi; et quidem in commune universis animantibus: sed illud homini præcipue, quod cum eam rationem Deus quietis causâ daret, facultatem sibi reliquit docendi hominem futura per somnium. » Conf. Cel. CREUZERI Symbol. et Mythol. Veter. Populor. Tom. I. pag. 186. ed. alt.

§. LXXXV.

ΠΕΡΙ ΑΥΞΑΝΟΜΕΝΟΥ.

Hujus operis meminit PHILO JUDÆUS De Mundi Incorrupt. pag. 951. B. edit. Paris. Refutans enim Stoicorum sententiam de mundi exustionibus et instaurationibus indeque efficere studens tollendâ cœlestium naturarum immortalitate ipsam Providentiam tolli, ita pergit: Χρύσιππος οὖν, ὁ δοκιμώτατος τῶν παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς, ἐν τοῖς Περὶ Αὐξανομένου τερατεύεταί τι τοιοῦτον· καὶ προκατασκευάσας ὅτι δύο ἰδίως ποιοὺς (73) ἐπὶ τῆς αὐτῆς οὐσίας ἀμήχανον συστῆναι, φησίν·

(73) Scripsi ἰδίως ποιούς pro εἰδοποιούς, quod habent editt., et mox ἰδίως ποιοί

« Ἔςω θεωρίας ἕνεκα, τὸν μέν τινα ὁλόκληρον, τὸν δὲ χωρὶς ἐπινοεῖσθαι ἑτέρου » ποδός· καλεῖσθαι δὲ τὸν μὲν ὁλόκληρον Δίωνα, τὸν δὲ ἀτελῆ Θέωνα· κἄπειτα » ἀποτέμνεσθαι Δίωνος τὸν ἕτερον τοῖν ποδοῖν. Ζητουμένου δὴ πότερος ἔφθαρ- » ται, τὸν Θέωνα φάσκειν οἰκειότερον εἶναι. » Τοῦτο δὲ παραδοξολογοῦντος μᾶλλόν ἐςιν ἢ ἀληθεύοντος. Πῶς γὰρ ὁ μὲν οὐδὲν ἀκρωτηριασθεὶς μέρος ὁ Θέων ἀνήρπαςαι· ὁ δ' ἀποκοπεὶς τὸν πόδα Δίων οὐχὶ ἔφθαρται; « Δεόντως, φησίν· ἀναδεδράμηκε γὰρ ὁ ἐκτμηθεὶς τὸν πόδα Δίων ἐπὶ τὴν ἀτελῆ τοῦ Θέωνος οὐσίαν· καὶ δύο ἰδίως ποιοὶ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ὑποκειμένου οὐ δύνανται εἶναι. Τοιγαροῦν τὸν μὲν Δίωνα μένειν ἀναγκαῖον, τὸν δὲ Θέωνα ἐφθάρθαι. » Quam Chrysippi ratiocinationem ad Mundum transferens Philo ostendit, si vera illa esset, ipsam Providentiam corruptioni esse obnoxiam. Sed egregie suo more totum hunc locum tractavit DAN. WYTTENBACHIUS V. Cl. in Annotatione ad Jani Bakii librum De Posidonii Rhodii Reliquiis Doctrinæ pag. 266. sqq.

Ex Epicharmi autem versibus, tamquam ex fonte, manasse hoc Syllogismi genus, colligitur e PLUTARCHO De Serâ Num. Vind. pag. 559. A. B. pag. 60. sq. ed. Wyttenb. minor.: τὸ δὲ πολλὰς πόλεις διαιροῦντα τῷ χρόνῳ ποιεῖν, μᾶλλον δὲ ἀπείρους, ὅμοιόν ἐςι τῷ πολλούς τὸν ἕνα ποιεῖν ἄνθρωπον, ὅτι νῦν πρεσβύτερός ἐςι, πρότερον δὲ νεώτερος, ἀνωτέρω δὲ μειράκιον ἦν. Μᾶλλον δὲ ὅλος ταῦτά γε τοῖς Ἐπιχαρμείοις ἔοικεν, ἐξ ὧν ὁ αὐξανόμενος ἀνέφυ τοῖς σοφιςαῖς λόγος· ὁ γὰρ λαβὼν πάλαι τὸ χρέος, νῦν οὐκ ὀφείλει γεγονὼς ἕτερος· ὁ δὲ κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ἐχθὲς, ἄκλητος ἥκει τήμερον· ἄλλος γάρ ἐςι: item ex alio ejusdem auctoris loco, unde intelligimus τὸν αὐξανόμενον λόγον dictum etiam esse τὸν περὶ αὐξήσεως λόγον, De Communib. Notitt. pag. 1083. A.: ὁ τοίνυν περὶ

---

pro εἰδοποιοί, monente DAN. WYTTENBACHIO in Annotat. ad Bakii Librum De Posidonio Rhodio pag. 269. quamquam fortasse ab ipso auctore profecta erat hæc vocabulorum permutatio.

αὐξήσεως λόγος ἐςὶ μὲν ἀρχαῖος· ἠρώτηται (74) γὰρ, ὥς φησι Χρύσιππος, ὑπ' Ἐπιχάρμου (75) κ. τ. λ. Ipsi autem Epicharmi versus, quos in suam rem Dialectici converterunt, exstant apud DIOGENEM LAERTIUM Lib. III. segm. 11.

νῦν ὁρῆ καὶ τὼς ἀνθρώπως.
Ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δέ γα μὰν φθίνει.
Ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα χρόνον.
Ὃ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν, καί οὔποκ' ἐν ταὐτῷ μένει,
Ἀλλὰ ἕτερον εἴη κ' αὐτὸ δὴ τοῦ παρεξεςακότος.
Καὶ τὺ δὴ κἀγὼ χθὲς ἄλλοι, καὶ νῦν ἄλλοι τελέθομες,
Καὖθις ἄλλοι, κ' οὔπω γ' αὐτοὶ καττὸν λόγον.

Observatur hæc ratiocinandi formula PLUTARCHO De Tranquillitate Animi pag. 473. D: οἱ μὲν γὰρ ἐν ταῖς σχολαῖς τὰς αὐξήσεις ἀναιροῦντες ὡς τῆς οὐσίας ἐνδελεχῶς ῥεούσης, λόγῳ ποιοῦσιν ἡμῶν ἕκαςον ἄλλον ἑαυτοῦ καὶ ἄλλον: qui idem festivâ comparatione illam illustravit in Theseo pag. 10. C. cap. 23. Tom. I. pag. 24. sq. Schæf.: Τὸ δὲ πλοῖον, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἠϊθέων ἔπλευσε (sc. Theseus in Cretam), καὶ πάλιν ἐσώθη, τὴν τριακόντορον, ἄχρι τῶν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως χρόνον ἐφύλαττον οἱ Ἀθηναῖοι, τὰ μὲν παλαιὰ τῶν ξύλων ὑφαιροῦντες, ἄλλα δὲ ἐμβάλλοντες ἰσχυρὰ καὶ συμπηγνύντες οὕτως, ὥστε καὶ τοῖς φιλοσόφοις εἰς τὸν αὐξανόμενον λόγον ἀμφιδοξούμενον παράδειγμα τὸ πλοῖον εἶναι, τῶν μὲν, ὡς τὸ αὐτὸ,

---

(74) Cel. WYTTENBACHIUS ad Plutarchi Libr. De Serâ Num. Vind. pag. 85. conjecerat εὕρηται: quam tamen conjecturam suam neque in contextum majoris editionis intulit, neque in Varr. Lectt. memoravit.

(75) Ita cum eodem WYTTENBACHIO scripsimus pro vitiosâ Codd. omnium lectione ὑπὲρ Ἐπιχάρμου.

τῶν δὲ, ὡς οὐ τὸ αὐτὸ διαμένει, λεγόντων. His addit Cel. WYTTENBACHIUS ad Plutarch. De Serâ Num. Vind. loc. mem. pag. 76: « Ex his puto clarum esse, quid sit αὐξανόμενος λόγος; ut errare sine dubio videatur Is. Casaubonus ad Athen. II. 2. qui eum accepit pro *gradatione, cum aliud ex alio nectitur, et quasi per gradus a primo ad ultimum venitur*: nam id quidem in omni inest disputatione, in qua apte et ordine concluditur. » Conf. EJUSDEM Præcept. Philosoph. Logicæ P. III. C. IX. §. 4. pag. 219. Hinc igitur apparet, hunc librum Chrysippi ad Logicos pertinere et perperam a Menagio in Moralibus eum recenseri.

§. LXXXVI.

ΠΕΡΙ ΘΕΩΝ.

Hoc opus ad Moralia retulit Menagius; nos vero Physicis illud esse annumerandum censemus, quoniam, ut e Plutarcho novimus, locum De Diis postremum voluit esse in Physicis Chysippus. De Stoicis Repugn. pag. 1035. A. Conf. supra Part. II. Cap. I. §. XVII. not. 16. et infra Fragm. Περὶ Βίων. §. XXXII. extr. Sed age fragmenta hujus operis, quæ ad nostram notitiam pervenerunt, ad ordinem librorum recenseamus.

Liber Primus laudatur a CICERONE De Nat. Deor. Lib. I. cap. 15. « Jam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjecturâ quidem informare possimus, cum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere. Ait enim « vim divinam in ratione » esse positam, et universæ naturæ animo atque mente: ipsum-

» que mundum deum dicit esse, et ejus animi fusionem univer-
» sam : tum ejus ipsius principatum, qui in mente et ratione
» versetur, communemque rerum naturam universam atque
» omnia continentem : tum fatalem vim, et necessitatem rerum
» futurarum (76): ignem præterea, et eum, quem ante dixi,
» æthera : tum ea, quæ naturâ fluerent atque manarent, ut et
» aquam, et terram, et aëra; solem, lunam, sidera universitatem-
» que rerum, qua omnia continerentur, atque homines etiam
» eos, qui immortalitatem essent consecuti. » Idemque disputat,
« æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent; quique
» aër per maria manaret, eum esse Neptunum : terramque eam
» esse, quæ Ceres diceretur. » Similique ratione persequitur vocabula reliquorum deorum. Idemque etiam « legis perpetuæ et
» æternæ vim, quæ quasi dux vitæ et magistra officiorum sit,
» Jovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat,
» sempiternam rerum futurarum veritatem : » quorum nihil tale est, ut in eo vis divina inesse videatur. Et hæc quidem in *primo libro* De Naturâ Deorum ».

Quæ ad illustrandum hunc locum dicenda nobis essent, ea jam supra attulimus cum de hac materiâ ex instituto ageremus, Part. II. Cap. III. §. XXXVIII. Quibus duo solummodo CICERONIS loci ex eodem opere videntur esse adjiciendi. Lib. II. cap. 24. « Aliâ quoque ex ratione et quidem physicâ, magna fluxit multitudo deorum, qui induti specie humanâ fabulas poëtis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni

---

(76) Ad hunc locum, in quo etiam de lectione disceptatur, adhibenda est præstantissima Annotatio CREUZERI pag. 67 et 68. quibus add. quæ in primis ratione Chrysippi exquisite disputavit IDEM pag. 70. a.

referserunt. Atque hic locus a Zenone tractatus, post a Cleanthe et Chrysippo, pluribus verbis explicatus est. » — Exponit deinde Cicero Stoicorum opinionem et rationem, qua hanc de Diis materiam explicabant: atque hæc pluribus capitibus continentur, quæ legere pretium est. Lib. III. cap. 24. « Magnam molestiam suscepit, et minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem; vocabulorum cur quique ita appellati sint, causas explicare. »

Idem CICERO De N. D. Lib. II. cap. 15. extr. *Secundum Librum* commemorat his verbis: « in *secundo* autem vult (Chrysippus) Orphei, Musæi, Hesiodi Homerique fabellas accommodare ad ea, quæ ipse primo libro de diis immortalibus dixerit: ut etiam veterrimi poetæ, qui hæc ne suspicati quidem sint, Stoici fuisse videantur. » Ubi vid. Jo. DAVISIUS. De Chrysippi studio poëtarum fabellas ad sua decreta accommodandi, plura attulimus supra in ejus Vitâ §. VIII. not. 41. Alia e Galeno protulimus ad fragmenta Περὶ Ψυχῆς, et vero infra proferemus ad Librum Περὶ Παθῶν.

Ex eodem libro desumta hæc legimus apud PLUTARCHUM De Stoicis Repugn. pag. 1049. E: καίτοι λέγει αὐτὸς ἐν τῷ περὶ τοῦ δικάζειν, καὶ πάλιν ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ Θεῶν, ὡς « τῶν αἰσχρῶν τὸ θεῖον » παραίτιον γίνεσθαι οὐκ εὔλογόν ἐστιν· ὃν τρόπον γὰρ οὔτε νόμος τοῦ παρανο- » μεῖν παραίτιος ἂν γένοιτο, οὔτε οἱ θεοὶ, τοῦ ἀσεβεῖν· οὕτως εὔλογον, μηδ' » αἰσχροῦ μηδενὸς εἶναι παραιτίους. » Quibus subjicit Plutarchus: τί οὖν αἴσχιον ἀνθρώποις φθορᾶς ὑπ' ἀλλήλων γινομένης; ἧς φησι Χρύσιππος ἐνδιδόναι τὰς ἀρχὰς τὸν θεόν. Attamen egregiam fuisse Chrysippi doctrinam de malorum origine ostendimus ad Περὶ Προνοίας et Περὶ Εἱμαρμένης. Huc referantur etiam quæ profert PLUTARCHUS l. l. pag. 1050. E. Ἀλλὰ μὴν « τὸν θεὸν κολάζειν, » φησὶ, « τὴν κακίαν, καὶ

πολλὰ ποιεῖν ἐπὶ κολάσει τῶν πονηρῶν.» ὥσπερ ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ Θεῶν, « ποτὲ μὲν τὰ δύσχρηςα συμβαίνειν,» φησὶ, « τοῖς ἀγαθοῖς, οὐχ ὥσπερ τοῖς » φαυλοῖς κολάσεως χάριν, ἀλλὰ κατ' ἄλλην οἰκονομίαν, ὥσπερ ἐν ταῖς πόλεσιν·» καὶ πάλιν ἐν τούτοις, « Πρῶτον δὲ τῶν κακῶν παραπλησίως ἐςὶν ἀκουςέον » τοῖς προειρημένοις· εἶτα ὅτι ταῦτα ἀπονέμεται κατὰ τὸν Διὸς λόγον, ἤτοι » ἐπὶ κολάσει, ἢ κατ' ἄλλην ἔχουσάν πως πρὸς τὰ ὅλα οἰκονομίαν.» Plura de hac re vid. supra Part. II. Cap. III. §. XLII.

E *Tertio Libro* Περὶ Θεῶν hæc suppeditat PLUTARCHUS Op. mem. pag. 1035. C. « Οὐ γάρ ἐςιν εὑρεῖν τῆς δικαιοσύνης ἄλλην ἀρχὴν, οὐδ' » ἄλλην γένεσιν, ἢ τὴν ἐκ τοῦ Διὸς, καὶ τὴν ἐκ τῆς κοινῆς Φύσεως· ἐντεῦθεν » γὰρ δεῖ πᾶν τὸ τοιοῦτον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, εἰ μέλλομέν τι ἐρεῖν περὶ ἀγαθῶν » καὶ κακῶν.» Cf. verba CICERONIS supra allata, N. D. II. 15. Chrysippus «legis perpetuæ et æternæ vim, quæ quasi dux vitæ et magistra officiorum sit, Jovem dicit esse.» et quæ IDEM e Chrysippi sententiâ dixit, De Legg. Lib. II. cap. 4. extr.: «Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.» Sed de his omnino consulenda sunt quæ, adhibito quoque hoc Chrysippi loco, egregie disputavit Cel. CREUZERUS in Symbol. et Mytholog. Veter. Populor. Tom. II. pag. 508. sq. ed. alt.

Alterum ex eodem libro fragmentum exstat apud eumdem PLUTARCHUM Op. laud. pag. 1039. A. Ὅμοια δ' εἴρηται τούτοις (sc. quæ in Libro De Jove dixerat) ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ Θεῶν· « Ἔτι γὰρ οἴ» μαι,» φησὶ, « τοὺς ἐπαίνους ἀλλοτριώσεσθαι κατὰ τὰ τοιαῦτα τῶν συμβαι» νόντων ἀπ' ἀρετῆς, οἷον δυσθανατώσης γραὸς ἀποσχέσθαι, καὶ καρτερῆσαι » μυίας δηγμόν.» Hac occasione datâ vehementer Chrysippum increpat Plutarchus. Si enim paria sint, inquit, muscæ morsum tolerare casteque abstinuisse a vetulâ, ac fortiter agere, nihil refert utrum ex his vir honestus an ex illis commendetur. Eadem Chrysippi sententia profertur in libro De Comm. No-

titt. pag. 1061. A. Λέγει δὲ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ περὶ τοῦ Διὸς συγγράμματι, καὶ τῷ τρίτῳ Περὶ Θεῶν, « ψυχρὸν εἶναι καὶ ἄτοπον καὶ ἀλλότριον, τα » τοιαῦτα τῶν ἀπ' ἀρετῆς συμβαινόντων ἐπαινεῖν, ὅτι δῆγμα μυίας ἀνδρείως » ὑπέμεινε, καὶ δυσθανατώσης γραὸς ἀπέσχετο σωφρόνως. » Pertinere autem hæc videntur ad notum illud Stoicorum Paradoxon ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα, quod illustravit CICERO Paradox. III. Conf. De Finib. Lib. III. cap. 21. L. IV. c. 9. Jo. STOBÆI Eclogg. Lib. II. pag. 116. Heeren., DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 101. 120. ibique MENAGIUS, et omnino JUST. LIPSIUS Manuduct. ad Stoic. Philosoph. Lib. III. diss. 4 et 21. (Opp. T. IV. pag. 495. sq. et pag. 520. sq.).

Supersunt alia quædam e Chrysippi *Libro Tertio* Περὶ Θεῶν, quæ servavit nobis idem PLUTARCHUS Op. mem. De Stoic. Repugn. Ac primum quidem pag. 1049. B. Chrysippum hæc scripsisse refert, ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ Θεῶν· « Ὡς δὲ αἱ πόλεις πλεονάσασαι εἰς ἀποικίας ἀπαίρουσι τὰ πλήθη, καὶ πολέμους ἐνίστανται πρός τινας, οὕτως ὁ Θεὸς φθορᾶς ἀρχὰς » δίδωσιν. » His subjungit Plutarchus, Chrysippum ad probandam hanc opinionem usum esse Euripidis aliorumque testimoniis, qui dixissent bellum Trojanum a Diis frequentiæ hominum exonerandæ caussâ conflatum esse. Deinde pag. 1052. A. Παραθήσομαι δὲ λέξιν ἐκ τοῦ τρίτου Περὶ Θεῶν· « Καθ' ἕτερον λόγον, » οἱ μὲν γὰρ (77) γεννητοί εἰσι καὶ φθαρτοὶ, οἱ δὲ ἀγέννητοι· καὶ ταῦτα ἀπ' ἀρχῆς » ὑποδείκνυσθαι φυσικώτερον. Ἥλιος μὲν γὰρ καὶ Σελήνη, καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ παραπλήσιον ἔχοντες λόγον, γεννητοί εἰσιν· ὁ δὲ Ζεὺς, ἀΐδιός ἐστιν. » Καὶ πάλιν προελθών, « Ὅμοια δὲ καὶ περὶ τοῦ φθαρῆναι, καὶ περὶ τοῦ γενέσθαι ῥηθήσεται, περί » τε τῶν ἄλλων θεῶν καὶ τοῦ Διός· οἱ μὲν γὰρ φθαρτοί εἰσι, τοῦ δὲ τὰ μέρη ἄφθαρτα. » De hoc Chrysippi aliorumque Stoicorum placito in su-

---

(77) Particulum *γάρ* expungendam esse suspicatur Wyttenbachius.

perioribus jam egimus, Part. II. Cap. III. §. XXXVII. not. 138. Add. SENECA Epist. IX. pag. 401. A. Attigit etiam J. LIPSIUS Physiolog. Stoicor. Lib. II. diss. 22. (T. IV. pag. 599. a.). Postremum hujus libri fragmentum habetur Pag. 1052. B. C: Καὶ μὴν ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ Θεῶν ὁ Χρύσιππος περὶ τοῦ τρέφεσθαι τοὺς ἄλλους θεοὺς τάδε λέγει· « Τροφῇ τε οἱ μὲν ἄλλοι θεοὶ χρῶνται, παραπλησίως συνεχόμενοι » δι' αὐτήν· ὁ δὲ Ζεὺς καὶ ὁ κόσμος καθ' ἕτερον τρόπον ἀναλισκομένων καὶ ἐκ » πυρὸς γενομένων. » Quem locum vitio laborare monuit Wyttenbachius.

Undecimum tandem De Diis *Librum* commemorat DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 148: οὐσίαν δὲ θεοῦ Ζήνων μέν φησι τὸν ὅλον κόσμον, καὶ τὸν οὐρανὸν, ὁμοίως δὲ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ ιά Περὶ Θεῶν, καὶ Ποσειδώνιος κ. τ. λ. Fuit autem hoc commune fere Stoicorum placitum. Conf. supra Part. II. Cap. III. §. XXXVIII. not. 147.

Quod si MENAGIUS ad Diog. Laërt. pag. 345. b. signari hos libros dicit a PLUTARCHO De Aud. Poëmatis, ei forsitan hæc verba obversabantur: εἰδέναι δεῖ καὶ μνημονεύειν, ὅτι καὶ τῷ τοῦ Διός καὶ Ζηνὸς ὀνόματι, ποτὲ μὲν τὸν θεὸν, ποτὲ δὲ τὴν τύχην, πολλάκις δὲ τὴν εἱμαρμένην προσαγερεύουσι (sc. οἱ ποιηταί): quæ exstant pag. 23. C. sed nullâ scriptoris mentione adjectâ, qui hæc ita sit interpretatus. Nec magis probabilis est ejusdem MENAGII conjectura dicentis, huc pertinere Macrobii locum Saturnal. Lib. I. cap. 17. ubi profertur Chrysippi sententia de origine vocis Ἀπόλλων. Desumta enim hæc potius videntur ex Etymologicis Chrysippi, ubi nos ea exhibebimus, §. XCVI.

§. LXXXVII.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ.

Ne forte omisisse videar fragmentum, quod in Heereniana

STOBÆI editione, Lib. I. pag. 48. Chrysippi nomen præ se fert, age transcribam :| « Ζεὺς μὲν οὖν φαίνεται ὠνομάσθαι ἀπὸ τοῦ πᾶσιν δε- » δωκέναι τὸ ζῆν. Δία δὲ αὐτὸν λέγουσιν, ὅτι πάντων ἐςὶν αἴτιος, καὶ δι' αὐ- » τὸν τὰ πάντα.» His subjecta sunt PLATONIS verba e Cratylo pag 396. A. Steph. De his etymologiis exponere longum est. Vid. HENR. STEPHANUS Thes. L. Gr. Tom. I. col. 1517-1519. CL. SALMASIUS Exercitatt. Plinian. pag. 70 et 423. MENAGIUS ad Diog. Laërt. Lib. VII. segm. 147. pag. 319 et qui insuper laudantur a Jo. ALBERTIO ad Hesychii Lex., voce Ζᾶν, Tom. I. col. 1577. quibus nunc add. Etymologicum Gudianum pag. 230. 16. Licet vero HEERENIUS e marginibus plurium Codicum Chrysippi nomen huic fragmento præposuerit, tamen in ipsâ annotatione ad h. l. professus est, malle se Porphyrio tribuere, et in Commentat. De Fontibus Eclogar. Jo. Stob. pag. 185. sq. sine ullâ hæsitatione pronuntiat, et hoc et sequens fragmentum cum antecedente desumtum esse e Porphyrii Libro Περὶ Ἀγαλμάτων.

Certam autem hujus Libri mentionem habemus apud PLUTARCHUM De Comm. Notitiis pag. 1061. A. quem locum exhibuimus §. LXXXVI. ac præterea apud EUMDEM De Stoicis Repugn. pag. 1038. E. F: Ἔτι δὲ τὸ μὲν λέγειν αὐτὸν ἐν τῷ Περὶ τοῦ Διός, « αὔξεσθαι τὰς ἀρετὰς καὶ διαβαίνειν, » ἀφίημι, μὴ δόξω τῶν ὀνομάτων ἐπιλαμβάνεσθαι· καίτοι πικρῶς ἐν τῷ γένει τούτῳ καὶ Πλάτωνα καὶ τοὺς ἄλλους τοῦ Χρυσίππου δάκνοντος. Ἐπαινεῖν δὲ μὴ πᾶν τὸ πραττόμενον κατ' ἀρετὴν, κελεύων, ἐμφαίνει τινὰ τῶν κατορθωμάτων διαφοράν· λέγει δὲ οὕτως ἐν τῷ Περὶ τοῦ Διός· « Ἔργων γὰρ κατὰ τὰς ἀρετὰς ὄντων, οἰκεῖόν ἐςι (78) τὰ » προενεχθέντα καὶ τούτων· οἷον, ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι, καὶ ἐγκρα- » τῶς ἀποσχέσθαι δυσθανατώσης γραός, καὶ ἀπροπτώτως ἀκοῦσαι τοῦ τὰ τρία

(87) Wyttenbachius legendum existimat ὄντων οἰκείων, ἐςὶ τ. π. κ. τ.

» τέσσαρα μὴ εἶναι τελέως· τίνα ἐμφαίνει ψυχρίαν ὁ διὰ τῶν τοιούτων ἐπαινεῖν » τινας ἐγχειρῶν καὶ ἐγκωμιάζων; » Conferantur hæc cum iis quæ de Chrysippi Libro Tertio De Diis attulimus §. præcedente. Placuit enim Stoicis, ne digitum quidem *temere* exserendum esse Sapienti. Cum igitur exseruerit, virtus hæc esse debebat. Atque hinc intelligitur cur primum illud exemplum elegerit Chrysippus. De hoc placito Conf. Is. CASAUBONUS ad Persii Satir. V. 119. pag. 430. sqq. ed. Paris., Jo. UPTONUS ad Arriani Dissert. Epictet. II. c. 11. §. 17. Tom. II. pag. 438. Schweigh.; CLEMENTIS ALEXANDR. locus a Casaubono indicatus, exstat Pædagog. Lib. II. cap. 12. pag. 191. C. ed. Paris.: εἰ γὰρ οὐδὲ τὸν δάκτυλον, ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει, ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ Στωϊκοί, πῶς οὐχὶ πολὺ πλέον τοῦ συνουσιαστικοῦ ἐπικρατητέον μορίου τοῖς σοφίαν διώκουσι; Maxime Chrysippus ipse, et proverbii quidem in modum, hoc exemplum videtur frequentasse. PLUTARCHUS De Stoic. Repugn. pag. 1046. C. 1061. F. CICERO De Finib. III. cap. 17.

§. LXXXVIII.

ΠΕΡΙ ΗΡΑΣ.

MENAGIUS in Observatt. ad Diogenem Laërtium Lib. VII. segm. 202. pag. 345. b. opus Περὶ Ἥρας, ut a Chrysippo conscriptum, post Σύγγραμμα περὶ τοῦ Διὸς et ante libros Περὶ Προνοίας recenset, laudans GALENI De Hippocratis et Platonis Decr. Lib. III. cap. 8. indeque locum qui ita incipit: καὶ ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ παθῶν μαρτυρεῖ, γράφων ὧδε. Hic vero locus non in tertio libro legitur, sed in quinto (Pag. 283. lin. 56. edit. Basil.), nec equidem aut in hoc aut in alio hujus operis loco ullam ejusmodi scriptionis mentionem potui reperire. Menagii vero errorem bonâ

fide secutus est THOM. STANLEJUS Histor. Philosoph. P. VII. Cap. IV. pag. 653. a.

§. LXXXIX.

ΠΕΡΙ ΠΡΟΝΟΙΑΣ.

De hoc argumento quinque saltem libros a Chrysippo fuisse conscriptos suspicatur MENAGIUS ad Diog. Laërt. VI. 138. pag. 314. b. pro ἐν τοῖς ε΄ Περὶ Προνοίας, quod exhibet Cod. Florentinus, legens ἐν τῷ ε΄ π. Πρ.

Liber Primus memoratur a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 139. ubi dicit Chrysippum asseruisse « τὸν οὐρανὸν εἶναι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου. » et mox hæc subjicit: Κλεάνθης δὲ, τὸν ἥλιον. ὁ μέντοι Χρύσιππος, διαφορώτερον πάλιν, « τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος » ἐν ταὐτῷ (sc. τῷ πρώτῳ Περὶ Προνοίας)· ὃ καὶ πρῶτον θεὸν λέγουσιν αἰσθητικῶς ὥσπερ κεχωρηκέναι διὰ τῶν ἐν ἀέρι, καὶ διὰ τῶν ζώων ἁπάντων καὶ φυτῶν· διὰ δὲ τῆς γῆς αὐτῆς, καθ' ἕξιν. Eamdem Chrysippo sententiam tribuit *Areius Didymus* apud EUSEBIUM Præparat. Evang. Lib. XV. c. 15. pag. 818. B. Ἡγεμονικὸν δὲ τοῦ κόσμου Κλεάνθει μὲν ἤρεσε τὸν Ἥλιον εἶναι.... τισὶ δὲ τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως ἔδοξε, γῆν τὸ ἡγεμονικὸν εἶναι τοῦ κόσμου. Χρυσίππῳ δὲ « τὸν Αἰθέρα τὸν καθαρώτατον καὶ εἰλικρινέστατον, ἅτε πάντων εὐκινητότατον ὄντα καὶ τὴν ὅλην περιάγοντα τοῦ κόσμου φοράν. » Conf. CICERO N. D. I. 15: « Idemque disputat, æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent: » quæ quidem ita esse a Chrysippo dicta existimat J. LIPSIUS Physiolog. Stoicor. Lib. I. diss. 8. pag. 544., ut æthera non Deum ipsum statueret esse, sed sedem ejus ac domicilium: cum Stoicos omnino referat PLUTARCHUS De Placit. Philos. pag. 882. A. θεὸν καὶ τὸν κόσμον dixisse, καὶ τοὺς ἀστέρας καὶ τὴν γῆν· τὸν δ' ἀνωτάτω πάντων, νοῦν ἐν αἰθέρι. Auctor Incertus fragmenti, quod vulgo tribuitur CENSORINO,

Cap. I. pag. 130. Haverc.: « Et constat quidem Mundus quatuor elementis, terrâ, aquâ, igne, aëre, cujus principalem Solem quidam putant, ut Cleanthes; ut Chrysippus, æthera: cujus motu perenni subjecta tenentur et administrantur, et ipse quidem æther nihil patitur. »

Idem LAERTIUS Lib. VII. segm. 142. refert Chrysippum in *Eodem Libro* posuisse, ὅτι καὶ ζῶον ὁ κόσμος, καὶ λογικὸν, καὶ ἔμψυχον, καὶ νοερόν: quod idem, ut Stoicorum placitum, exponitur a Balbo apud CICERONEM De Nat. Deor. Lib. II. cap. 17: « nec dubium, quin quod animans sit, habeatque sensum et rationem, et mentem, id sit melius, quam id quod his careat. Ita efficitur, animantem, sensus, mentis, rationis, mundum esse compotem. » Cf. Lib. III. cap. 9. et supra Part. II. Cap. III. §. XXXVIII.

PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1052. C. perhibet Chrysippum ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Προνοίας statuisse « τὸν Δία αὔξεσθαι, μέχρις » ἂν εἰς αὐτὸν ἅπαντα καταναλώσῃ. Ἐπεὶ γὰρ ὁ θάνατος μέν ἐστι ψυχῆς χωρισ- » μὸς ἀπὸ τοῦ σώματος, ἡ δὲ τοῦ κόσμου ψυχὴ οὐ χωρίζεται μὲν, αὔξεται δὲ » συνεχῶς, μέχρις ἂν εἰς αὐτὴν ἐξαναλώσῃ τὴν ὕλην, οὐ ῥητέον ἀποθνήσκειν » τὸν κόσμον. » Secum pugnare in his Chrysippum iterum ostendit Plutarchus, cum ille in Libris Περὶ Θεῶν negaverit Jovem ali. Et mox pag. eàd. D. ita pergit: σαφῶς αὐτὸς ἐν τῷ αὐτῷ γέγραφεν, « Αὐτάρκης δὲ εἶναι λέγεται μόνος ὁ κόσμος, διὰ τὸ μόνος ἐν αὐτῷ πάντα » ἔχειν ὧν δεῖται· καὶ τρέφεται ἐξ αὐτοῦ καὶ αὔξεται, τῶν ἄλλων μορίων εἰς » ἄλληλα καταταττομένων (79).

IDEM Op. mem. pag. 1053. B. C. Λέγει δὲ (ὁ Χρύσιππος) ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Προνοίας, « Διόλου μὲν γὰρ ὢν ὁ κόσμος πυρώδης, εὐθὺς καὶ

(79) Bachet. Mezir. et Reisk. καταλλαττομένων: quam lectionem interpretando expressit Wyttenbachius.

» ψυχή ἐςιν ἑαυτοῦ καὶ ἡγεμονικόν· ὅτε δὲ μεταβαλὼν εἴς τε τὸ ὑγρὸν καὶ τὴν » ἐναπολειφθεῖσαν ψυχὴν, τρόπον τινὰ εἰς σῶμα καὶ ψυχὴν μεταβάλλων, ὥςε » συνεςάναι ἐκ τούτων, ἄλλον τινὰ ἔσχε λόγον.» Quem locum, manifesto depravatum, ita corrigendum censet Wyttenbachius: ὅτε δὲ μεταβαλὼν εἰς τὸ ὑγρὸν, καὶ τὴν ἐναπο λειφθεῖσαν ψυχὴν τρόπον τινὰ εἰς σῶμα μετέβαλεν, κ. τ. λ. sic vertens: *Cum vero mutatur in humidum, tunc vero et animam intus contentam quodammodo in corpus mutat, ut ex iis constans aliam habeat rationem.* Plutarchus hæc sic accipit, ut dicat Chrysippus inflammatione etiam animæ expertes mundi partes in animatam converti naturam, et contra restinctione resolvi et humectari animam mutatam in quippiam corporis simile. Quæ absurda illi videntur, quoniam Chrysippus refrigeratione modo e torpentibus efficiat animalia (Cf. quæ supra dedimus ad librum tertium Περὶ Φύσεως), modo maximam animæ mundi partem in sensus et animæ expertia convertat.

Videamus nunc quæ GELLIUS in Noct. Att. ex hoc opere nobis servavit. Memorat autem *Quartum* illius *Librum* L. VI. cap. 1. (80) « Adversus ea Chrysippus quum in libro Περὶ Προνοίας *quarto* dissereret, « Nihil est prorsus, » inquit, « imperitius, nihil » insubidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent » ibidem mala. Nam quum bona malis contraria sint (81), utraque

---

(80) Est locus ab initio mutilus, nec nisi hæc verba supersunt: « homines fecisse dicatur: tantam vim esse ærumnarum et malorum. » Ex titulo autem satis intelligitur, ut monuit popularis noster J. Badius Ascensius, contra Providentiam fuisse disputatum.

(81) Eadem est sententia PLATONIS, Theætet. loco supra Part. II. cap. III. § XLIII. not. 167. laudato.

» necessarium est, opposita inter sese et quasi mutuo adverso » quæque fulta nisu, consistere : nullum adeo contrarium sine » contrario altero. Quo enim pacto justitiæ sensus esse possent, » nisi essent injuriæ? aut quid aliud justitia est, quam injustitiæ » privatio? Quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviæ » oppositione? Quid continentia, nisi ex oppositione intemperan- » tiæ? Quo item modo prudentia esset nisi foret contra impru- » dentia? proinde, inquit, homines stulti cur non hoc etiam de- » siderant, ut veritas sit et non sit mendacium? » Namque itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum est, sustuleris unum, abstuleris utrumque. » Locus PLATONIS qui tangitur, dignus est qui huc transcribatur, quandoquidem cum elegantissimus est tum plurimum facit ad Chrysippea hæc illustranda. Exstat autem in Phædone pag. 60. B. C. Steph. pag. 16. sq. Heindorf. pag. 7. Wyttenb. : ὡς ἄτοπον, ὦ ἄνδρες, ἔοικέ τι εἶναι τοῦτο ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἡδύ· ὡς θαυμασίως πέφυκε πρὸς τὸ δοκοῦν ἐναντίον εἶναι τὸ λυπηρὸν, τῷ ἅμα μὲν αὐτὼ μὴ ἐθέλειν παραγίγνεσθαι τῷ ἀνθρώπῳ, ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι ἀεὶ λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δυ᾽ ὄντε. Καὶ μοὶ δοκεῖ, εἰ ἐνενόησεν αὐτὰ Αἴσωπος, μῦθον ἂν συνθεῖναι, ὡς ὁ θεὸς βουλόμενος αὐτὰ διαλλάξαι πολεμοῦντα, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο, συνῆψεν εἰς ταὐτὸν αὐτῶν τὰς κορυφὰς, καὶ διὰ ταῦτα ᾧ ἂν τὸ ἕτερον παραγένηται, ἐπακολουθεῖ ὕστερον καὶ τὸ ἕτερον. Ubi consulenda est doctissima annotatio WYTTENBACHII, qui nec Gellii locum prætermisit, p. 122 et 123.

Pergit autem Gellius : « Idem Chrysippus in *eodem libro* tractat consideratque, « dignumque esse id quæri putat, εἰ αἱ » τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται, » id est, natura ne ipsa rerum vel providentia, quæ compagem hanc mundi et genus hominum fecit, morbos quoque et debilitates et ægritudines corporum,

quas patiuntur homines, fecerit. Existimat autem non fuisse hoc principale naturæ consilium, ut faceret homines morbis obnoxios: nunquam enim hoc convenisse naturæ auctori parentique rerum omnium bonarum. Sed quum multa, inquit, atque magna gigneret pareretque aptissima et utilissima, alia quoque simul agnata sunt incommoda iis ipsis, quæ faciebat, cohærentia (82): eaque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit, quod ipse appellat κατὰ παρακολούθησιν. Sicut, inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior et utilitas ipsa operis postulavit, ut tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret: sed hanc utilitatem rei majoris alia quædam incommoditas extrinsecus consecuta est; ut fieret caput tenuiter munitum, et ictibus offensionibusque parvis fragile. Proinde morbi quoque et ægritudines partæ sunt, dum salus paritur. Sic hercle, inquit, dum virtus hominibus per consilium naturæ gignitur, vitia ibidem per affinitatem contrariam nata sunt. » Vid. supra Part. II. cap. III. §. XLII. Ceterum celeberrima est hæc Chrysippi sententia omniumque fere Philosophorum, recentiorum quoque, aut adprobatione aut saltem commemoratione nobilitata.

Aliud denique ex eodem Libro fragmentum, quo Fati definitio continetur, suppeditat GELLIUS Lib. VI. cap. 2. Sed hoc commodius reservabimus ad §. sequentem, ubi de Fato ex instituto nobis erit agendum.

Bina solummodo hic videntur esse adjicienda. Et primum

---

(82) Vid. J. GRONOVIUS ad h. l. qui ostendit GELLIUM, hæc scribentem, non penitus perspexisse sententiam Chrysippi.

quidem PLUTARCHUS De Serâ Num. Vind. pag. 549. A. hæc adfert ab Euripide in deperdito dramate de Justitiâ dicta:

σιγᾷ καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρψῃ τοὺς κακοὺς ὅταν τύχῃ.

quibuscum Cel. WYTTENBACHIUS Animadverss. (minor. edit.) pag. 18. hunc versum composuit ex Electrâ, 1169. (1173. Matth.):

Νέμει τοι δίκαν Θεὸς, ὅταν τύχῃ.

et hæc subjicit: « Ceterum hoc et similibus locis Euripidis, Chrysippum, ut erat Poëtarum studiosissimus, usum fuisse putem ad sententiam de Providentiâ illustrandam, in qua eum Stoici sui secuti sunt, qui operosam Providentiam esse statuerent, eamque innumeris negotiis occupatam non semper unicuique rei vacare posse: » de eâdem re laudans Ciceronem, Lucianum et Plutarchum. Alter locus est e libro qui PLUTARCHI nomen præ se fert, De Nobilitate, in *Jo. Christ. Wolfii* Anecd. Græc. P. II. pag. 232. Tom. V. pag. 951. C. Wyttenb.: οὗτοι (sc. οἱ Στωϊκοί εἰσιν) οἱ τὴν πρόνοιαν τὴν ἀγχίνουν μάλα γραῦν μήτερα καλοῦντες τούτου τοῦ πάντος: ubi Wolfius existimat Chrysippi maxime libros Περὶ Προνοίας peti, memoratos a Laërtio VIII. 138. Cf. ibid. pag. 234. Wolf. pag. 959. B. Wyttenb. ubi Stoicorum Πρόνοια dicitur γραῦς χρησμολόγος. Quem utrumque locum jam adhibuit Jo. DAVISIUS ad Cicer. De Nat. Deor. I. 8. ubi nunc præcipue consulendus est Cl. CREUZERUS pag. 31.

---

§. XC.

ΠΕΡΙ ΕΙΜΑΡΜΕΝΗΣ.

Quid Fatum intellexerit Chrysippus, discimus e GELLIO N. A. Lib. VI. cap. 2. «Fatum, quod Græci πεπρωμένην vel εἱμαρμένην vocant, ad hanc ferme sententiam Chrysippus Stoicæ princeps philosophiæ definit: «Fatum est,» inquit, «sempiterna quædam » et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semetipsa sese » et implicans (83) per æternos consequentiæ ordines, ex quibus » apta connexaque est.» Ipsa autem verba Chrysippi, quantum valui memoriâ adscripsi; ut, si cui meum istud interpretamentum videbitur esse obscurius, ad ipsius verba animadvertat. In libro enim Περὶ Προνοίας *quarto* εἱμαρμένην esse dicit «φυσι- » κὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, » καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς» (84). Monet deinde Gellius, hanc Chrysippi definitionem a multis aliarum opinionum disciplinarumque auctoribus acerbe esse reprehensam, quandoquidem ita nec peccata et delicta hominum ab eorum voluntatibus penderent pœnæque nocentium legibus inique essent statutæ; et sic pergit: «Contra ea Chrysippus tenuiter multa et argute disserit. Sed omnium fere, quæ super eâ re scripsit, sententia hujuscemodi est: «Quamquam ita sit,»

---

(83) Vid. ad h. l. Interpretes.

(84) Alii aliter hæc verba et legunt et interpretantur. Vid. ad h. l. JAC. GRONOVIUS. Ceterum cum hac Fati definitione conf. PLUTARCHUS De Placit. Philosoph. p. 885. A. B. DIOGENES LAERT. VII. 149. quem ad verbum fere exscripsit SUIDAS Voce εἱμαρμένη, T. II. p. 25. Kust. AUGUSTINUS De Civ. Dei Lib. V. cap. 1. Tom. VII. col. 89. D. E. Antwerp.

inquit, « ut ratione quâdam principali necessario coacta atque » connexa sint fato omnia, ingenia tamen ipsa mentium nos- » trarum proinde sunt fato obnoxia, ut proprietas eorum est » ipsa et qualitas. Nam si sunt per naturam primitus salubriter » utiliterque ficta, omnem illam vim, quæ de fato extrinsecus » ingruit, inoffensius tractabiliusque transmittunt. Sin vero » sunt aspera et inscita et rudia, nullisque artium bonarum » adminiculis fulta: etiamsi parvo sive nullo fatalis incommodi » conflictu urgeantur; suâ tamen scævitate et voluntario impetu » in assidua delicta et in errores ruunt. Idque ipsum ut eâ » ratione fiat, naturalis illa et necessaria rerum consequentia » efficit, quæ fatum vocatur. Est enim genere ipso quasi fatale » et consequens, ut mala ingenia peccatis et erroribus non va- » cent. » Hujus deinde rei exemplo non hercle nimis aliene neque illepide utitur. « Sicut, » inquit, « lapidem cylindrum si per » spatia terræ prona atque deruta jacias, caussam quidem ei et » initium præcipitantiæ feceris; mox tamen ille præceps volvi- » tur, non quia tu id jam facis, sed quoniam ita sese modus » ejus et formæ volubilitas habet: sic ordo et ratio et necessitas » fati genera ipsa et principia caussarum movet; impetus vero » consiliorum mentiumque nostrarum actionesque ipsas, vo- » luntas cujusque propria et animorum ingenia moderantur. » Infert deinde verba hæc, his quæ dixi congruentia: « Διὸ [illegible]πὸ » τῶν Πυθαγορείων οὕτως εἴρηται,

Γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας (85).

» ὡς τῶν βλαβῶν ἑκάστοις παρ' αὐτοῖς γινομένων, καὶ καθ' ὁρμὴν αὐτῶν, ἁμαρτα-

---

(85) Est hic versus Aureor. Carm. 54. ubi vid. Th. Marcilius pag. 350. Needh.

» νόντων τε καὶ βλαπτομένων, καὶ κατὰ τὴν αὐτῶν διάνοιαν καὶ πρόθεσιν. » Propterea negat oportere ferri audirique homines aut nequam aut ignavos et nocentes et audaces : qui, quum in culpâ et in maleficio revicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tamquam in aliquod fani asylum, et, quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati sed fato esse attribuenda dicunt. » Et interjectis deinde Homericis versibus, quos supra exhibuimus §. XLI. not. 164., sic terminat: « Itaque M. Cicero in libro, quem de fato conscripsit, quum quæstionem istam diceret obscurissimam esse et implicatissimam, Chrysippum quoque philosophum non expedisse se in ea refert, his verbis: *Chrysippus æstuans laboransque, quonam pacto explicet et fato omnia fieri, et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.* » Nec mirum profecto est, ne Chrysippi quidem sagacitatem huic quæstioni prorsus solvendæ suffecisse. Est enim una e difficillimis totius Philosophiæ, de qua etiamnum maxime inter se discrepant variæ Philosophorum sententiæ. De hac difficultate tam egregie loquitur Venerandus Abbas Le Batteux, ut continere me non possim quin ejus verba hic apponam. Sunt autem hæc : « Il y a deux mille ans qu'on demande ce que c'est que le Destin, appelé par les Grecs Εἱμαρμένη, etc. Si on persiste à faire toujours la même demande, c'est une preuve que les Anciens ne se sont expliqués nulle part de manière à fixer nos idées sur cet objet. Et comment l'auroient-ils fait, dans une matière aussi obscure et aussi profonde que celle-ci, où il ne s'agit de rien moins que de comprendre l'essence de Dieu, la raison de ses décrets éternels; de remonter aux sources premières des lois physiques et morales; enfin, d'attacher solidement le premier anneau d'une chaîne, à laquelle sont suspendus tous les êtres actuels et possibles? » Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres, Tom. XXXII. pag. 3. Ceterum cum his Gellianis con-

jungenda sunt quæ dedimus in Secundâ Dissertationis Parte, Cap. III. §. XXXIX et XL. Copiose autem totum hunc locum tractavit JUST. LIPSIUS Physiolog. Stoicor. Lib. I. diss. 9—18. (Opp. T. IV. pag. 546—557.). Ad Chrysippi sententiam præcipue pertinent totus fere CICERONIS Liber De Fato et quæ impugnandæ illius caussâ disputaverunt *Oenomaus* et *Diogenianus* Peripateticus apud EUSEBIUM Præparat. Evangel. Lib. VI. cap. 7 et 8. pag. 255—267.

Jam videamus locos ubi diserte laudatur Chrysippi opus Περὶ Εἱμαρμένης. Et primum quidem DIOGENES LAERT. refert, ἐν τοῖς Περὶ Εἱμαρμένης Chrysippum statuisse omnia fato fieri : Lib. VII. segm. 149. item Jo. STOBÆUS Lib. I. cap. 6. pag. 180. quo loco jam supra usi sumus §. XXXIX. not. 153.

Liber Primus et *Secundus* memoratur a *Diogeniano* Peripatetico apud EUSEBIUM Præparat. Evangel. Lib. VI. cap. 8. pag. 262. A.—D : — οὗτος γὰρ (SC. Χρύσιππος ὁ Στωϊκὸς) ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Εἱμαρμένης βιβλίῳ, βουλόμενος δεικνύναι τὸ δὴ πάνθ' ὑπὸ τῆς ἀνάγκης καὶ τῆς εἱμαρμένης κατειλῆφθαι, μαρτυρίοις ἄλλοις τέ τισι χρῆται καὶ τοῖς οὑτωσὶ παρ' Ὁμήρῳ ποιητῇ λεγομένοις,

Ἀλλ' ἐμὲ μὲν Κὴρ
Ἀμφέχανε ϛυγερὴ, ἥπερ λάχε γεινόμενόν περ (86).

καὶ

Ὕϛερον αὖτε τὰ πείσεται, ὅσσα οἱ Αἶσα
Γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ (87).

καὶ

(86) Iliad. XXIII. vs. 78.

(87) Iliad XX. 128. ad quem locum vid. quæ, de Stoicorum quoque sen-

Μοῖραν δ' οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν (88)

οὐ θεωρῶν ὅτι τὰ ἀλλαχοῦ πάλιν παρὰ τῷ ποιητῇ λεγόμενα, τούτοις ἄντικρυς ἠναντίωται οἷς καὶ αὐτὸς ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ χρῆται, βουλόμενος συνιστᾷν τὸ καὶ παρ' ἡμᾶς πολλὰ γίνεσθαι (89), οἷον τὸ,

Αὐτοὶ γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο (90).

---

tentiâ disputans, plurima attulit JAC. DUPORTUS Gnomologiâ Homericâ pag. 114.

(88) Iliad VI. 488. Hunc versum plures et laudaverunt et imitando expresserunt, quos magnâ ex parte indicavit DUPORTUS op. mem. pag. 36.

(89) h. e. *multa a nobis pendere, sita esse in nobis, in nostra esse potestate.* Qui usus præpositionis παρὰ cum Accusativo, ut rarior et exquisitior, notandus est. Παρ' ἡμᾶς apud eumdem *Diogenianum* recurrit pag. 263. B. 266. D. quem locum tetigit FR. VIGERUS De Idiotism. p. 645. sq. Ceterum rarior præcipue videtur esse apud Antiquiores auctores, ut LYCURG. Leocrat. p. 183. 1. Reisk. cap. 16. p. 94. Becker.: Ἡγοῦμαι δ' ἔγωγε, ὦ ἄνδρες, τοὐναντίον τούτοις, παρὰ τοῦτον εἶναι τῇ πόλει τὴν σωτηρίαν: frequentior apud posteriores. PLUTARCH. Apophthegmm. Regg. et Imperatt. p. 117. E: ὁρᾶτε οὖν ὅτι παρ' ἡμᾶς (Ita enim legendum pro vulg. πρὸς ἡμᾶς) αὐτούς ἐςι καὶ τὸ καλῶς καὶ τὸ κακῶς ἀκούειν. Apophthegmm. Laconic. p. 222. F: οὐ παρ' ἕνα τὰ Σπάρτας, ut vere correxit Wyttenbachius, *Salus Spartæ non in uno homine posita est. Chrysippus* apud EUMDEM De Stoicis Repugn. p. 1041. D: πᾶς ἁμαρτάνων παρ' ἑαυτὸν ἁμαρτάνει. ARRIANUS Epictet. Dissertat. Lib. II. cap. 10. § 16. p. 219. Schw.: – ἐκεῖνα μὲν παρ' ἔξωθέν τινα καὶ ἀπροαίρετον αἰτίαν ἀπόλλυται, ταῦτα δὲ παρ' ἡμᾶς. Lib. II. cap. 19. §. 33. p. 291: ἢ γὰρ παρ' ἐμὲ οὐκ ἀνύετε, ἢ παρ' ὑμᾶς, ἢ παρὰ τὴν φύσιν τοῦ πράγματος. Sic Lib. II. c. 2. §. 20. p. 180. πεῖσαι τό γε παρ' αὐτόν, h. e. *quod in te est.* Conf. Jo. FR. FISCHERI Annotatt. ad Aeschinis Socratici Dialog. III. 4. p. 121.

(90) Odyss. I. 7.

καὶ τὸ,

Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται!
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπέρμορον ἄλγε' ἔχουσιν (91).

Ταῦτα γὰρ καὶ τὰ τοιαῦτα τῷ πάντα γίνεσθαι καθ' εἱμαρμένην ἠναντίωται. Οὐ μὴν οὐδ' ἐκεῖνο συνιδεῖν ἐδυνήθη, τὸ μηδαμῶς τὸν Ὅμηρον μηδ' ἐν ἐκείνοις τοῖς ἔπεσι συμμαρτυρεῖν αὐτῷ τῷ δόγματι. Οὐ γὰρ τὸ πάντα γίνεσθαι καθ' εἱμαρμένην, ἀλλὰ μᾶλλον τό τινα κατ' ἐκείνην συμβαίνειν ἐξ αὐτῶν ὑποβάλλων εὑρεθήσεται. Atque hæc prioribus illis versibus sigillatim explicandis demonstrare studet Diogenianus; et quod Galenum Chrysippo exprobasse et vidimus (92) et infra videbimus (93), pugnantia sæpe esse locutum poëtarumque testimoniis abusum, et ipse ei exprobrat, ut rem a philosophi officio ac dignitate alienam.

Deinceps, pag. 263. C. D. Chrysippum dicit existimasse, magnum in primis et solidum argumentum pro fato in omnibus rebus statuendo esse ipsam nominum originem, ejusque hac de re sententiam accurate exponit. Quæ expositio cum e libris De Fato potius quam ex Etymologicis desumta esse videatur, age eam huc transferamus : « Τήν τε γὰρ πεπρωμένην πεπερασμένην » τινά φησιν (ὁ Χρύσιππος) εἶναι καὶ συντετελεσμένην διοίκησιν, τήν τε εἱμαρ- » μένην, εἰρομένην τινὰ, εἴτε ἐκ θεοῦ βουλήσεως, εἴτε ἐξ ἧς δήποτε αἰτίας· » ἀλλὰ καὶ τὰς Μοίρας ὠνομάσθαι ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι καὶ κατανενεμῆσθαί τινα

---

(91) Odyss. I. 32. Hos versus et præcedentem jam supra adhibuimus Part. II. Cap. III. §. XLI. not. 164. ubi vid. quæ explicandi causså adjecimus.

(92) Fragm. Περὶ Ψυχῆς. §. LXXXIII.

(93) Fragm. Περὶ Παθῶν. §. CXIII.

» ἡμῶν ἑκάστῳ· οὕτω δὲ καὶ τὸ χρεὼν εἰρῆσθαι τὸ ἐπιβάλλον (94) καὶ καθῆκον » κατὰ τὴν εἱμαρμένην· τόν τε ἀριθμὸν τῶν Μοιρῶν τοὺς τρεῖς ὑποβάλλει χρό- » νους, ἐν οἷς κυκλεῖται τὰ πάντα καὶ δι' ὧν ἐπιτελεῖται· καὶ Λάχεσιν μὲν κε- » κλῆσθαι παρὰ τὸ λαγχάνειν ἑκάστῳ τὸ πεπρωμένον· Ἄτροπον δὲ, κατὰ τὸ » ἄτρεπτον καὶ ἀμετάβατον τοῦ μερισμοῦ· Κλωθὼ δὲ παρὰ τὸ συγκεκλῶσθαι » καὶ συνείρεσθαι τὰ πάντα, καὶ μίαν αὐτῶν τεταγμένην τινὰ εἶναι. » Ταῦτα γὰρ καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια φλυαρῶν, ἀποδεικνύναι τὴν ἐν ἅπασιν ἀνάγκην νομίζει. Diogeniani hunc locum ad verbum fere exscripsit THEODORETUS Therapeut. VI. pag. 572. D. Sirmond. p. 86. lin. 27. Heidelb. Sylb. Similia sunt quae habet Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. I. pag. 180. Heer.: « Μοίρας δὲ καλεῖσθαι (sc. φησὶν ὁ Χρύσιππος) ἀπὸ τοῦ κατ' αὐτὰς δια- » μερισμοῦ, Κλωθὼ καὶ Λάχεσιν, καὶ Ἄτροπον. Λάχεσιν μὲν, ὅτι οἷα κλήρῳ λελόγ- » χασιν ἕκαστοι, κατὰ τὸ δίκαιον ἀπονέμεται. Ἄτροπον δὲ, ὅτι ἀμετάθετος καὶ » ἀμετάβλητός ἐστιν ὁ καθ' ἕκαστα διορισμὸς ἐξ ἀϊδίων χρόνων. Κλωθὼ δὲ, ὅτι ἡ » κατὰ τὴν εἱμαρμένην διανέμησις, καὶ τὰ γεννώμενα, τοῖς κλωθομένοις ὁμοίως » διεξάγεται, κατὰ τὴν ἐτυμολογικὴν ἐξήγησιν, τῶν ὀνομάτων ἅμα καὶ τῶν » πραγμάτων συμπαριστα μένων ἀχρήστως. » Conf. PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1056. C. — τὴν δ' Εἱμαρμένην αἰτίαν ἀκίνητον καὶ ἀκώλυτον καὶ ἄτρεπτον ἀποφαίνων, αὐτὸς (Chrysippus) Ἄτροπον καλεῖ καὶ Ἀδράστειαν καὶ Ἀνάγκην καὶ Πεπρωμένην, ὡς πέρας ἅπασιν ἐπιτιθεῖσαν. Vid. etiam PLATO De Republ. Lib. X. cap. 14. pag. 620. D. Legg. L. XII. c. 10. pag. 960. C. ibiq. ASTIUS pag. 572. sq. *Porphyrius* apud STOBÆUM Eclogg. Lib. II. pag. 368. sq. Heer., CORNUTUS De Nat. Deor. cap. 13.

§. XCI.

ΠΕΡΙ ΜΑΝΤΙΚΗΣ.

Totam De Divinatione sententiam *duobus libris* a Chrysippo

---

(94) Vid. de hoc verbo, Stoicis maxime usitato, Cel WYTTENBACHII Annotatio supra a nobis laudata §. LXXVII. not. 27.

fuisse explicitam, auctor est CICERO De Divinat. Lib. I. cap. 3. Ac duos certe de hoc argumento exstitisse Chrysippi libros, intelligitur etiam e DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 149: — καὶ αὐτὴν (τὴν μαντικὴν) καὶ τέχνην ἀποφαίνουσι διά τινας ἐκβάσεις, ὥς φησι Ζήνων τε καὶ Χρύσιππος ἐν τοῖς δυσὶ Περὶ Μαντικῆς: sive vulgarem hanc lectionem sequare, sive cum Codice Palatino legas ἐν τῷ β′ (δευτέρῳ) Περὶ Μαντικῆς, ut exhibuit Meibomius. Diserte etiam hoc Chrysippi opus commemorat LACTANTIUS Divin. Institutt. Lib. I. cap. 6. Tom. I. p. 24. Paris., perhibens de Sibyllâ Delphide in illo eum locutum esse. De hac Sibyllâ vid. PAUSANIAS Lib. X. cap. 12. Tom. III. pag. 182. sq. Facii, DIODORUS SICULUS Lib. IV. cap. 66. Tom. I. pag. 310. sq. Wessel., PLUTARCHUS Cur Pyth. Nunc Non R. O. Carm. pag. 401. B. ISIDORUS Origg. L. VIII. c. 8. CLEMENS ALEXANDRINUS Stromat. Lib. I. pag. 304. C. D. edit. Paris. De Sibyllis omnino qui plura cognoscere cupiat, ei conferenda sunt quæ laudavit Cel. CREUZERUS Symbol. et Mytholog. Veter. Populor. Tom. I. pag. 191. not. 352.

Et his quidem locos aliquot, Ciceronis maxime, subjecisse sufficiat, unde quid senserit hac de re Chrysippus, quodam modo potest cognosci. CICERO De Divin. L. I. c. 38 et 39. ubi sic loquitur Quintus: — « animi enim integri, non vitiosi corporis est divinatio. Quam quidem esse revera, hac Stoicorum ratione concluditur: « Si sunt Dii, neque ante declarant homi- » nibus, quæ futura sunt: aut non diligunt homines; aut, quid » eventurum sit, ignorant; aut existimant nihil interesse ho- » minum, scire quid sit futurum; aut non censent esse suæ » majestatis, præsignificare hominibus quæ sunt futura; aut » ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non dili- » gunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici; » neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta et designata sunt;

» neque nostra nihil interest, scire ea quæ eventura sunt; erimus enim cautiores, si sciemus: neque hoc alienum ducunt » majestate suâ; nihil est enim beneficentiâ præstantius: neque » non possunt futura prænoscere: non igitur sunt dii, nec » significant futura. Sunt autem dii: significant ergo. Et non, » si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scien- » tiam; frustra enim significarent: nec, si dant vias, non est » divinatio : est igitur Divinatio. » Hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur. » Hinc igitur satis apparet Chrysippum fuisse hujus ratiocinationis auctorem, eamque ob caussam locum sic exhibuimus ac si ex ipsius libris a Cicerone esset translatus. Eadem repetit Cicero ipse Lib. II. cap. 49. hac iis adjectâ reprehensione: « O acutos homines! quam paucis verbis negotium confectum putant! Ea sumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. » Atque eo justior est hæc reprehensio, cum iidem Stoici, Deos esse probaturi, rursus Divinationem esse sumerent indeque efficerent, fieri non posse ut non essent Dii. Sextus Empiricus Adv. Mathematt. L. IX. segm. 132. pag. 581. Fabr. coll. Cicer. l. l. Lib. I. cap. 6. pr.

Simile quid eâdem in caussâ Chrysippo exprobrat *Diogenianus* apud Eusebium Præparat. Evang. Lib. IV. c. 3. pag. 136. sq. A. B. Φέρει δὲ (sc. ὁ Χρύσιππος) καὶ ἄλλην ἀπόδειξιν ἐν τῷ προειρημένῳ βιβλίῳ (95) τοιαύτην τινά. μὴ γὰρ ἂν τὰς τῶν μαντέων προῤῥήσεις ἀληθεῖς εἶναί φησιν, εἰ μὴ πάντα ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης περιείχοντο···· οὕτω τὴν ἀπόδειξιν ἡμῖν Χρύσιππος κεκόμικε, δι' ἀλλήλων κατασκευάζων ἑκάτερα. Τὸ μὲν γὰρ πάντα γίνεσθαι καθ' εἱμαρμένην, ἐκ τοῦ μαντικὴν εἶναι δεικνύναι βούλεται· τὸ

(95) Quamquam hic Chrysippi liber a Diogeniano ante jam nominatus, loco ab Eusebio omisso, non Περὶ Μαντικῆς sed Περὶ Εἱμαρμένης fuisse videatur, tamen hunc locum huc potius esse trahendum censuimus.

δ' εἶναι μαντικὴν, οὐκ ἂν ἄλλως ἀποδεῖξαι δύναιτο, εἰ μὴ προλάβοι τὸ πάντα συμβαίνειν καθ' εἱμαρμένην. Ποῖος δ' ἂν μοχθηρότερος τρόπος ἀποδείξεως τούτου γένοιτο; κ. τ. λ.

CICERO l. l. Lib. II. c. 63: « Chrysippus quidem divinationem definit his verbis: « *Vim cognoscentem* [*et videntem* (96)] *et* » *explicantem signa, quæ a Diis hominibus portendantur*: » officium autem esse ejus, prænoscere, dii erga homines mente » qua sint, quidque significent, quemadmodumque ea procu- » rentur, atque expientur. »

Addamus nunc locum CICERONIS op. mem. L. II. c. 28. de portentis: « quorum, inquit, omnium causas si a Chrysippo quæram, ipse ille Divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet: nihil enim fieri sine causâ potest: nec quidquam fit, quod fieri non potest: nec, si id factum est, quod potuit fieri, portentum debet videri: nulla igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est: sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur; nec id, quod non potuerit fieri, factum unquam esse; nec, quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum est portentum. Quod etiam conjector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui ad eum retulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset: « tum esset, inquit, ostentum, si anguem vectis circumplicavis- » set. » Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portentum, quod fieri posset. » Et L. II. c. 15. « Pudet me,

(96) Has voces, ut suppositias, uncinis recte inclusisse videtur Jo. J. HOTTINGERUS: cujus editionem in omnibus his locis exscribendis sumus secuti.

non tui quidem, cujus etiam memoriam admiror, sed Chrysippi, Antipatri, Posidonii, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te (97), ad hostiam deligendam ducem esse vim quamdam sentientem atque divinam, quæ toto confusa mundo sit. Illud vero multo etiam melius (98), quod et a te usurpatum est, et dicitur ab illis: cum immolare quispiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut absit aliquid, aut supersit: deorum enim numini parere omnia. » Quæ deinde suo more exagitat Cicero.

§. XCII.

ΠΕΡΙ ΧΡΗΣΜΩΝ.

Unum De Oraculis *Librum* scripsisse Chrysippum testatur CICERO De Divinat. L. I. c. 3. et rursus ita de hoc opere loquitur, Lib. II. cap. 56. « Tuis enim oraculis (o sancte Apollo) Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit; partim ambiguis, et quæ ad dialecticum deferenda sint. » Lib. I. c. 19. « Collegit inumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste; quæ quia nota tibi sunt, relinquo. » Conf. CREUZER V. Cl. Symb. et Mythol. Vett. Populor. Tom. I. pag. 215.

---

(97) De Divinat. Lib. I. c. 52.

(98) De ironiâ quæ inest in verbis *multo etiam melius*, monuit Cel. BAKIUS in Libro De Posidonio pag. 46. not. 20.

Laudat etiam SUIDAS Voce νεοττός (99) Tom. II. pag. 609. sq. Kust. hæc proferens : ὅτι δὲ τὸ ὠχρὸν νεοττὸν ἔλεγον, μαρτυρεῖ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Χρησμῶν. Ὄναρ γάρ τινα φησὶ θεασάμενον ἐκ τῆς κλίνης αὐτοῦ κρέ- μασθαι ὠὰ, προσαναθέσθαι ὀνειροκρίτῃ, τὸν δὲ εἰπεῖν· Ὀρύττων θησαυρὸν εὑρή- σεις κατὰ τὸν τόπον ἐκεῖνον· εὑρόντα δὲ σταμνίον, ἐν ᾧ ἀργύριον ἦν καὶ χρυσίον, ἐνεγκεῖν τι τοῦ ἀργυρίου τῷ μάντει· τὸν δὲ μάντιν εἰπεῖν· Τοῦ δὲ νεοττοῦ οὐδέν μοι δίδως; Eadem omnino leguntur apud PHOTIUM in Lexico a Godofr. Hermanno edito, col. 216. et in MICH. APOSTOLII Proverbior. Centur. XIII. prov. 68. pag. 167. ed. Elzevir. Historiam hanc ex Chrysippo narrat etiam CICERO De Divinat. L. II. c. 65. « Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fasciâ lecti sui cubicularis (Est hoc in Chrysippi libro somnium.). Respondet conjector, thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit : invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento. Misit conjectori quantulum visum est de argento (100). Tum ille, Nihilne, inquit, de vitello? id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse, reliquum, argentum. » Ne quis nos reprehendat quod Suidæ potius quam Ciceronis auctoritatem sequentes huc traxerimus hanc narrationem, neque retulerimus ad Opus Περὶ Ὀνείρων, monendum est, sæpius Chrysippum de eâdem re in diversis libris egisse et, si non interpreti cuidam debeantur verba *Est hoc—somnium*, probabile saltem esse, in utroque Chrysippi opere hanc historiolam exstitisse.

Quandoquidem vero in locum de Somniis incidimus, age

(99) Editio Mediol. exhibet *νεοττόν* (sc. τὸ) : quod recte prætulisse videtur PHILELEUTHERUS LIPS. (h. e. Rich. Bentlejus) Emendatt. in Menandr. p. 8. sq.

(100) *Misit—argento.* Excidisse hæc verba operarum vitio videntur in editione Hottingerianâ.

proferamus quæ hac de re collegimus : quamquam hæc potius ad Opus Περὶ Ὀνείρων aut Περὶ Μαντικῆς pertinere videntur. CICERO De Divinat. L. I. c. 20. « Veniamus ad somnia. De quibus disputans Chrysippus, multis et minutis somniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis. » L. II. c. 63. « Chrysippus somniorum conjectionem definit hoc modo: « *Esse vim cernentem, et explanantem quæ a Diis hominibus » significentur in somniis.* » L. II. c. 60 et 61. Cicero putat nihil a Deo somniis significari, et requirit cur, si Deus ista visa nobis providendi caussâ det, non vigilantibus potius det quam dormientibus, et mox addit: « idque si nostrâ causâ Dii secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent; præsertim cum Chrysippus, Academicos refellens, « permulta clariora et cer- » tiora esse dicat, quæ vigilantibus videantur, quam quæ » somniantibus. » L. II. c. 70. « Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somniis curru quadrigarum vehi. Mane ad conjectorem. At ille, Vinces, inquit : id enim celeritas significat et vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem, Vincare, inquit, necesse est. An non intelligis, quatuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor: (atque horum somniorum, et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri). »

Restat ut subjiciamus singularis somnii narrationem quam e Chrysippo exhibet SUIDAS Voce τιμωροῦντος, Tom. III. pag. 477. Kust. Cum dixisset bonos viros, etiam mortuos, Deum providentiâ et curâ suâ dignari et injuste occisos vindicare, Λέγει γοῦν Χρύσιππος, inquit, « ἐν Μεγάροις καταχθῆναί τινα, χρυσίου ζώνην ἐπαγό- » μενον πεπληρωμένην. ἀπέκτεινε (101) δὲ ἄρα αὐτὸν πανδοχεὺς, ὁ ὑποδεξάμε-

(101) Notanda est singularis transitio ab obliquâ in rectam orationem :

» νος ὀψισθέντα, ἐποφθαλμίσας τῷ χρυσίῳ. Εἶτα ἔμελλεν ἐκκομίξειν ἐφ᾽ ἁμάξης » ἀγούσης κόπρον, ὑποκρύψας ἐν ταύτῃ τὸν πεφονευμένον· ἡ τοίνυν ψυχὴ τοῦ » τεθνεῶτος ἐφίσταται Μεγαρεῖ τινι, καὶ λέγει ὅσα τε ἔπαθε, καὶ ὑφ᾽ ὅτου, » καὶ ὅπως ἐκκομίζεσθαι μέλλει, καὶ κατὰ ποίας πύλας. Ὁ δὲ οὐκ ἤκουσε » ῥαθύμως τὰ λεχθέντα· κνεφαῖος δὲ διαναςὰς καὶ παραφυλάξας τοῦ ζεύγους » (102) ἐπελάβετο, καὶ ἀνίχνευσε τὸν νεκρόν. καὶ ὁ μὲν ἐτάφη, ὁ δὲ ἐκολάσθη. » CICERO etiam De Divinat. L. I. c. 27. idem somnium, ut a Stoicis creberrime commemoratum, his verbis narrat : « Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse, ad hospitem alterum. Qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. Eum primo perterritum somnio surrexisse; dein, cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur : se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum : petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum, mane bubulco præsto ad portam fuisse : quæsisse ex

---

cujus exempla aliquot e THUCYDIDE notavimus. Lib. V. c. 14. T. I. p. 708. Baueri : Ξυνέβη··· ὥςε πολέμου μὲν μηδὲν ἔτι ἅψασθαι μηδετέρους· πρὸς δὲ τὴν εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον. VI. 77. T. II. p. 116. VIII. 76. p. 420. Huc pertinere quodam modo videtur etiam locus HOMERICUS, Odyss. I. 373 : — ἀγορήνδε καθεζώμεσθα··· ἵν᾽ ὑμῖν μῦθον··· ἀποειπω, ἐξίεναι μεγάρων· ἄλλας δ᾽ ἀλεγύνετε δαῖτας. Cf. FR. ASTIUS ad Platonis Legg. pag. 160.

(102) Apud EUMDEM Voce Κνεφᾶιος, T. II. p. 334. ubi postrema hæc verba itidem afferuntur, additum est τῶν βοῶν.

eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse: mortuum erutum esse; cauponem, re patefactâ, pœnas dedisse. »

§. XCIII.

ΠΕΡΙ ΕΞΕΩΝ.

JANUS BAKIUS V. C. Animadverss. in Cleomedis Circular. Doctr. De Sublim. Lib. I. cap. 1. p. 277. probatâ Balforei interpretatione ἕξιν accipientis pro *vi et facultate*, hæc subjicit: « Eamdem Cicero, hoc ipsum explicans, *vinculi* nomine significat, et *contentionem gravitatis et ponderum* appellat, Nat. Deor. II. 45.— Ἕξεως similis est potestas in Stoicorum Morali disciplinâ, ut facultatem et studium (ἐπιτηδεύματα) significet: cf. præter ea quæ in Posidonio pag. 212. notavi, Plutarchus De Virtute Morali pag. 443. D. 451. B. » Cum autem Chrysippi locus a Plutarcho nobis servatus manifesto in priori genere versetur, hoc opus ad Physica referre non dubitavimus. Sic enim PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1053. F: — πάλιν ἐν τοῖς Περὶ Ἕξεων, « οὐδὲν » ἄλλο τὰς ἕξεις πλὴν ἀέρας εἶναι » φησίν· « ὑπὸ τούτων γὰρ συνέχεται τὰ » σώματα· καὶ τοῦ ποιὸν ἕκαςον εἶναι τῶν ἕξει συνεχομένων αἴτιος ὁ συνέχων » ἀήρ ἐςιν, ὃν σκληρότητα μὲν ἐν σιδήρῳ, πυκνότητα δ' ἐν λίθῳ, λευκότητα » δ'ἐν ἀργύρῳ καλοῦσι. » Conf. quæ diximus supra Part. II. Cap. III. §. XXXVI. not. 125 et 126. Ne plura hîc adjiciamus facit copiosissima de hac re disputatio THOM. GATAKERI ad Marc. Antonin. Lib. VI. §. 14. Opp. Critic. pag. 176. Alia dedit J. A. FABRICIUS ad Sextum Empiric. Adv. Mathematt. Lib. VII. segm. 102. pag. 390. et Lib. IX. segm. 81. pag. 570.

CAPUT QUARTUM.

OPERA MORALIA.

§. XCIV.

ΥΠΟΓΡΑΦΗ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ.

Apud Joannem Stobæum Eclogg. Lib. II. pag. 242. laudatur Chrysippus ἐν τῇ ὑπογραμμῇ τοῦ λόγου; sed recte ex Diogene Laert. Lib. VII. segm. 199. Heerenius, Menagio ad l. l. obtemperans, in suâ editione rescripsisse videtur ὑπογραφῇ pro ὑπογραμμῇ. Locus ipse hic est: Περὶ γὰρ πάντων τῶν παραδόξων δογμάτων ἐν πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις ὁ Χρύσιππος διελέχθη, καί γε ἐν τῷ περὶ δογμάτων καὶ ἐν τῇ Ὑπογραφῇ τοῦ Λόγου, καὶ ἐν ἄλλοις πολλοῖς τῶν κατὰ μέρος συγγραμμάτων. Apparet autem ex iis quæ Stobæus hic de fontibus dicit, quibus in explicandâ Stoicorum doctrinâ sit usus, eum Chrysippi in primis scripta ante oculos habuisse: monente jam ad h. l. Heerenio. Sed eam in rem conferenda ejusdem Stobæi verba Lib. I. pag. 180. Heer.

§. XCV.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΟΡΩΝ.

Hujus operis mentio occurrit apud LAERTIUM Lib. VII. segm. 60. Ὅρος δέ ἐϛιν (ὥς φησιν Ἀντίπατρος.....) λόγος κατὰ ἀνάλυσιν ἀπαρτιζόντως ἐκφερόμενος· ἢ, ὡς ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Ὅρων, καὶ ἡ ἀπόδοσις. Illa ἀπόδοσις, quam *redditionem* appellare QUINCTILIANUM I. O. Lib. VIII. cap. 3. §. 79. monet ad l. l. Aldobrandinus, hoc loco significat *responsionem*, qua eâdem definitio quædam contineatur. Addendus est hic locus H. STEPHANI Thes. L. Gr. T. I. col. 993. D. E. et conferendus HERMOGENES De Invent. Lib. I. pag. 6. Sturmii. Eâdem ratione ἀποδιδόναι *definiendi* notionem habet apud PLATONEM De Republ. Lib. I. c. 18. pag. 379. A. Οἷος τυγχάνει ὁ θεὸς ὤν, ἀεὶ δήπου ἀποδοτέον: et apud ARISTOTELEM Ethicor. Nicom. Lib. I. c. 4. Περὶ τῆς εὐδαιμονίας, τίς ἐϛιν, ἀμφισβητοῦσι καὶ οὐχ ὁμοίως οἱ πολλοὶ τοῖς σοφοῖς ἀποδιδόασι. De alio hujus verbi usu, ad rationem itidem translato, egregie disputavit Cel. WYTTENBACHIUS Animadverss. in Julian. (Bibl. Crit. Vol. III. P. II.) pag. 58. et pag. 210. sq. ed. Lips. Schæf. Conf. BUDÆUS Comm. L. Gr. pag. 532. sq. Asc. De vocis ὅρος significatione, qua a Dialecticis et Rhetoribus usurpatur, non est quod moneamus post ea quæ collegerunt H. STEPHANUS Thes. L. Gr. T. II. col. 1465. E. F. et Jo. Chr. Th. ERNESTI Lex. Technolog. Græcor. Rhetor. pag. 235. sqq. Hoc solummodo videtur esse addendum, Chrysippi definitionem a Laërtio servatam pleniorem exhiberi a Grammatico Bekkeri, Ancedot. Græc. T. II. pag. 647. lin. 17: ubi prolatâ et explicatâ definitione, quam dedit Aristoteles Topicor. Lib. I. ita pergit: ὁ δὲ Χρύσιππος λέγει ὅτι ὅρος ἐϛὶν ἡ τοῦ ἰδίου ἀπόδοσις, τουτέϛιν ὁ τὸ ἴδιον ἀποδιδούς.

His addamus locum Chrysippi qui exstat apud PLUTARCHUM De Placitis Philoss. pag. 885. B. — καὶ πάλιν ἐν τοῖς Ὅροις (sc. Χρύσιππός φησι) « Εἱμαρμένη ἐςὶν ὁ τοῦ κόσμου λόγος, ἢ νόμος τῶν ὄντων ἐν » τῷ κόσμῳ, προνοίᾳ διοικουμένων· ἢ λόγος, καθ' ὃν τὰ μὲν γεγονότα γέγονε, » τὰ δὲ γινόμενα γίνεται, τὰ δὲ γενησόμενα γενήσεται. » Quod si STOBÆO Lib. I. pag. 180. in hac re fides est habenda, excerpta hæc sunt e *Libro Secundo* Περὶ Ὅρων.

§. XCVI.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΩΝ.

Chrysippum non minus ac reliquos Stoicæ sectæ Philosophos, Grammaticis subtilitatibus insigniter esse delectatum pluraque in hoc genere scripta reliquisse et constat et supra a nobis demonstratum est. Hic apponamus unum CICERONIS locum De Nat. Deor. III. 24. « Magnam molestiam suscepit, et minime necessariam, primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commenticiarum fabularum reddere rationem : vocabulorum, cur quique (sc. Dii) ita appellati sint, causas explicare. » coll. De Offic. L. I. c. 7. §. 23. Vid. omnino MENAGIUS Amoenit. Juris Civ. Cap. 39. pag. 310. sqq. et FRID. CREUZERUS in Dionyso pag. 10. sq. Plurima Stoicorum etymologiarum exempla dedit DIOGENES LAERT. L. VII. s. 147. ad eumque MENAGIUS pag. 318. sqq. Sed age Chrysippi locos, qui aut ex hoc ipso Opere aut ex aliis ejus Grammaticis libris excerpti esse videntur, hic apponamus.

ATHENÆUS Lib. XV. cap. 34. pag. 686. F. Tom. IV. pag. 505. sq. Schw. Καὶ ὁ θαυμασιώτατος δὲ Χρύσιππος, τὴν ὀνομασίαν, φησὶ, λα-

30.

βεῖν τὰ μύρα ἀπὸ τοῦ μετὰ πολλοῦ μόρου (103) καὶ πόνου ματαίου γίνεσθαι: ubi vid. Animadversiones Is. CASAUBONI et Jo. SCHWEIGHÆUSERI, Tom. VIII. pag. 191. ac de ipsâ vocis etymologiâ rursus ad Lib. XV. cap. 37. pag. 688. C. Tom. VIII. pag. 203. sq. Schweigh. Memorabilis præcipue est locus Etymologici Magni pag. 590. 42. Sylb.: unde intelligitur voces μόρος, μορία variis ex caussis et ipsas esse ad *oleas* translatas. Conf. Etymol. Gudian. pag. 398. 23. PHAVORINUS pag. 85. 8. p. 611. 31. p. 1273. 53. et pag. 1643. 20. Sed latius patet hæc res quam ut confici nunc a nobis possit. Addamus solummodo ZONARAM col. 1378. qui ita explicat originem vocis μόρον· ἀπὸ τοῦ ἐκπιέζεσθαι καὶ ἀποςάζειν· μόρω γὰρ τὸ ῥέω: laudans versum Apollonii Rhodii Argonaut. I. 938. cui explicationi certe adversatur Scholiasta Paris. ad h. l. ἐπιμόρεται positum esse dicens pro βοᾷ καὶ ἐπικλύζεται. Conf. etiam LYCOPHRON Cassandr. v. 982.

Idem ATHENÆUS Lib. XIV. pag. 659. A. Tom. V. pag. 399. Schweigh. Ἐκάλουν δ' οἱ παλαιοὶ τὸν μὲν πολιτικὸν μάγειρον Μαίσωνα, τὸν δ' ἐκτόπιον Τέττιγα. Χρύσιππος δ' ὁ φιλόσοφος τὸν Μαίσωνα ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι οἴεται κεκλῆσθαι, οἷον τὸν ἀμαθῆ καὶ πρὸς γαςέρα νενευκότα· ἀγνοῶν ὅτι Μαίσων γέγονε κωμῳδίας ὑποκριτὴς Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον μαίσωνα, ὡς Ἀριςοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος ἐν

---

(103) Vid. HESYCHIUS s. vv. μορόεντα et μόροι col. 621. Alb. Iliad. XIV. 183. Odyss. XVIII. 298. ibiq. Schol. Min. et EUSTATHIUS p. 976. 40. ZONARAS col. 1367. HESYCHII Lex. ab Hermano edit. col. 202. Etymol. Magn. p. 591. 10. coll. 473. 3. Sylb. Etymol. Gudian. p. 279. 49. p. 379. 49. Hinc μορεῖν pro πονεῖν, ut μορεῖν τὴν γῆν. Etymol. Magn. p. 229. 44. Etymol. Gudian. p. 122. 18. et μόρημα, quod multo labore efficitur. Etymol. Magn. p. 584. 30. Etymol. Gudian. p. 392. 57. PHAVORINUS p. 1257. 31. Conf. *Ev. Scheidius* in Jo. DAN. LENNEPII Etymol. L. Gr. p. 433.

τῷ Περὶ Προσώπων, εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ τοῦ θεράποντος πρόσωπον καὶ τὸ τοῦ μαγείρου. FESTUS De V. S. p. 238 Dac. « Meson (scr. Mæson cum Jos. Scaligero) persona comica appellatur, aut coci aut nautæ, aut ejus generis. dici ab inventore ejus Mesone comœdo ait Aristophanes Grammaticus. » Vid. HESYCHIUS Voce Μαίσων, Tom. II. col. 526. Voce τέττιξ, col. 1375. et utroque loco Interpretes. Priori pro μαγειρεῖον scribendum esse μαγείρου προσωπεῖον ad laudatum Athenæi locum conjecit SCHWEIGHÆUSERUS, T. VI. pag. 655. Uberiori disputatione hanc rem persecutus est GOTTFR. OLEARIUS ad Philostr. Vit. Apollon. IV. 6. in Addend. pag. 954. sq.

PLUTARCHUS Lib. Amator. pag. 757. B. Ὁ Χρύσιππος ἐξηγούμενος τοὔνομα τοῦ θεοῦ (Ἄρεος), κατηγορίαν ποιεῖ καὶ διαβολήν· ἀναιρεῖν γὰρ εἶναι τὸν Ἄρην φησὶν, ἀρχὰς διδοὺς τοῖς τὸ μαχητικὸν ἐν ἡμῖν καὶ διάφορον καὶ θυμοειδὲς, Ἄρην κεκλῆσθαι νομίζουσιν. Ex ejusmodi locis profecisse videntur Grammatici posteriores. Etymolog. Gudian. col. 76. 1: Ἄρης, παρὰ τὸ τὴν ἄρσιν καὶ ἀναίρεσιν, κ. τ. λ. Etymol. Magn. p. 140. 21. παρὰ τὸ αἱρῶ, ὁ ἀναιρετικὸς, αἴρης, ἄρης, ἐλλείψει τοῦ ῐ: ubi plures aliæ hujus nominis etymologiæ indicantur; quibuscum conf. LENNEPII Etymolog. L. Gr. p. 120. sq. et CREUZERI V. Cl. Symbol. et Mytholog. Vett. Populor. T. II. p. 612. Add. PLATO Cratylo p. 407. D. Steph.

JO. LAUR. LYDUS De Mensibus pag. 89. — ὁ Χρύσιππος οὐ Διώνην ἀλλὰ Διδόνην αὐτὴν (sc. τὴν Ἀφροδίτην) ὀνομάζεσθαι ἀξιοῖ παρὰ τὸ ἐπιδιδόναι τὰς τῆς γενέσεως ἡδονὰς (104), Κύπριν δὲ ὀνομασθῆναι παρὰ τὸ κύειν παρέχειν, καὶ Κυθηρίην ὁμοίως παρὰ τὸ μὴ μόνον ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ θηρίοις τὸ

---

(104) Adde hæc, si tanti videntur, iis quæ in hanc rem collegit Cel. CREUZERUS Meletematt. Part. I. p. 44.

χύειν ἐπιδιδόναι (105). Ἔνθεν Ἑρμῆς ἐν τῇ Κοσμοποιΐᾳ τὰ μὲν ὑπὲρ ὀσφῦν ἄρρενα τῆς Ἀφροδίτης, τὰ δὲ μετ' αὐτὴν θήλεα παραδίδωσιν· ὅθεν Πάμφιλοι καὶ πώγωνα ἔχουσαν ἐτίμησάν Ἀφροδίτην ποτέ. De Venere, mare et feminâ, locus primarius est MACROBII, Saturnal. L. III. c. 8. pag. 315. Steph. Conf. PHILOCHORI Fragmm. ed. Siebelis pag. 19. sq. et omnino HEINRICHII Hermaphroditor. Origg. et Caussæ Sect. III. Barbatæ Veneris, quæ a Cypriis colebatur, meminit etiam SERVIUS ad Virgilii Aen. II. v. 610.

Apud eumdem LYDUM, Op. laud. pag. 95. exstiterat Chrysippi explicatio nominis Διός: sed locus corruptus legitur in Codd. nec ab editore dignus est habitus, in quo emendando tempus perderet. Neque nos in tantâ festinatione de emendando potuimus cogitare. Sed hoc saltem nostri esse officii arbitrabamur, ut quæ adminicula ad corrigendum et supplendum hunc locum suppeditavit Cel. CREUZERUS ad Cicer. De N. D. I. 15. pag. 70. ea hîc repeteremus. Sunt vero hæc: « Jovem autem pro fato habebant plures philosophi. Eustath. ad Odyss. XX. 75. sq. (pag. 722. 34. Basil.) cui junge Plotinum pag. 435. pag. 298. Stobæi Eclogg. I. pag. 180. (coll. pag. 46.) et Cornutus De N. D. cap. 2. pag. 141. Plato Cratylo pag. 396. A. » Conf. quæ de eâdem re nos diximus supra.

MACROBIUS Saturnal. Lib. I. cap. 17. pag. 236. Steph. « Plato Solem Ἀπόλλωνα cognominatum scribit ἀπὸ τοῦ ἀεὶ πάλλειν τὰς ἀκτῖ-

---

(105) Has meras esse Grammatici nugas nemo non videt. Sed conf. HESIOD. Deor. Generat. V. 188–206. CALLIMACHI Hymn. in Delum v. 306–312. ibique EZECH. SPANHEMIUS; PLUTARCHUS Vit. Thesei cap. 20 et 21. T. I. p. 21. sq. Schæf.; FESTUS De Verb. Sign. L. III. p. 111. Dac. CORNUTUS De Nat. Deor. Cap. 24.

νας (106), id est, a jactu radiorum. Chrysippus Apollinem ὡς οὐχί τῶν πολλῶν καὶ φαύλων οὐσιῶν, τοῦ πυρὸς, ὄντα, (prima enim nominis litera retinet significationem negandi) ἢ ὅτι μόνος ἐςὶ, καὶ οὐχὶ πολλοί. Nam et Latinitas eum, quia tantam claritudinem solus obtinuit, Solem vocavit.» De Apollinis etymo disputandi otium nobis fecerunt DAVISIUS, CREUZERUS et WYTTENBACHIUS ad Cicer. De Nat. Deor. L. II. c. 27. pag. 316. sq. et pag. 755. Add. FR. SICKLER in libro qui inscribitur Cadmus pag. 89.

ETYMOLOGICUM MAGN. pag. 540. 7. Sylb. Τὸν Κρόνον φασὶν ἐκ τοῦ κρᾶν καὶ κρινᾶν ἕκαστα τῶν γενεθλιωμάτων, καὶ μίξαντα τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι. Χρύσιππος δέ φησιν ὅτι, καθύγρων ὄντων τῶν ὅλων, καὶ ὄμβρων καταφερομένων πολλῶν, τὴν ἔκκρισιν τούτων Κρόνον ὠνομάσθαι. Vid. quæ de hac re, ad Chrysippum maxime respiciens, plura disputavit FR. CREUZERUS in Meletematt. pag. 44. sq. et rursus ad Cicer. De Nat. Deor. I. 25. pag. 303. sq.

Idem ETYMOL. MAGN. pag. 701. 23. Χρύσιππος λέγει τὴν γῆν Ῥέαν κεκλῆσθαι, ἐπειδὴ ἀπ' αὐτῆς ῥεῖ τὰ ὕδατα. De Rheæ fabulâ non est quod plura dicamus, quandoquidem copiose de illâ disputavit Veterumque locos collegit GER. JO. VOSSIUS Theolog. Gentil. Lib. II. pag. 357. 438. sq. 594. sq. 606 et 625. — His autem Deorum Etymologiis alia quædam subjiciamus ex eodem Etymologico depromta. Pag. 57. lin. 25. Sylb. Ἀλάςωρ···κατὰ Χρύσιππον τὸν φιλόσοφον, ἐπὶ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ φονέως, ἀπὸ τῆς ἐλάσεως, ὁ ἄξιος τοῦ ἐλαύνεσθαι διὰ φόνον· ἢ ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι τὸ πλανᾶσθαι· ἢ ὁ ἄλαστα δρῶν. Quæ

(106) Cf. Etymol. Magn. p. 130. 21. p. 321. 56. Sylb. Etymol. Gudian. p. 68. 14. Alia est Apollinis etymologia, quam persequitur PLATO Cratylo p. 404. E. sq. Steph.

ut Chrysippea, ex parte etiam exhibet Grammaticus Bekkeri, Anecdd. Grr. Tom. I. pag. 374. l. 22. Ἀλάςωρ· ὁ ἁμαρτωλός· ἢ ὁ φοινικὸς δαίμων. καὶ κατὰ μὲν Χρύσιππον τὸν φιλόσοφον ἀπὸ τῆς ἐλάσεως, ὁ ἄξιος ἐλαύνεσθαι διὰ φόνον, κ. τ. λ. Varias hujus vocis etymologias attigit H. Stephanus Thes. L. Gr. T. II. col. 694. A-D. Conf. Etymol. Gud. col. 32. l. 28. Suidas T. II. col. 100. ibiq. Kuster. Hesych. T. I. col. 219. Zonar. T. II. col. 116. sq. Harpocration pag. 20. et Eustathius ab H. Valesio ad h. l. laudatus, Annotatt. pag. 5. — Pag. 272. l. 17. Διδάσκω···· Ἡρωδιανὸς λέγει, ὅτι Χρύσιππος φησὶ παρὰ τὸ ἀσκεῖν τὸ σημαῖνον τὸ διδάσκειν τὶ, ἀσκῶ διάσκω. Eadem exiguâ differentiâ exhibet Zonaras Tom. I. col. 543. — Pag. 361. l. 12. Ἐπικυνεῖν, σημαίνει ἐπὶ τοῦ ςόματος φιλεῖν. κύλοι γὰρ τὰ βλέφαρα· ὅθεν καὶ κυλοιδιᾶν λέγεται, τὸ ἐπῆρθαι τοὺς ὀφθαλμούς· (καὶ Χρύσιππος· γράφεται Κυλλήνιος ὁ Ἑρμῆς, ἐπειδὴ ἡ ῥάβδος αὐτοῦ ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει.) ἀπὸ τοῦ ἐπιπολὺ καθεύδοντας οἰδεῖν τοῦς ὀφθαλμοὺς, κ. τ. λ. cf. pag. 544. l. 41. Eadem Chrysippo tribuuntur in Etymol. Gudiano pag. 201. l. 23. et 201. l. 12. De Mercurio Cyllenio vid. Apollodori Fragmm. pag. 400. Heynii. Pausanias L. VIII. cap. 17. T. II. pag. 400. sq. Facii. Eustathius ad Iliad. II. 603. XV. 618. Odyss. XXIV. 1. et quæ præterea dedit Cel. Creuzerus in Meletematt. pag. 34. — Pag. 331. l. 53. Κορυθάλη, ἡ πρὸ τῶν θυρῶν τιθεμένη δάφνη· ὅτι οἱ κλάδοι (οὓς κόρους καλοῦσι) θάλλουσιν, ὡς καὶ Χρύσιππος· Ἀλλὰ δᾷδας ἡμμένας μοι δότω τις ἔνδοθεν, καὶ κοροὺς πλεκτοὺς ἀκραπνεῖς μυῤῥίνης. Aliter hic locus legitur in Etymolog. Gudian. pag. 338. l. 13. conf. Hesychius voce κορυθαλία, ibique Interprr. T. II. pag. 323. — Pag. 647. l. 37. Παλαιςή···· σπιθαμή···· ὡς Χρύσιππος, διὰ τὸ ἀποσπᾶσθαι τὴν ὅλην χεῖρα. Cf. Etymolog. Gud. pag. 448. 56. ubi eadem fere habentur. Jul. Pollux Onomast. L. II. segm. 157. Hesychius Voce σπιθαμή, ibiq. Interprr. T. II. pag. 1248. Photii Lex. ab Hermanno editum col. 391. sq. —

Pag. 751. l. 15. Χρύσιππος δέ φησι, τοὺς περὶ τῶν θείων λόγους εἰκότως καλεῖσθαι τελετάς· χρῆναι γὰρ τούτους τελευταίους καὶ ἐπὶ πᾶσι διδάσκεσθαι τῆς ψυχῆς ἐχούσης ἕρμα καὶ κεκρατημένης, καὶ πρὸς τοὺς ἀμυήτους σιωπᾶν δυναμένης· μέγα γὰρ εἶναι τὸ ἆθλον ὑπὲρ θεῶν ἀκοῦσαί τε ὀρθὰ καὶ ἐγκρατεῖς γενέσθαι αὐτῶν. Pleniora hæc sunt quam ea quæ de eâdem re tradit PLUTARCHUS De Stoicis Repugnantiis pag. 1035. A. — Denique pag. 81. l. 16. perhibetur, Chrysippum scripsisse ἀμβωμοῖσιν, cum Aristarchus separasset has voces, scribens ἀμ βωμοῖσιν. Semel tantum legitur apud Homerum, Iliad. VIII. 441. ubi Wolfius Aristarchi rationem est secutus. Vid. ad. h. l. EUSTATHIUS pag. 612. Basil. et APOLLONII Lex. Homer. Voce βωμούς, ubi conf. TOLLIUS pag. 200.

SCHOLIA VENETA ad Iliad. a Villoisono edita, XIII. v. 41. pag. 208. B.: Αὐΐαχοι· οἱ μὲν παρὰ τὸ αὔειν καὶ ἰαχειν· οἱ δὲ ἐξαιρεθέντος τοῦ ν, τὸ υ πρόσθεσιν, ὡς ἀγαθὸς, ἄγαυος, καταξαντες, κανάξαντες· οἱ δὲ κατ' ἐπίτασιν ὄντος τοῦ α, ἄϊαχοι, εἶτα πλεονάσαντος τοῦ υ. Χρύσιππος δὲ ὁ Στωϊκὸς καὶ Διονύσιος ὁ Θρᾷξ δασύνουσι τὸ ἵαχοι, ἵν' ἢ ξηρόφωνοι. Cf. Etymolog. Magn. pag. 169. 33. Sylb. Vox αὐΐαχοι apud Homerum semel occurrit. Iliad XIII. v. 41. ubi vid. Schol. Min. et EUSTATHIUS pag. 885. sq. Basil. Quibus add. APOLLONII Lex. Hom. pag. 176. Tollii, HESYCHIUS T. I. col. 614. ibiq. Interprr. PHAVORINUS col. 7. l. 18. et 26. col. 318. l. 3.

SCHOLIUM COD. PALATINI ad Odyss, V. vers, 240, prolatum a *Phil. Buttmanno* in Scholiis Antiqu. in Hom. Odyss. Berol. 1821. pag. 195. Περίκηλα. Ἀρίσαρχος ὥσπερ ξηρὰ ἐκδεχόμενος, τὰ περικεκαυμένα ὑπὸ ἡλίου· Χρύσιππος δὲ διήρει, περὶ κῆλα, περισσῶς ξηρά. Vox περίκηλα rursus legitur Odyss. XVIII. v. 309. Cf. APPOLLONII Lex. Hom. pag. 548. HESYCHIUS T. II. col. 927. Etym. Magn. col. 168. l. 30. c. 510. 28.

SCHOLIASTES Theocriti ad Idyll. V. vers. 5. pag. 71. Reiskii. Δοῦλος καὶ οἰκέτης διαφέρει, ὥς φησι Χρύσιππος· οἰκέτης μὲν ὁ ἔτι ὑπὸ κτῆσιν ὤν· δοῦλος δὲ ὁ ἀπελεύθερος. Eadem fere habet ATHENÆUS Lib. VI. pag. 267. B. T. II. pag. 522. sq. Schw. Διαφέρειν φησὶ Χρύσιππος δοῦλον οἰκέτου, γράφων ἐν δευτέρῳ Περὶ Ὁμονοίας, διὰ τὸ τοὺς ἀπελευθέρους μὲν, δούλους ἔτι εἶναι· οἰκέτας δὲ τοὺς μὴ τῆς κτήσεως ἀφειμένους· « Ὁ γὰρ » οἰκέτης, φησὶ, δοῦλός ἐστι κτήσει κατατεταγμένος: » ubi vid. CASAUBONUS et SCHWEIGHÆUSERUS, T. III. pag. 570. Alias differentias statuunt THOMAS MAG. Voce οἰκέται pag. 644. Bern., AMMONIUS Voce δοῦλοι pag. 45. quo posteriori loco nec Chrysippea prætermisit Valckenarius.

PLUTARCHUS De Audiendis Poëtis pag. 31. E. jejunitatem Chrysippo exprobrans dicit, Jovis prædicatum Εὐρυόπα ad dicendi vim et præstantiam eum detorsisse. Conf. §. XLVIII. De variis hujus vocis significationibus sufficiat laudasse Grammaticos potiores, EUSTATH. ad Iliad. I. 498. pag. 106. sq. Basil. APOLLON. Lex. Hom. pag. 312. Tollii, HESYCH. T. I. col. 1528. et quos ad h. l. indicavit JO. ALBERTI.

HESYCHIUS col. 1519. Alberti: Φολιά· πάθα. Χρύσιππος δὲ καὶ τὸ σέλινον οὕτω καλεῖ. Hæc, quod sciam, aliunde non nota sunt. Verbis φολιά· πάθα forsitan vitii aliquid inhæret, non animadversum ab editoribus.

ZONARAS Lex. T. I. col. 491. Tittm. Δεῦρο. ἀπὸ τοῦ θέω γίνεται θεῦτε καὶ, τροπῇ τοῦ θ εἰς λ καὶ τοῦ τ εἰς ρ δεῦρο καὶ δεῦτε. οἱ γὰρ προσκαλούμενοι θέουσι πρὸς τοὺς καλοῦντας· ἰςέον, ὅτι τὸ δεῦρο δύο σημαίνει, τὸ ἐνταῦθα, ὡς ἐν τῷ

δεῦρο μαχεσόμενος —

καὶ τὸ ἔξελθε, ὡς ἐν τῷ· Λάζαρε, δεῦρο ἔξω. Οὕτω Χρύσιππος. Alterum exemplum petitum est ex Iliad. I. 153. alterum ex Joan. XI.

43. Pleniora, nec tamen addito Chrysippi nomine, hæc leguntur in Etymol. Magn. col. 258. 54. Sylb. et in Etymol. Gud. col. 139. 32. De variis vocis δεῦρο usibus bene jam exposuit H. STEPHANUS Thes. L. Gr. Append. col. 722. A-C. De peculiari autem illius potestate, qua etiam de commoratione in loco usurpatur, vid. HEINDORFIUS ad Platonis Theætet. pag. 284. et quæ plura exempla e Philostrato attulit G. J. BEKKERUS V. D. in Specim. Var. Lectt. et Obss. in Philostr. Vit. Apollon. pag. 78. Add. APOLLONIUS RHODIUS Argonaut. II. 874. Ὡς δὲ καὶ ἄλλοι δεῦρο δαήμονες ἄνδρες ἔασι.

ZONARAS Tom. I. col. 494. Δήμαρχος. ὁ τοῦ δήμου ἄρχων. [ὃς κατὰ χώραν δήμου τινὸς προϊςάμενος ἐπέγραφε τὰς οὐσίας ἑκάςῳ πρὸς τὰ δημόσια ὀφλήματα· οὕτω Χρύσιππος.] Eadem fere omissâ Chrysippi auctoritate, leguntur in Etymol. Mag. pag. 265 l. 20. Sylb. et in Vocc. Rhetoric. apud BEKKERUM Anecdd. Grr. T. I. pag. 237. 8. Conf. HESYCHIUS Voce Δήμαρχοι, ibique ALBERTI T. I. col. 927. HARPOCRATION Voce δήμαρχος, pag. 120. Voce ναυκραρικά, pag. 250. cum Annott. PH. JAC. MAUSSACI, et Vocc. Rhetoric. laudd. pag. 242. 16. coll. pag. 199. Voce ἀπογράφειν. Vid. omnino A. BOECKHII Oecon. Civit. Atheniensium T. I. pag. 169. T. II. pag. 48.

SCHOLIASTES Pindari ad Nem. I. v. 49. T. II. pag. 670. Heynii: ὁ δὲ Χρύσιππος Νεμεακὸν εἶναί φησι τὸν ἀγῶνα, καὶ τὸν ἐπὶ τούτῳ δῆλον ἐπινίκιον, διά τε τὸ, Νεμεαῖον εἶναι τὸν λέοντα, ταύτῃ τὸν Ἡρακλέα τοῖς τοῦ νενικηκότος ἐπαίνοις ἐγκαταμεμίχθαι. ἀντιπράττει δὲ καὶ τούτῳ τὸ, μηδ' ὅ,τι οὖν τὸν Πίνδαρον εἰπεῖν περὶ λέοντος, ὅπερ αἰτιώτατον τῆς παραβάσεώς φησιν ὁ Χρύσιππος εἶναι. — Isthm. I. v. 56. Ὁ πονήσας δὲ, νόῳ καὶ προμάθειαν φέρει. p. 802. Ὁ Χρύσιππος ἐμφαίνειν φησὶν, ὡς καὶ πρότερον μὲν συνετῶς ἐγχωρήσαντα, ὡς μὴ κινδυνεύσῃ, καὶ κατὰ τὴν κάθοδον ἠσφαλισμένον τὰ καθ' ἑαυτόν. Ad rem vid. HESIODUS Opp. et DD. v. 218. quem versum tetigit PLATO Convivio pag. 222. B. Steph. HOMER.

Iliad. XVII. 32. XX. 198. et ad priorem locum EUSTATHIUS pag. 1123. sq. Basil. : quem adhibuit etiam GALENUS Protrept. Cap. 8. pag. 23. Willet. — Isthm. I. v. 67. ad verba καὶ ὃν πόντος τρέφει. pag. 803. Χρύσιππος, τὸν ἔμπορον· Δίδυμος τὸν ἁλιέα φησί. — I. 76. ad verba Αμμι δ' ἔοικε···· κελαδῆναι. pag. 804. Χρύσιππος, παρείληφε, φησὶ, τὸν Ποσειδῶνα, διὰ τὴν γειτνίασιν τοῦ Ὀγχηςοῦ. καθὼς συμβέβηκεν ἱπποδρομίου Ποσειδῶνος ἱερὸν ἐν Θήβαις εἶναι. — II. 58. ad verba Οὐδέ ποτε ξενίαν οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέςειλ' ἱςίον ἀμφὶ τράπεζαν: quæ sic explicuit Chrysippus, pag. 813 : Ξενοκράτης δὲ οὐδέποτε οὕτως ἐχειμάσθη, ὥςε μὴ διομαλίσαι τὴν τράπεζαν. — IV. v. 14. ad verba Κελαδεννᾶς Ὕβριος. pag. 819. Χρύσιππος οὖν πιθανῶς τὴν ὕβριν κελαδενὴν εἴρηκε, διὰ τὸ λάλους εἶναι τοὺς ὑβριςάς. — IV. v. 18. ad ἀνορέαις··· Ἡρακλείαις. pag. 819. sq. Ὁ Χρύσιππος οὕτως· Αἱ δ' ἀνδρεῖαι ὑμῶν καὶ ἐν οἴκῳ διαφαίνονται καὶ μέχρι τῶν Ἡρακλείων ςηλῶν διϊκνοῦνται. — IV. v. 25. ad Αλλ' ἁμέρᾳ — ἐςίαν. pag. 820. Χρύσιππος ἀποδέδωκεν, ὅτι δ' συγγενεῖς προπεπτώκασιν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ κατὰ πόλεμον αὐτῶν. καὶ τοῦτο λέγει λελυπηκέναι τὸν οἶκον. — IV. v. 29. Νῦν δ' αὖ···· βουλαῖς: quæ alii aliter explicasse videntur. Χρύσιππος δὲ, μετ' ἐκείνην τὴν ἀτυχίαν καὶ τὸν χειμῶνα ἤνθησαν, ἀλληγορεῖ ἐπὶ τοῦ βίου. pag. 820. — IV. v. 42. ad verba Ἔν τ' Ἀδραςείοις···· ἀοιδᾶν. pag. 821. Τοῦτο δὲ Χρύσιππός φησιν, ὡς ἄλλων ἐγκεκωμιακότων ποιητῶν κατὰ τὸν καιρὸν τὸν πάλαι τὰς νίκας. — IV. v. 50. Τῶν απειράτων γὰρ ἄγνωςοι σιωπαί· pag. 821. Χρύσιππος σεσημείωται, φησὶν, ὁ τόπος διὰ τὴν φράσιν. τὸ γὰρ ἐναντίον βούλεται εἰπεῖν. τῶν ἀπειράτων καὶ ἀπράκτων ἄγνωςοί εἰσιν αἱ λαλιαὶ, ὅ ἐςιν, ἄν τις μὴ πειραθῇ πραγμάτων καὶ παθῶν, οὗτος ἀκλεὴς γίνεται: quam contortam interpretationem merito ridet Scholiastes. — IV. v. 58. Ἴςε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον, κ. τ. λ. pag. 822. sq. Ὁ Χρύσιππος, αἰνιγματωδῶς φησι προσῆχθαι τὴν περὶ Αἴαντος ἱςορίαν. ἄδηλον γὰρ, πότερον εἰς τὴν πάλην τείνει τὴν γενομένην παρὰ τοῦ νικηφόρου, ὅτε ἐνίκησε δόλῳ, ἢ εἰς τὰ περὶ τὴν κρίσιν τῶν ὅπλων. ἄμεινον δέ φησιν, ὅτι καὶ ὡς ὁ Αἴας, μείζων ὢν κατὰ τὸν ἀγῶνα βαςάζων τὸν Ὀδυσσέα, δόλῳ παρ' αὐτοῦ ἐλείφθη, οὕτω καὶ ὁ Μέλισσος μείζονα

ὄντα τὸν ἀνταγωνίςην τῇ τέχνῃ ἐνίκησε. Χρύσιππος οὕτω φησίν· Ἴςε Αἴαντα· ὃς μέγας ὤν, ὄνειδος τοῖς Ἕλλησι περιεποίησε, τὴν κακοκρισίαν αὐτῶν φανηρὰν ποιήσας, ἐπεὶ προσεχαρίσαντο τῇ Ἀθηνᾷ. — IV. v. 63. Ἀλλ' Ὅμηρος ··· ἀθύρειν. pag. 823. Χρύσιππος ἀμφίβολόν φησι τοῦτο εἶναι, πότερον ἐπ' Αἴαντος ἢ ἐπὶ Ὀδυσσέως λέγει. πάντοτε γὰρ ὁ Πίνδαρος τὸν Αἴαντα θαυμάζει. νῦν δὲ ὁ λόγος συνᾴδει Ὀδυσσεῖ. καὶ γὰρ τὸ λέγειν, ὃς αὐτοῦ πᾶσαν ὀρθώσας ἀρετὴν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν, ἐπ' Ὀδυσσέως συμφωνεῖ. ἐπεὶ καὶ μᾶλλον τῆς Ἰλιάδος ἡ Ὀδύσσεια ῥαψῳδεῖται. καὶ ἡ Ἰλιὰς μὲν, πολλῶν κοινὸν ἐγκωμίων· ἡ Ὀδύσσεια δὲ, μόνου Ὀδυσσέως. καὶ οὐκ ἂν, θέλων συστῆσαι τὸν κρείττονα ὑπὸ τοῦ ἥττονος ἐλαττούμενον διὰ τύχην καὶ τέχνην, τὸν Αἴαντα ἐγκωμιαζόμενον εἰσήγαγεν ὑφ' Ὁμήρου. τοῦτο γὰρ ἔλεγχον εἶχε τοῦ ἐγκωμιαζομένου ὑπ' αὐτοῦ. κατὰ δὲ τούτους ὁ μὲν ἀλλὰ κείμενος ἔςαι διαςαλτικός. ὁ δὲ λόγος, καίπερ ἐλάττονα τὸν Ὀδυσσέα γενόμενον Ὅμηρος τετίμηκε. Hanc ratiocinationem, quæ tota videtur a Chrysippo esse profecta, recte ut ineptam exagitat Scholiastes. — IV. v. 68. Τοῦτο γὰρ ἀθάνατον κ. τ. λ. pag. 824. Χρύσιππος ἔφη, αὐτὸ τὸ ποίημα τοῦ Ὁμήρου ἀθάνατον λέγειν, ἢ τὰς τῶν ἐμπεριεχομένων πράξεις τῷ ποιήματι. — IV. 91. Τὰν πυροφόρον Λιβύαν. pag. 826. Χρύσιππος ἀκυρώτερον, φησὶ, τὴν Λιβύην εἴρηκε πυροφόρον. οὐ γὰρ πᾶσα τοιαύτη. — IV. v. 104. Τῷ μὲν Ἀλεκτρᾶν ὕπερθεν κ. τ. λ. p. 827. Χρύσιππος πρὸς ταῖς καλουμέναις φησὶν Ἠλέκτραις πύλαις ᾤκησεν Ἀμφιτρύων, μετὰ ταῦτα Ἡρακλῆς. (f. ἐφ') αἷς κατ' ἔτος Θηβαῖοι ἐναγίζουσί τε τοῖς παισὶ καὶ ἀγῶνας ἐπιταφίους ἄγουσι. et ad v. 106. στεφανώματα βωμῶν. pag. eâd. Χρύσιππος δὲ (sc. φησὶ) ἐκ περιφράσεως τοὺς βωμοὺς αὐτοὺς ςεφανώματα βωμῶν εἰρηκέναι. — IV. v. 123. Σὺν Ὀρσέᾳ δέ νιν κωμάζομαι. pag. 829. Χρύσιππος διασαφεῖ νῦν, ὅτι δεύτερον ἐνίκησεν ἀναβάς. (an ἄνηβος?) ἅπαξ δὲ παίδων τὸν ἀγῶνα. — Ex quo Chrysippi libro desumserit hæc Scholiastes, certo definiri nequit. Plura enim ille in hoc genere scripta reliquerat, ut Περὶ Ποιημάτων, Πρὸς τοὺς Κριτικοὺς aliosque consimiles. Conf. FABRICII Bibl. Gr. Lib. II. cap. 5. T. I. pag. 508. Lib. II. cap. 8. T. I. pag. 584. Harl. Nos ea huc

commode posse referri existimavimus : quamquam non diffitemur melius fortasse nos facturos fuisse, si ad librum Πῶς Δεῖ Τῶν Ποιημάτων Ἀκούειν retulissemus.

§. XCVII.

ΠΕΡΙ ΠΑΡΟΙΜΙΩΝ.

Proverbiorum Scriptores recensentur a FABRICIO Bibl. Gr. Lib. IV. cap. 11. Tom. V. pag. 105-107. Harl. in iisque etiam Chrysippus pag. 106. Duos vero Proverbiorum Libros eum scripsisse testatur DIOGENES LAERTIUS L. VII. s. 200. prioremque commemorarat L. VII. s. 1. ita de Zenone loquens: καὶ Ἀπολλώνιός φησι, ὅτι ἰσχνὸς ἦν, ὑπομήκης, μελάγχρως· ὅθεν τὶς αὐτὸν εἶπεν Αἰγυπτίαν κληματίδα, καθά φησι Χρύσιππος ἐν πρώτῳ Παροιμιῶν, κ. τ. λ. De variis Clematidum generibus sic satis bene exponuit H. STEPHANUS Thes. L. Gr. Append. Col. 1234. E-H. et CL. SALMASIUS Exercitatt. Plinianis Tom. I. pag. 403—405. Hic autem intelligendam esse Daphnoidem quæ Polygonoides quoque ab aliis vocatur, recte monuit ad Laërtii locum Menagius. PLINIUS H. N. Lib. XXIV. cap. 16. extr. (§. 90) : « Est et alia Clematis, Ægyptia cognomine, quæ ab aliis Daphnoides, ab aliis Polygonoides vocatur : folio lauri, longa tenuisque etc. » DIOSCORIDES Mat. Med. Lib. IV. cap. 7. Κληματίς· οἱ δὲ δαφνοειδὲς, οἱ δὲ μυρσινοειδὲς, οἱ δὲ πολυγονοειδὲς καλοῦσι..... πέταλον δὲ μικρὸν, δάφνῃ ἐμφερὲς τῷ τε σχήματι, καὶ τῇ χρόᾳ, μικρότερον δὲ πολλῷ. GALENUS De Vi Medicam. Simplic. Lib. VII. Tom. II. pag. 91. l. 29. Basil. Cf. CURT. SPRENGELII Historia Rei Herbariæ T. I. pag. 178. Fuit igitur proverbium Κληματὶς Αἰγυπτία, cujus vim exemplo prolato illustravit Chrysippus. Idem explicat auctor Incertus libri De Elocutione, qui perperam vulgo tribuitur *Demetrio Phalereo*, §. CLXXII,

pag. 71. Schneid. et SUIDAS Voce Αἰγυπτία Κληματίς T. I. pag. 94. Kust. Ceterum retulit proverbium in suam Collectionem DES. ERASMUS Chil. I. c. 1. pag. 22. (Opp. II. pag. 34. D.).

Diserte præterea hoc Chrysippi opus laudatur a SCHOLIASTA Pindari ad Isthm. II. v. 17. Χρήματα, Χρήματ' ἀνήρ: T. II. pag. 809. Heynii: Τοῦτο ἀναγράφεται μὲν εἰς τὰς παροιμίας ὑπ' ἐνίων. ἀπόφθεγμα δέ ἐστιν Ἀριστοδήμου, καθάπερ φησὶ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Παροιμιῶν. Vid. ERASMI Adag. Chil. II. c. 8. prov. 25. (Opp. T. II. pag. 647. B — E.).

Quæ insuper Chrysippi proverbia memorantur, nullâ hujus operis factâ mentione, cum probabile sit ea nusquam alias quam in illo ipso fuisse consignata, age hic subjiciamus.

ZENOBIUS Proverbior. Centur. II. 18. pag. 32. Schotti. Αἲξ Σκυρία. Χρύσιππος φησὶν ἐπί τῶν τὰς εὐεργεσίας ἀνατρεπόντων τετάχθαι τὴν παροιμίαν· ἐπειδὴ πολλάκις τὰ ἀγγεῖα ἀνατρέπει ἡ αἴξ. μέμνηται Πίνδαρος καὶ Ἀλκαῖος. Pindari locum servavit Athenæus Lib. I. pag. 28. A. Tom. I. pag. 105. Schweig. eumque in Fragmenta ex Epiniciis retulit Schneiderus, apud Heynium Tom. III. pag. 15. sq.

Σκύριαι δ' ἐς ἄμελξιν γάλακτος
Αἶγες ἐξοχώτατοι (107).

— De Capris Scyriis vid. STRABO Lib. IX. pag. 437. B. et ipsum ATHENÆUM Lib. XII. pag. 540. D. Tom. IV. pag. 507. Schweigh. Exstat proverbium apud ERASMUM Chil. I. cent. 10. pr. 20. (Opp. T. II. pag. 373. B.)

---

(107) Recte hic SCHWEIGHÆUSERUS Animadv. Tom. I. p. 207. aut ἐξοχώταται corrigendum statuit, aut ἐξοχώτατον, ut ἑρπετὸν sit ex antecedentibus subaudiendum.

ZENOBIUS Centur. III. 40. pag. 64. Schotti. Δοῖδυξ αὔξει. Ἐπὶ τῶν μὴ αὐξανομένων, φησὶν ὁ Χρύσιππος, ἀλλὰ καὶ μικρὸν μενόντων εἴρηται ἡ παροιμία. ὁ γὰρ δοῖδυξ μικρός ἐςι καὶ ςρόγγυλος. Idem Chrysippo tribuit SCHOLIASTES ad Aristophanis Equites v. 980. p. 216. Kuster. Δοῖδυξ· παροιμία· Δοῖδυξ αὔξει, ἐπὶ τῶν λίαν μικρῶν· ἢ ἐπὶ τῶν αὐξανομένων (108) φησὶν ὁ Χρύσιππος. ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν μικρῶν μενόντων εἴρηται ἡ παροιμιά. Ὁ γὰρ δοῖδυξ μικρός ἐςι καὶ ςρόγγυλος: quem ad verbum exscripsit PHAVORINUS col. 522. lin. 6. Ductum vero est δοῖδυξ a δύω (109) et proprie notat *pistillum*, ARISTOPHANES Equit. l. l. Plut. v. 711. Pac. v. 287. 294.

ZENOBIUS Cent. V. 32. pag. 125.: Οὐ νυκτιπλοεῖς. Ἐπὶ τῶν μὴ ἀκριβῶς τι ποιούντων. Ἡ γὰρ νὺξ ἀκριβεςέρα τῆς ἡμέρας (110) τοῖς πελαγοδρομοῦσι, διὰ τὰς τῶν ἄςρων σημειώσεις· ὁ δὲ Χρύσιππος ἀφελὼν τὴν οὐ ἀπόφασιν, Νυκτιπλοεῖς εἶπεν: ubi hæc annotavit ANDR. SCHOTTUS: « Chrysippum sensu eodem extulisse, etsi negatione sublatâ, vult Erasmus [Chil. IV. cent. 3. pr. 24. col. 1012. A. B.]. Mihi contra videtur. Significat enim Philosophus majori in periculo noctu versari, ne in scopulos ad insulas impingens, navem frangat, quam qui interdiu naviget. »

Proverb. Bibl. Vatican. Centur. III. 36. pag. 303. Schotti. Ὀπισάμβων. Ταύτην Χρύσιππος τάττει κατὰ τὸ τῶν χεῖρον ἐν τοῖς πράγμασι προβαινόντων, παρὰ τὸ ἀεὶ ὀπίσω βαίνειν. μέμνηται δὲ τοῦ ὀνόματος Σοφοκλῆς·

---

(108) E Zenobio hic legendum esse τῶν μὴ αὐξανομένων docuit ANDR. SCHOTTUS ad l. l.

(109) LENNEPII Etymol. L. Gr. p. 183. Aliam vocis etymologiam et significationem vid. in Etymol. Magn. col. 289. l. 5. Sylb. Etymol. Gud. col. 149. 30. ap. ZONARAM T. I. col. 560.

(110) Ita rescripsimus pro τῆς νυκτὸς, monente SCHOTTO ad h. l.

Ad quæ ex H. STEPHANI. Th. L. Gr. Tom. II. col. 1363. E. hæc annotavit Editor: «EUSTATHIUS ad Iliad. XI. pag. 806. Basil. habet ὀπισαμβῶ pro εἰς τοὐπίσω ἀναχωρήσει, incessu retrogrado: derivatum ex ὀπίσω καὶ ἀναβαίνειν, h. e., ut Homerus [Iliad. XVI. 819. XVII. 47.] loquitur, ὀπίσω ἀναχάζεσθαι. Affinis notione est ὀπισθοβάμων.... et εὐχὴ ὀπισθάμβωνος (111). »

SUIDAS Tom. I. pag. 300 Kust.: Κέρκωπες····· Ἡ δὲ παροιμία, κερκωπίζειν· ἣν ὁ Χρύσιππος ἀπὸ τῶν σαινόντων τῇ κέρκῳ ζώων φησὶ μετενηνέχθαι: et mox Voce κερκωπίζειν. Ἡ παροιμία ἀπὸ τῶν προσσαινόντων τῇ κέρκῳ ζώων μετήνεκται. ἄμεινον δὲ λέγειν αὐτὴν ἀπὸ Κερκώπων, οὓς περὶ τὴν Λυδίαν ἱστοροῦσιν ἀπατηλοὺς σφόδρα καὶ ἀηδεῖς γενέσθαι: ac deinde, Κερκωπίζοντες· χλευάζοντες, μωκίζοντες, ὡς οἱ πιθηκοί: quæ postrema etiam habet HESYCHIUS in Lex. ab Hermanno edito, col. 117. Cf. ZONARAS V. Κέρκωπες, col. 1186. ERASMUS Chil. II. cent. 7. pr. 37. Opp. T. II. col. 622. E. De Cercopibus hic non est dicendi locus, quandoquidem et latius patet hæc fabula et fontes illius accurate indicati sunt a Cel. CREUZERO Fragmm. Historicor. Græcor. Antiquiss. pag. 163. sqq. et Symbol. et Mytholog. Veter. Populor. Tom. I. pag. 611. not 85. Tom. II. pag. 224. not. 283.

PLUTARCHUS Vitâ Arati init. pag. 1027. D. T. IX. pag. 132. Schæf. Παροιμίαν τινὰ παλαιὰν, ὦ Πολύκρατες, δείσας μοι δοκεῖ τὸ δύσφημον αὐτῆς ὁ φιλόσοφος Χρύσιππος, οὐχ ὃν ἔχει τρόπον ἀλλ' ὡς αὐτὸς ᾤετο βέλτιον εἶναι, διατίθεσθαι·

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ εὐδαίμονες υἱοί;

---

(111) Unâ interjectâ literâ, sed ab *ambone, palpito*: de quo vid. *Du Cange* Glossar. ad Scriptores Med. et Infimæ Græcitatis Voce ἄμβων, Tom. I. p. 58.

Διονυσόδωρος δ' ὁ Τροιζήνιος, ἐλέγχων αὐτὸν, ἀντεκτίθησι τὴν ἀληθινὴν, οὕτως ἔχουσαν·

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί;

καί φησι, τοὺς ἀμφ' αὐτῶν οὐδενὸς ἀξίους ὄντας, ὑποδυομένους δὲ προγόνων τινῶν ἀρεταῖς, καὶ πλεονάζοντας ἐν τοῖς ἐκείνων ἐπαίνοις, ὑπὸ τῆς παροιμίας ἐπιςομίζεσθαι. Usus etiam est hoc proverbio, sed prius tantummodo hemistichium apponens, CICERO ad Attic. Lib. I. ep. 19. extr. ubi vid. Interpretes pag. 157. Græv. et Jo. A. ERNESTI Clav. Cicer. Ind. Græco.-Lat.

Ex hoc fortasse Chrysippi opere desumtum est etiam quod prodit SENECA De Constantiâ Sapientis Cap. XVII. pag. 184 A. « Chrysippus ait quemdam indignatum, quod illum aliquis *Vervecem marinum* dixerat. » ubi vid. J. LIPSIUS. In stultos autem proverbium valuisse Θαλάσσιον πρόβατον, intelligitur e libro De Elocutione, quod *Demetrio* vulgo adscribitur, §. CLXXII. pag. 71. Schneid. : ubi cf. P. VICTORIUS in ejus edit. Florent. 1594. fol. pag. 154.

§. XCVIII.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΩΣ ΔΕΙ ΤΩΝ ΠΟΙΗΜΑΤΩΝ ΑΚΟΥΕΙΝ.

Hanc inscriptionem in suum librum, qui de eodem argumento est, hinc transtulisse videtur Plutarchus, addidisse autem præterea ΤΟΝ ΝΕΟΝ, quo magis consilium et ætatem, cui scriberet, declararet. Cf. WYTTENBACHIUS Animadverss. ad libr. Plutarch. Quomodo Adolescens Poët. Aud. Debeat Tom. I. pag. 158. In eodem opere Plutarchus bis memorat Chrysippum, tangens, ut videtur, hunc ipsum ejus librum De Audiendis Poëmatis.

Prior locus exstat pag. 31. E. ubi cum Cleanthis in explicando Homero nugas prætermittendas esse dixisset, sic pergit: καὶ Χρύσιππος δὲ πολλαχοῦ γλίσχρος ἐςὶν, οὐ παίζων, ἀλλ' εὑρεσιλογῶν ἀπιθάνως, καὶ παραβιαζόμενος Εὐρύοπα Κρονίδην εἶναι τὸν δεινὸν ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ διαβεβηκότα (112) τῇ δυνάμει τοῦ λόγου. Conf. §. XCVI. extr. Altero loco Chrysippum laudat Plutarchus, quod bene demonstraverit, quomodo quod egregie dictum est dilatandum sit et ad plura officia similia accommodandum. Pag. 34. B. Τὴν δ' ἐπὶ πλεῖον τῶν λεγομένων χρῆσιν ὑπέδειξεν ὀρθῶς ὁ Χρύσιππος, ὅτι δεῖ μετάγειν καὶ διαβιβάζειν ἐπὶ τὰ ὁμοειδῆ τὸ χρήσιμον. Ὅ, τε γὰρ Ἡσίοδος εἰπὼν,

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη (113),

καὶ περὶ κυνὸς αὐτὸ, καὶ περὶ ὄνου λέγει, καὶ περὶ πάντων ὁμοίως τῶν ἀπολέσθαι δυναμένων. Qua de re vid. quæ monuit Wyttenbachius, Introduct. ad hunc libr. §. XIII. pag. 166. sq.

§. XCIX.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΩΣ ΕΚΑΣΤΑ ΛΕΓΟΜΕΝ ΚΑΙ ΔΙΑΝΟΟΥΜΕΘΑ.

Hunc librum propterea memorandum esse existimavimus, quod Suidas prodit, Aristoclem quemdam Lampsacenum quatuor illum Commentariorum libris illustrasse. Voce Ἀριςοκλῆς. T. I. p. 326. Kust. De quo Aristocle aliunde nihil constat. Conf. Fabric. Bibl. Græc. Tom. III. pag. 542. Harl.

---

(112) Insolentius dictum, quod egregie explicuit Wyttenbachius ad h. l. T. I. p. 271.

(113) Op. et D. v. 346. Cf. Wyttenbachius ad l. l. T. I. p. 286.

§. C.

ΠΕΡΙ ΚΑΤΑΛΗΨΕΩΣ ΚΑΙ ΕΠΙΣΤΗΜΗΣ ΚΑΙ ΑΓΝΟΙΑΣ

Cel. HEERENIUS, Comment. De Fontibus Eclogg. Jo. Stobæi pag. 186. petita esse ex his commentariis censet quæ refert STOBÆUS pag. 128 et 130. Εἶναι δὲ τὴν ἐπιστήμην κατάληψιν ἀσφαλῆ καὶ ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου· ἑτέραν δὲ ἐπιστήμην σύστημα ἐξ ἐπιστημῶν τοιού- των, οἷον ἡ τῶν κατὰ μέρος λογικὴ ἐν τῷ σπουδαίῳ ὑπάρχουσα· ἄλλην δὲ, σύ- στημα ἐξ ἐπιστημῶν τεχνικῶν ἐξ αὑτοῦ ἔχον τὸ βέβαιον, ὡς ἔχουσιν αἱ ἀρεταί· ἄλλην δὲ ἕξιν φαντασιῶν δεκτικὴν ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου, ἥντινά φασιν ἐν τόνῳ καὶ δυνάμει κεῖσθαι. Vid. quæ nos supra disputavimus Part. II. Cap. II. §. XXII. præcipue not. 44. et G. TH. BAUMHAUERUS V. Ampl. Observatt. Literar., Specimini ejus Jurid. annexis, pag. 90 et 91. qui acute docet, verba ἕξιν φαντασιῶν δεκτικὴν perperam esse sollicitata a JO. DAVISIO ad Cic. Acad. II. 8. De τόνῳ animæ et ἀτονίᾳ nonnulla dedimus Part. II. Cap. II. §. XLIII. not. 175. quibus add. primarius Chrysippi locus apud GALENUM De Hippocr. et Platon. Decr. Lib. IV. Tom. I. pag. 281. lin. 42. Ἔτι
» δὲ καὶ κατὰ τοῦτ' ἴσως οἱ ἐπὶ τοῦ σώματος λέγονται τόνοι ἄτονοι καὶ εὔ-
» τονοι εἶναι κατὰ τὸ νευρῶδες, τῷ δύνασθαι ἡμᾶς ἢ ἀδυνατεῖν ἐν τοῖς διὰ
» τούτων ἐπιτελουμένοις ἔργοις, καὶ ὁ ἐν τῇ ψυχῇ λέγεται τόνος, ὡς εὐτονία
» καὶ ἀτονία καὶ ἐφεξῆς : quem locum integrum exhibebimus infra §. CXV.

§. CI.

ΠΕΡΙ ΛΟΓΟΥ.

Primum hujus Operis *Librum* bis laudat DIOGENES LAERTIUS, et primo quidem Lib. VII. s. 39. de Philosophiæ divisione e

Zenonis, Chrysippi aliorumque Stoicorum sententiâ loquens. Cf. supra §. XV. not. 7. — Lib. VII. s. 54. dicit Chrysippum asseruisse in eodem libro *primo* De Oratione, judicandi instrumenta esse Sensum et Anticipationem, κριτήρια (sc. τῆς ἀληθείας) εἶναι αἴσθησιν καὶ πρόληψιν: licet in Physicorum duodecimo statuisset, κριτήριον τυγχάνειν τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν h. e. τὴν ἀπὸ ὑπάρχοντος. Aliter vero SUIDAS, Voce πρόληψις T. III. pag. 188. Kust.: ὁ δὲ Χρύσιππος ἐν τῷ β′ τῶν Φυσικῶν Λόγων τρία φησὶν εἶναι κριτήρια, αἴσθησιν, γνῶσιν καὶ πρόληψιν. Conf. G. THEOD. BAUMHAUERUS Observatt. Literar. pag. 21. sq.

§. CII.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΧΡΗΣΕΩΣ ΤΟΥ ΛΟΓΟΥ.

PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1035. E. Εἰ δέ τις ἐρεῖ, γεγραφέναι τὸν Χρύσιππον ἐν τῷ Περὶ Λόγου Χρήσεως, ὡς « οὐ καθάπαξ ἀφεκ» τέον ἐςὶ τῶν ἄλλων (sc. τῶν ἠθικῶν καὶ φυσικῶν) τῷ τὴν λογικὴν ἀναλαμ» βάνοντι πρώτην, ἀλλὰ κἀκείνων μεταληπτέον κατὰ τὸ διδόμενον, » ἀληθῆ μὲν ἐρεῖ, βεβαιώσει δὲ τὴν αἰτίαν. κ. τ. λ. Ad intelligentiam hujus loci conf. quæ nos copiose disputavimus Part. II. Cap. I. §. XV. XVI et XVII.

PLUTARCHUS Op. mem. pag. 1036. F. pauca hæc e Chrysippi hoc libro servavit de Megaricâ ratione: « Οἷόν τι συμβέβηκε καὶ ἐπὶ » τοῦ Στίλπωνος λόγου καὶ Μενεδήμου· σφόδρα γὰρ ἐπὶ σοφίᾳ γενομένων αὐ» τῶν ἐνδόξων, νῦν εἰς ὄνειδος αὐτῶν ὁ λόγος περιτέτραπται, ὡς τῶν μὲν πα» χύτερον, τῶν δ' ἐκφανῶς σοφιζομένων ἔργα. » De Stilpone Megarensi vid. JAC. BRUCKERI Historia Crit. Philosophiæ Tom. I. p. 617. sqq. edit. alt. THOM. STANLEI Hist. Philosoph. pag. 270. sqq.

De Menedemo, tangi hic ille Lampsacenus videtur, Theombroti discipulus. DIOGENES LAERT. VI. 95. et præcipue segm. 102 – 105. BRUCKERUS l. l. Tom. I. pag. 892.

PLUTARCHUS l. l. pag. 1037. B. Ἐν δὲ τῷ Περὶ τῆς τοῦ Λόγου Χρήσεως εἰπὼν ὡς, « οὐ δεῖ τῇ τοῦ λόγου δυνάμει πρὸς τὰ μὴ ἐπιβάλλοντα χρῆ- » σθαι, καθάπερ οὐδὲ ὅπλοις, » ταῦτ' ἐπείρηκε· « Πρὸς μὲν γὰρ τὴν τῶν ἀλη- » θῶν εὕρεσιν δεῖ χρῆσθαι αὐτῇ, καὶ πρὸς τὴν τούτων συγγένειαν, εἰς τἀναντία » δὲ οὐ, πολλῶν ποιούντων τοῦτο. » πολλοὺς δὲ λέγων ἴσως τοὺς ἐπέχοντας. De verbo ἐπιβάλλειν, Stoicis et Chrysippo in primis ita usurpato, monuimus supra §. LXXVII. not. 27.

Ad eumdem librum referebat EDM. MERILLIUS, Observatt. L. I. c. 19. hanc Chrysippi sententiam a GELLIO prolatam, N. A. Lib. XI. c. 12. « Chrysippus ait omne verbum ambiguum naturâ esse, quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt. » Sed nemo non videt, eam potius desumtam esse ex uno alterove illorum Operum quæ plura De Ambiguis (ἀμφιβολιῶν) reliquerat Chrysippus, enumerata a DIOGENE LAERTIO VII. s. 193. Huc vero etiam respexisse videtur QUINCTILIANUS I. O. VII. 9. §. 1. « Amphiboliæ species sunt innumerabiles, adeo, ut philosophorum quibusdam nullum videatur esse verbum, quod non plura significet: genera admodum pauca. Aut enim vocibus accidit singulis, aut conjunctis : » ut recte ad h. l. monuerunt Interpretes.

§. CIII.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΡΗΤΟΡΙΚΗΣ.

CICERO De Fin. IV. 3. §. 6. « Scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam; sed sic, ut, si quis obmutescere con-

cupierit, nihil aliud legere debeat.» Cf. De Orat. I. 11. §. 50. Et QUINCTILIANUS I. O. III. 1. §. 15. monet, studiosius philosophos quam rhetores de rhetoricâ scripsisse, præcipueque Stoicorum ac Peripateticorum principes.

Laudatur autem hoc Chrysippi opus a PLUTARCHO De Stoic. Repugn. pag. 1034. B. Χρύσιππος δὲ πάλιν ἐν τῷ Περὶ Ῥητορικῆς γράφων, « οὕτω ῥητορεύσειν καὶ πολιτεύσεσθαι τὸν σοφὸν, ὡς καὶ τοῦ πλούτου ὄντος » ἀγαθοῦ, καὶ τῆς δόξης καὶ τῆς ὑγείας, » ὁμολογεῖ, τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ ἀνεξόδους (114) εἶναι καὶ ἀπολιτεύτους, καὶ τὰ δόγματα ταῖς χρείαις ἀνάρμοςα καὶ ταῖς πράξεσιν. De Sapiente, utrum ad rempublicam administrandam accessurus sit, e Chrysippi sententiâ, necne, infra dicemus, dum pervenerimus ad librum Περὶ Βίων.

PLUTARCHUS Op. mem. p. 1047. A. B. Τὴν Ῥητορικὴν ὁρίζεται (sc. Chrysippus) τέχνην περὶ κόσμου καὶ εἰρημένου λόγου τάξιν· (115) ἔτι δὲ ἐν τῷ Πρώτῳ ταῦτα γέγραφεν, « Οὐ μόνον δὲ τοῦ ἐλευθερίου καὶ ἀφελοῦς » κόσμου δεῖν οἴομαι ἐπιςρέφεσθαι κἀπὶ τῶν λόγων (116), ᾧ, καὶ τῶν οἰ» κείων ὑποκρίσεων κατὰ τὰς ἐπιβαλλούσας (117) τάσεις τῆς φωνῆς, καὶ σχη» ματισμοὺς τοῦ τε προσώπου καὶ τῶν χειρῶν.» Et continuo PLUTAR-

(114) h. l. qui exitum non habent, sed irriti manent et inutiles. Aliâ significatione hanc vocem usurpavit idem PLUTARCHUS Quæst Roman. p. 269. E. appellans ἡμέραν ἀνέξοδον καὶ ἀνεκδήμητον *diem quo exire ex urbe et peregrinari non licet.* Ceterum deest illa in H. Stephani Thesauro.

(115) Legendum ex conjecturâ Clar. Wyttenbachii, περὶ κόσμου εἰρομένου λόγου καὶ τάξιν. Ceterum varias rhetoricæ definitiones collegit MENAGIUS ad Diog. Laërt. L. VII. s. 42.

(116) Suspicatur Wyttenbachius, ἐπὶ τῶν λόγων, ἀλλὰ κ. τ. λ.

(117) Vid. Wyttenbachii Animadversio laudata ad §. LXXVII. not. 27.

CHUS, in *Eodem Libro* sibi ipsum contradixisse Chrysippum probare studet, quippe qui de Vocalium Conflictu ita sit locutus: « Οὐ μόνον ταῦτα παρετέον τοῦ βελτίονος ἐχομένους, ἀλλὰ καὶ ποιὰς » ἀσαφείας καὶ ἐλλείψεις, καὶ, νὴ Δία, σολοικισμοὺς ἐφ' οἷς ἄλλοι ἂν αἰσχυν» θείησαν οὐκ ὀλίγοι. » Quod vero præceptum quomodo intelligendum sit, allatis et his ipsis Chrysippi et Horatii verbis (Sermon. I. 10. v. 11.), bene docuit Is. CASAUBONUS ad Persii Satir. I. v. 111. pag. 148. sqq. ed. Paris.

Mentio hujus Operis occurrit præterea etiam in libro qui perperam tribuitur PLUTARCHO, De Nobilitate Cap. XVII. in Jo. Chr. Wolfii Anecd. Græc. Part. II. pag. 245. Tom. V. pag. 966. C. Wyttenb.

§. CIV.

ΠΕΡΙ ΤΕΧΝΗΣ.

Chrysippi opus Περὶ Τέχνης καὶ Ἀτεχνίας in Indice enumerat DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 202. Et aliunde etiam constat non a Chrysippo tantum, sed ab aliis quoque Antiquitatis Philosophis De Arte fuisse peculiaria opera conscripta. GALENUS Adversus Lycum Tom. V. pag. 331. lin. 45. — ἐν γάρ τοι τῇ γνώσει τῶν διαφορῶν ἑκάστου τῶν ὄντων αἱ Τέχναι συνίστανται· καὶ τοῦτο ἐπιπλεῖστον μὲν κἀν τῷ περὶ Φιλήβῳ διῆλθεν ὁ Πλάτων εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ συγγράμματος· ἐφύλαξε δ' αὐτοῦ τὴν γνώμην Ἀριστοτέλης, καὶ Θεόφραστος, Χρύσιππος τε καὶ Μνησίθεος, καὶ οὐδεὶς ὅστις οὐ διῆλθεν ἐν τῷ Περὶ Τέχνης γράμματι τὸν αὐτὸν λόγον. PLATONIS locus in Philebo, quem ex parte apponit Galenus, legitur pag. 17. A. sq. Steph. et pag. 33. sqq. STALBAUMII : qui et hîc et in Prolegomenis Platonis sententiam egregie illustravit.

§. CV.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΔΙΑΦΟΡΑΣ ΤΩΝ ΑΡΕΤΩΝ,

GALENUS De Hippocr. et Plat. Decretis Lib. VIII. Tom. I. pag. 320. lin. 34. sqq. Τριῶν οὖν βιβλίων λογικῶν περὶ παθῶν γεγραμμένων, Χρυσίππῳ δυνάμενος ἀντειπεῖν, ἃ πρὸς αὐτὸν διηνέχθην, διελέγχων μηκύνειν οὐχ ὑπέμεινα τοῦτο πρᾶξαι· καθάπερ οὐδ' ὅσα Περὶ τῆς τῶν Ἀρετῶν Διαφορᾶς ἔγραψεν ἐν τέτταρσι βιβλίοις· ὑπὲρ ὧν αὐτῷ καὶ ὁ Ποσειδώνιος μέμφεται. Bis item hoc Opus memorari ab eodem GALENO in epilogo libri ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη κ. τ. λ. monet Menagius. Sed Basileensi tantum editione nobis uti licuit, in qua hoc Galeni opusculum non nisi a fine mutilum exstare notum est.

§. CVI.

ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΩΝ.

Laudatur hoc Opus, sed nullo indicato libro, a (Pseudo-) PLUTARCHO De Nobilitate Cap. XII. in Jo. Chr. Wolfii Anecdd. Græc. P. II. pag. 221. Tom. V. pag. 950. B. Wyttenb. Ὁ δὲ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ τῶν Ἀρετῶν « ἰσοτιμίας περίτηγμα καὶ διάξυσμα τὴν εὐγένειαν καλεῖ, μηδὲν ἄρα διαφέρειν, ὅ, του παρὰ πατρὸς γεγονὼς τυγχάνης, » εὐγενοῦς ἢ μή. » Τί τῶν Στωϊκῶν ἀρχηγῷ ἀποκρίνωμαι, ζητεῖς; τοῦθ' ὅπερ ἤκουσας ἐμὲ κατ' ἐκείνης λέγοντα ςοᾶς. Quo loco Wolfius suspicatur, librum hîc laudatum esse unum quatuor eorum, quos Περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀρετῶν, ut a Chrysippo conscriptos memorat, Laërtius.

Primus Liber diserte laudatur a DIOGENE LAERTIO L. VII. s. 125. Τὰς δὲ ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. Εἶναι γὰρ αὐτῶν τὰ θεωρήματα κοινὰ, καθάπερ Χρύσιππος ἐν τῷ

πρώτῳ Περὶ Ἀρετῶν φησίν. Hinc apparet e Chrysippo etiam esse ducta quæ de Stoicis refert Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. pag. 110. sq. Πάσας τὰς ἀρετὰς, ὅσαι ἐπιστῆμαι εἰσὶ καὶ τέχναι, κοινά τε θεωρήματα ἔχειν, καὶ τέλος, ὡς εἴρηται, τὸ αὐτὸ, διὸ καὶ ἀχωρίστους εἶναι. τόν γὰρ μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, καὶ τὸν κατὰ μίαν πράττοντα, κατὰ πάσας πράττειν. Sed fundamenta hujus doctrinæ jam a Zenone jacta esse intelligitur e PLUTARCHO De Stoic. Repugnant. pag. 1034. C. De Virtute Morali pag. 441 A. B. CICERO Academ. Lib. I. c. 11. ubi vid. Jo. DAVISIUS et P. FABER. Cf. Is. CASAUBONUS ad Persii Satir. V. vers. 121. pag. 432. Paris. JUST. LIPSIUS Manuduct. ad Philos. Stoic. Lib. III. diss. 4. Opp. T. IV. pag. 495. sq. coll. L. III. diss. 20. pag. 519. sq.

Ex *eodem* Chrysippi *libro* desumta esse videntur quæ habet DIOGENES LAERT. L. VII. s. 127: — καὶ μὴν τὴν ἀρετὴν Χρύσιππος μὲν ἀποβλητὴν (sc. φησὶ)· Κλεάνθης δὲ ἀναπόβλητον, ὁ μὲν ἀποβλητὴν, διὰ μέθην καὶ μελαγχολίαν· ὁ δὲ ἀναπόβλητον, διὰ βεβαίους καταλήψεις. Cf. CICERO Tuscul. II. c. 14. (c. 13. Dav.): « Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere te reliquam supellectilem salvam : virtutem autem si unam amiseris, etsi amitti non potest virtus; sed si unam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum? » ad quem locum vid. quæ plurima de hoc placito dedit DAVISIUS pag. 150. sq. Quam autem μελαγχολίαν dicit Chrysippus eum CICERO *furorem* appellat, monens Græcam illam vocem huic rei parum esse accommodatam, Tuscul. III. cap. 5. Ceterum ex eodem Ciceronis loco intelligimus placuisse Stoicis, furorem in Sapientem cadere posse, non posse insaniam (μανίαν): qua de re cf. DIOGENES LAERT. L. VII. s. 118.

Liber Primus rursus memoratur ab eodem LAERTIO VII. 127.— αὐτάρκη τε εἶναι τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, καθά φησι Ζήνων καὶ Χρύσιπ-

πος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Ἀρετῶν: quod Stoicorum dogma peculiari disputatione persecutus est CICERO Paradox. II. et Tusculanâ Quintâ: ubi consulendi sunt Interpretes. J. LIPSIUS Manud. ad Stoic. Philos. L. II. c. 20. Opp. T. IV. pag. 481. sq.

§. CVII.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΚΑΛΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΗΔΟΝΗΣ.

Separatim subinde laudari videmus Chrysippi Opus Περὶ Καλοῦ et rursus Περὶ Ἡδονῆς: ut peculiaria fortasse hæc duo fuerint opera et a libro Περὶ Καλοῦ Καὶ Ἡδονῆς disjuncta. Cum vero dubia saltem hæc res videatur esse, et propius ad verisimilitudinem accedere hæc nostra sententia, in libris his laudandis uno alterove titulo usos esse auctores, prout res ipsa, de qua quæreretur, aut ad Honestatem pertineret aut ad Voluptatem; noluimus quæ argumento maxime continerentur a se invicem secernere, sed conjunctim tractare, ita quidem ut primo loco apponeremus quæ reperiuntur cum inscriptione Περὶ Καλοῦ, deinde quæ desumta dicuntur ex opere Περὶ Ἡδονῆς, ac tertio denique loco quæ communi titulo Περὶ Καλοῦ Καὶ Ἡδονῆς sunt insignita.

PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1039. C. prodit Chrysippum in libro Περὶ Καλοῦ, ut probaret id solum quod honestum sit, esse bonum, hisce fere usum esse argumentationibus: « Τὸ ἀγαθὸν, αἱρετόν· τὸ δ' αἱρετὸν, ἀρεστόν· τὸ δ' ἀρεστὸν, ἐπαινετόν· τὸ δ' ἐπαινετὸν, » καλόν. » et rursus, « Τὸ ἀγαθὸν, χαρτόν· τὸ δὲ χαρτὸν, σεμνόν· τὸ δὲ σεμνὸν, » καλόν. » Idem testatur etiam DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 101. Λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν, ἀγαθὸν εἶναι, καθά φησιν Ἑκάτων (118)....

(118) Vid. FABRICIUS B. Gr. T. III. p. 563. Harl. coll. LYNDENO V. A. Disput. De Panætio p. 57.

καὶ Χρύσιππος ἐν τοῖς Περὶ τοῦ Καλοῦ. εἶναι δὲ τοῦτο ἀρετὴν, καὶ τὸ μετέχον ἀρετῆς· ᾧ ἐςιν ἴσον, τὸ πᾶν ἀγαθὸν, καλὸν εἶναι· καὶ τὸ ἰσοδυναμεῖν τῷ καλῷ τὸ ἀγαθόν. ὅπερ ἴσον ἐςὶ τούτῳ. Ἐπεὶ γὰρ ἐςιν ἀγαθὸν, καλόν ἐςιν· ἔςι δὲ καλόν· ἀγαθὸν ἄρα ἐςί. Cf. CICERO De Fin. L. III. c. 7. extr. Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est, ut, quod honestum sit, id solum bonum judicemus......... sed consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant.» Et Cap. 8. « Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est. Quod autem laudabile est, omne est honestum. Bonum igitur quod est, honestum est.» Ibid. IV. 8. §. 50. Tuscul. V. 30. init. De Offic. III. 8. §. 35. Cf. THOM. GATAKERUS ad Marc. Antonin. Lib. II. §. 1. Opp. Critt. pag. 36. a. Ceterum a Platone accepisse hoc placitum Stoicos, intelligitur e CLEMENTE ALEXANDR. Stromatt. Lib. V. pag. 594. B. C. ed. Paris.

Idem DIOGENES VII. s. 102. Ἀγαθὰ μὲν οὖν (sc. Stoici dicunt) τάς τε ἀρετὰς, φρόνησιν, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν, σωφροσύνην, καὶ τὰ λοιπά· κακὰ δὲ, τὰ ἐναντία, ἀφροσύνην, ἀδικίαν, καὶ τὰ λοιπά· οὐδέτερα δὲ, ὅσα μήτε ὠφελεῖ μήτε βλάπτει· οἷον ζωὴ, ὑγίεια, ἡδονὴ, κάλλος, ἰσχὺς, πλοῦτος, δόξα [εὐδοξία corr. Steph. (118*)], εὐγένεια· καὶ τὰ τούτοις ἐναντία, θάνατος, νόσος, πόνος, αἶσχος, ἀσθένεια, πενία, ἀδοξία, δυσγένεια, καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια· καθά φησιν Ἑκάτων ···· καὶ Ἀπολλόδωρος ···· καὶ Χρύσιππος. μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα ἀγαθὰ, ἀλλ' ἀδιάφορα, κατ' εἶδος προηγμένα. Conf. segm. 104 et 105. ibique MENAGIUS, STOBÆUS Eclogg. Lib. II. pag. 142. 154

(118*) CICERO De Finib. III. 17. 57. « De bonâ autem famâ (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius est hoc loco bonam famam appellare quam gloriam) Chrysippus quidem et Diogenes, detractâ utilitate, ne digitum quidem, ejus causâ, porrigendum esse dicebant. » De proverbiali locutione *digitum porrigere* vid. supra §. LXXXVII.

et 156. Heer. CICERO Academ. Lib. I. cap. 10. De Finib. Lib. III. cap. 15 et 16. et omnino J. LIPSIUS Manud. ad Stoic. Philos. L. II. diss. 23. Opp. T. IV. pag. 486. sqq.

DIOG. LAERT. VII. 129: — φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μὴ θέσει (Stoici dicunt), ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ Περί Καλοῦ. Qua de re vid. quæ nos supra dedimus Part. II. Cap. IV. §. L.

ATHENÆUS Lib. IV. pag. 158. B. Tom. II. pag. 115. Schweigh. Stoicorum decretum proferens, ὅτι τε πάντα εὖ ποιήσει ὁ σοφὸς, καὶ φακῆν φρονίμως ἀρτύσει, et alia addit et hoc: Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ τοῦ Καλοῦ, γνώμας τινὰς ἡμῖν εἰσφέρων, φησί· » Μή ποτ' ἐλαίαν ἔσθιε, ἀκαλήφην (119) ἔχων· χειμῶνος ὥρᾳ βολβοφακῆν· (120) » Βαβαί, βαβαί.

Βολβοφακῆ δ' οἷον ἀμβροσίη ψύχους κρυόεντος.

De illo Stoicorum decreto vid. DIOGENES LAERTIUS L. VII. segm. 125. JO. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. pag. 120. Heer. Simile quid legas apud HORATIUM Lib. I. Satir. III. v. 126. sqq.

Non nosti quid pater, inquit,
Chrysippus dicat: Sapiens crepidas sibi nunquam

---

(119) H. STEPHANI Thes. L. Gr. Append. col. 325. B–E. cf. Etymol. Magn. col. 44. l. 18. Sylb. Etymol. Gud. col. 24. l. 29. ORION THEBAN. col. 617. l. 51. SUIDAS T. I. p. 77. Kust. JO. ALBERTI aliique Interpretes ad Hesych. T. I. col. 182. ZONARAS T. I. p. 102. ad eumque TITTMANNUS.

(120) Vid. JUL. POLLUX Onomast. Lib. VI. segm. 61. ibque Interprr. p. 601. b. Hemsterh. HESYCHIUS Voce πόλφοι ibiq. Interprr. T. II. p. 1003. et quæ plura notavit AN. FOESIUS OEconom. Hippocrat. Voce πομφοί p. 315. b. Genev.

Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. Quo?
Et quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator.
. . . . sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex solus.

Locus Athenæi varie et legitur et explicatur. Nos SCHWEIGHÆUSERUM sumus secuti: quem vide, Animadverss. Tom. II. p. 534. sqq.

Ad Chrysippi sententiam De Pulchro pertinent etiam quæ habet GALENUS De Hippocrat. et Platon. Decr. Lib. V. Tom. I. pag. 288. l. 20. Basil. Dicit enim ratione animæ Chrysippum confudisse Sanitatem cum Pulchritudine, ac deinde sic pergit: ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ σώματος ἀκριβῶς αὐτὰ διωρίσατο, τὴν μὲν ὑγίειαν ἐν τῇ τῶν ϛοιχείων συμμετρίᾳ θέμενος, τὸ δὲ κάλλος ἐν τῇ τῶν μορίων. Ἐδήλωσε γὰρ σαφῶς τοῦτο διὰ τῆς προγεγραμμένης ὀλίγον ἔμπροσθεν ῥήσεως, ἐν ᾗ τὴν μὲν ὑγίειαν τοῦ σώματος ἐν θερμοῖς, καὶ ψυχροῖς, καὶ ξηροῖς, καὶ ὑγροῖς συμμετρίαν εἶναι φησὶν, ἅπερ δὴ ϛοιχεῖα δηλονότι τῶν σωμάτων ἐϛίν· τὸ δὲ κάλλος οὐκ ἐν τῇ τῶν ϛοιχείων, ἀλλ' ἐν τῇ τῶν μορίων συμμετρίᾳ συνίϛασθαι νομίζει, δάκτυλον πρὸς δάκτυλον δηλονότι, καὶ συμπάντων αὐτῶν πρός τε μετακάρπιον καὶ καρπὸν, καὶ τούτων, πρὸς πῆχυν, καὶ πήχεως πρὸς βραχίονα, καὶ πάντων πρὸς πάντα, καθάπερ ἐν τῷ Πολυκλείτου κανόνι γέγραπται.

Jam videamus de libris Περὶ Ἡδονῆς. Perhibet DIOGENES LAERT. L. VII. s. 103. Chrysippo in libris De Voluptate placuisse, « οὐδὲ » τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι ····· εἶναι γὰρ καὶ αἰσχρὰς ἡδονάς· μηδὲν δὲ αἰσχρὸν » εἶναι ἀγαθόν. » Cum his componantur quæ ad Opus Περὶ Δικαιοσύνης proferemus ex PLUTARCHO De Stoic. Repugn. pag. 1040. E. F. De Voluptate uberrime egit CICERO De Finib. II. ab init. Tertio autem libro cap. 5. dicit se assentiri Stoicis, qui plerique non putent voluptatem in principiis naturalibus esse ponendam, ne,

si voluptatem natura posuisse in his rebus videatur, quæ primæ appellantur, multa turpia sequantur.

Ad eosdem Chrysippi libros Περὶ Ἡδονῆς referre possumus versus quos Chrysippus Sardanapali sepulcro inscriptos fuisse dicit: quamquam non obloquamur, si quis potius in libris Περὶ Βίων illos malit fuisse consignatos. Servati autem sunt ab ATHENÆO Lib. VIII. pag. 336. A. Tom. III. pag. 238. Schw.: — ἐφ' οὗ (Σαρδαναπάλλου) τοῦ τάφου ἐπιγεγράφθαι φησὶ Χρύσιππος τάδε·

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν ἄεξε,
Τερπόμενος θαλίῃσι· θανόντι σοι οὔ τις ὄνησις.
Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι, Νίνου μεγάλης βασιλεύσας.
Κεῖν' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ σὺν ἔρωτι
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλυνται.
Ἥδε σοφὴ βιοτοῖο παραίνεσις· οὐδέ ποτ' αὐτῆς
Λήσομαι. ἐκτήσθω δ' ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν.

et pag. 337. A. pag. 241. sq. Schw. Κρεῖττον δ' ἂν εἶχε, φησὶν ὁ Χρύσιππος, εἰ μετελήφθη τὰ ἐπὶ τοῦ Σαρδαναπάλλου, οὕτως·

Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, σὸν θυμὸν ἄεξε,
Τερπόμενος μύθοισι. φαγόντι σοι οὔτις ὄνησις.
Καὶ γὰρ ἐγὼ κακός εἰμι φαγὼν ὡς πλεῖστα καὶ ἡσθείς.
Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ τούτων,
Ἐσθλ' ἔπαθον· τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λέλειπται.

Inscriptionem hanc Assyriacis literis fuisse conceptam et a Græcis eam variis modis esse expressam tam solutâ quam ligatâ oratione, ex Veterum testimoniis ad h. l. recte monuit CASAUBONUS T. IV. pag. 507. Plurimi autem auctores eamdem vel integram vel ex parte exhibent, ut STRABO Lib. XIV. pag.

989. A. Almelov. T. V. pag. 693. sq. Siebenk. DIO CHRYSOSTOMUS Orat. IV. pag. 81. D. T. I. pag. 186. Reisk. CLEMENS ALEXANDR. Stromatt. Lib. II. pag. 411. D. Paris. CICERO Tuscul. V. c. 35. aliique quos ad. h. l. laudat DAVISIUS. Sub Choerili nomine in Anthologiam quoque relata est, T. I. pag. 185. Br. T. I. pag. 117. Lips. ubi omnino consulendæ sunt doctissimæ JACOBSII Animadversiones T. I. P. I. pag. 375-378. quibus add. SCHWEIGHÆUSERI Animadverss. T. IV. pag. 507. et præcipue A. F. NAEKIUS V. D. in libro De Chœrilo Samio p. 196. sqq.

In Fragmentis Περὶ Τοῦ Καλοῦ Καὶ Τῆς Ἡδονῆς primum locum merito obtinet pulcherrimum illud, quod nobis servavit GELLIUS L. XIV. c. 4. « Condigne me hercule et condecore Chrysippus in librorum qui inscribuntur Περὶ Καλοῦ Καὶ Ἡδονῆς *primo*, os et oculos justitiæ, vultumque ejus severis atque venerandis verborum coloribus depinxit. Facit quippe imaginem justitiæ, fierique solitam esse dicit a pictoribus rhetoribusque antiquioribus, ad hunc ferme modum : *formâ atque filo virginali, aspectu vehementi et formidabili, luminibus oculorum acribus; neque humilis neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate.* Ex imaginis autem istius significatione intelligi voluit, judicem, qui Justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque et arduum ac potentem, vi et majestate æquitatis veritatisque terrificum. Verba ipsa Chrysippi de Justitiâ scripta hæc sunt: « Παρθένος δὲ εἶναι λέγεται κατὰ σύμβολον τοῦ ἀδιάφθορος (121) » εἶναι, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακοέργοις, μηδὲ προσίεσθαι μήτε τοὺς

(121) Cf. Summus RUHNKENIUS ad Timæi Lex. Platon. p. 132. sq. qui nec Chrysippi hunc locum prætermisit.

» ἐπιεικεῖς λόγους, μήτε παραίτησιν καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο » μηδὲν τῶν τοιούτων· οἷς ἀκολούθως καὶ σκυθρωπὴ γράφεται, καὶ συνεστηκὸς » ἔχουσα τὸ πρόσωπον (122), καὶ δεδορκὸς βλέπουσα (123) ὥστε τοῖς μὲν » ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος· τοῖς μὲν προσφιλοῦς (124) » ὄντος τοῦ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις προσάντους.» Hæc verba Chrysippi eo etiam magis ponenda existimavi, ut promta ad considerandum judicandumque sint: quoniam legentibus ea nobis delicatiores quidam disciplinarum philosophi Sævitiæ imaginem istam esse, non Justitiæ, dixerunt.» Cf. L. 6. Dig. De Officio Præsid. (I. 18.) et Excursus ad Gellii hunc locum edit. Conradi Tom. I. p. 581. sq. ubi elegans Virtutis descriptio apud XENOPHONTEM Memor. Socr. II. 1. 12. cum hac Justitiæ descriptione comparatur.

ATHENÆUS Lib. I. p. 9. C. Tom. I. p. 34. Schw. de heroum victu disserens dicit Alcinoum pro viribus resecare culinariæ artis præstigias, καὶ τὰ, ὡς ὁ Μένανδρός φησιν, ὑποβινητιῶντα βρώματα, καὶ τὸ παρὰ (τοῖς) πολλοῖς λασταυροκάκαβον καλούμενον βρῶμα, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Καλοῦ Καὶ Ἡδονῆς, οὗ ἡ κατασκευὴ περιεργοτέρα. Profecerunt ex hoc Athenæi loco SUIDAS Voce λαςαυροκάκκαβον,

---

(122) Exquisita locutio *συνιςάναι τὸ πρόσωπον*, *frontem contrahere, vultum ad severitatem componere:* cujus exemplum nobis notavimus e PLUTARCHO, Conviv. Sept. Sapient. p. 152. B.—ὁ δὲ Περίανδρος οὐ μάλα φαιδρὸς, ἀλλὰ συστήσας τὸ πρόσωπον, κ.τ.λ.

(123) Insolenter dictum *δεδορκὸς βλέπουσα*: quod movisse etiam videtur H. STEPHANUM, ut totam hanc *ῥῆσιν* apponeret in Thes. L. Gr. T. I. col. 944. D.

(124) In antiquioribus aliquot libris perperam legebatur ὡς πρὸς φίλους. Sed vid. JAC. GRONOVIUS ad h. l.

T. II. pag. 417. Kust. Βρῶμά τι ἐςὶ παρὰ Χρυσίππῳ εἰρημένον, ἐν τῷ Περὶ Καλοῦ Καὶ Ἡδονῆς· ὡς ἂν τῆς κατασκευῆς αὐτοῦ οὔσης περιεργοτέρας: et EUSTATHIUS ad Odyss. XII. p. 492. lin. 13. Is. Casaubonus pro παρὰ πολλοῖς ex conjecturâ scribendum censet π. τοῖς πολλοῖς, hanc addens rationem. « Est sane infimæ atque estricis plebis dictio, λαςαυροκάκκαβον : qua neque os suum neque suas chartas inquinarent elegantiores. Nam Chrysippi τὸ συρφετῶδες ex Senecâ novimus et Galeno. » Nec tamen necessariam esse hanc emendationem bene monuit Schweighæuserus. De voce λάςαυρος vid. EUSTATH. ad Iliad. II. p. 196. l. 18. ed. Bas. PHRYNICHUS ibique Interprr. p. 195. Lobeck. SUIDAS in voce T. II. pag. 417. HESYCHIUS Voce λάςαρνοι, ad eumque Interprr. T. II. col. 431. Alb. De literâ κ in scribendâ voce λαςαυροκάκκαβον duplicandâ vid. SCHWEIGHÆUSERUS Animadverss. T. I. p. 96.

Apud eumdem ATHENÆUM plura alia exstant e *Quarto* et *Quinto Libro* hujus operis desumta fragmenta, unum etiam e *Septimo*: quæ nunc deinceps resensebimus. Lib. IV. p. 137. F. Tom. II. p. 39. Schw. Χρύσιππός τ', ἐν τετάρτῳ Περὶ τοῦ Καλοῦ καὶ τῆς Ἡδονῆς, φησίν· (125) « Ἐν Ἀθήναις δὲ ἱςοροῦσιν, οὐ πάνυ ἀρχαίων δυεῖν » (126) γενομένων δείπνων, ἐν Λυκείῳ τε, καὶ Ἀκαδημίᾳ, τοῦ μὲν εἰς τὴν » Ἀκαδημίαν εἰσενέγκαντος ὀψοποιοῦ λοπάδα πρὸς ἑτέραν τινὰ χρείαν, τὸν κέ-

---

(125) Verba Χρύσ. ad φησίν ex uno codice recte restituit SCHWEIGHÆUSERUS: quem vid. Animadvv. T. II. p. 447.

(126) Priores editiones habent δυοῖν. Sed δυεῖν e duobus Codd. rescripsit Schweighæuserus. Vid. M. MAITTAIRE Dialect. L. Gr. p. 34. B. p. 46. Sturz. DORVILLIUS ad Chariton. p. 527. DUCKER. ad Thucyd. IV. 8. WASSIUS ad eumd. IV. 23. HEINDORFIUS ad Platon. Cratyl. p. 418. D. Cf. VALCKENAR. ad Thom. Mag., in Ruhnk. Valck. et alior. Epist. ed. Tittmann. p. 157. et V. D. in Ephemerid. Literar. Jenens. 1818. Supplem. pag. 338. b.

» ραμον κατάξαι πάντας τοὺς ἱεροποιοὺς (127), ὡς μακρόθεν οὐκ ἀστείας παρ- » εισδύσεως γινομένης, δέοντος ἀπέχεσθαι τῶν μακρόθεν. τὸν δ' ἐν τῷ Λυ- » κείῳ, κρέας ταριχηρὸν εἰς τάριχος διασκευάσαντα, μαστιγωθῆναι ὡς παρασο- » φιζόμενον πονηρῶς. » Vid. ad hunc locum JAC. PALMERII Exercitatt. in Auct. Græc. pag. 496. sq. (edit. Leid. 1668.) et quæ plura ad eum disputavit SCHWEIGHÆUSERUS Animadverss. T. II. pag. 447. sq.

Lib. XIII. pag. 565. A — D. Tom. V. pag. 39. sqq. Schw. (128) de consuetudine mentum radendi ex eodem De Honestate et Voluptate *Libro Quarto* hæc profert ATHENÆUS: « Τὸ ξύρεσθαι τὸν πώ- » γωνα κατ' Ἀλέξανδρον προῆκται, τῶν πρώτων οὐ χρωμένων αὐτῷ· καὶ γὰρ » Τιμόθεος ὁ αὐλητὴς (129) πώγωνα μέγαν ἔχων ηὔλει· καὶ ἐν Ἀθήναις διατη- » ροῦσιν οὐ σφόδρα ἀρχαῖον τὸν πρῶτον προσκειράμενον παρώνυμον ἔχειν Κόρ- » σην· διὸ καὶ Ἄλεξις ἔφη που·

Ποττοκοπούμενόν τιν' (130) ἢ ξυρούμενον ὁρᾷς;

---

(127) Locus primarius de ἱεροποιοῖς, sive magistratus illos dixeris sive sacerdotes, est Etymolog. Magn. col. 468. extr. et sq. Sylb. cui add. POLLUX Onomast. Lib. VIII. segm. 107 et 114. et conf. J. PH. PFEIFFERI Antiquitt. Græc. L. I. c. 27. p. 49.

(128) Partem hujus loci, quæ ad Chrysippi laudes pertinet, jam supra adhibuimus Part. I. §. II. not. 9.

(129) ATHENÆUS L. XII. p. 538. F. SUIDAS in voce, Tom. II. p. 475. Kust. Forsitan hic idem est ille Timotheus Milesius, de quo CICERO dicit, De Legg. II. 15. extr. « Lacedæmon nervos jussit, quod plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi: » ubi vid. quos laudavit DAVISIUS. CASAUBONUS ad Athenæum p. 352. A. T. IV. p. 610. sqq. Schw. ac Cel. WYTTENBACHIUS ad Plut. Institut. Lacon. p. 238. C. T. II. p. 1207.

(130) Verbum rarissimum, nec cognitum nisi ex hoc loco et CLEMENTIS

Τούτων ἔχει τι θάτερον (131).
Ἢ γὰρ ϛρατεύειν ἐπινοεῖν μοι φαίνεται,
Καὶ πάντα τῷ πώγωνι δρᾷν ἐναντία·
Ἢ πλουσιακόν τι τούτῳ προσπίπτει κακόν (132).
Τί γὰρ αἱ τρίχες λυποῦσιν ὑμᾶς, πρὸς θεῶν;
Δι' ἃς ἀνὴρ ἕκαϛος ἡμῶν φαίνεται (133),
Εἰ μή τι ταύταις ἀντιπράττεσθ' ὑπονοεῖς;

ALEXANDRINI Pædagog. L. III. p. 251. A. ed. Paris. — *ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ κιναίδους ἐνθάδε πολλοὺς ἐν ἄϛει, καὶ πεπιττοκοπημένους*. Cf. HESYCHIUS T. II. col. 399. Alb. *Κωνῆσαι· πισσοκοπῆσαι*: ubi vid. Interprr.

(131) FR. JACOBSIUS V. Cl. Additament. Animadvv. in Athen. p. 298. ita hæc redigit in senariorum formam:

Εἰ πιττοκοπούμενόν τιν' ἢ ξυρούμενον
Ὁρᾷς σύ, τοῦτον ἴσθ' ἔχοντα θάτερον.

et cum in sequenti versu absurda videatur militiæ commemoratio, eum sic rescribit:

Ἢ μαϛροπεύειν ἐπινοεῖν μοι φαίνεται.

de voce *μαϛροπός* laudans Xenoph. Conviv. VIII. 5. Dio Chrysost. Or. XXXV. p. 434. A. Scholiast. ad Aristoph. Nub. v. 978. quibus add. PLUTARCH. Convival. Disputt. II. 1. p. 632. E. HESYCHIUS Tom. II. col. 546. Alb. Alexidem enim ait hoc loco significasse pathicum et cinædum, qualis describitur a Luciano De Merc. Cond. §. 33. T. III. p. 256. Timon. §. 22. T. I. p. 92. Bip. et ab Africano ap. Gellium N. A. VII. 12.

(132) Schweighæuserus ad h. l. existimat tangi ab Alexide divitem illum Agathonem, de quo Aristophanes Thesmophor. v. 218. ait:

Ἀγάθων, σὺ μέν του ξυροφορεῖς ἑκάϛοτε.

ubi vid. Scholiastes.

(133) De barbâ, viri ornamento et insigni, vid. ARRIANUS Epictet. Diss. L. I. c. 16. 10–14. coll. P. NIEUWLANDI Dissert. De Musonio p. 42. Acerbe reprehendit morem radendi mentum DIO CHRYSOSTOMUS Or. XXXV. p. 432. D. sq.

» Διογένης δὲ (134), ἰδών τινα οὕτως ἔχοντα τὸ γένειον, ἔφησεν· « Μή τι » ἔχεις ἐγκαλεῖν τῇ φύσει, ὅτι ἄνδρα σὲ ἐποίησε, καὶ οὐ γυναῖκα; » Ἕτερον δέ » τινα ἐπὶ ἵππου ἰδὼν παραπλησίως ἔχοντα, καὶ μεμυρισμένον, καὶ τούτοις » ἀκολούθως ἠμφιεσμένον· Πρότερον μὲν, ἔφησε, ζητεῖν, τί ἐςιν ὁ ἱππόπορνος » (135), νῦν δὲ εὑρηκέναι. Ἐν Ῥόδῳ δὲ νόμου ὄντος μὴ ξύρεσθαι, οὐδὲ ὁ ἐπι- » ληψόμενος οὐδείς ἐςιν, διὰ τὸ πάντας ξύρεσθαι. Ἐν Βυζαντίῳ δὲ ζημίας ἐπι- » κειμένης τῷ ἔχοντι κουρεῖ ξυρὸν, οὐδὲν ἧττον πάντες χρῶνται αὐτῷ. » De criticâ hujus loci ratione vid. SCHWEIGHÆUSERI Animadverss. Tom. VII. pag. 43. sqq. Ceterum Alexandri demum ætate invaluisse consuetudinem radendi barbam, cognosci potest ex PLUTARCHO Vit. Thesei Cap. 5. Tom. I. pag. 6. sq. Schæf. Οἱ δὲ Ἄβαντες ἐκείραντο πρῶτον τὸν τρόπον τοῦτον (h. e. τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον).... ὅπως μὴ παρέχοιεν ἐκ τῶν τριχῶν ἀντίληψιν τοῖς πολεμίοις .... Τοῦτο δὲ ἀμέλει καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ἐννοήσαντα φασὶ προστάξαι τοῖς ςρατηγοῖς ξυρεῖν τὰ γένεια τῶν Μακεδόνων, ὡς λαβὴν ταύτην ἐν ταῖς μάχαις οὖσαν προχειροτάτην. IDEM Apophthegmm. Regg. et Imperatt. pag. 180. B. narrat, cum omnibus ad pugnam paratis interrogassent duces, ecquid præterea faciendum reliquum esset, Alexandrum dixisse, Οὐδὲν ἢ ξυρᾷν τὰ γένεια τῶν Μακεδόνων, cumque miratus hoc esset Parmenio, addidisse, Οὐκ οἶδας, ὅτι βελτίων οὐκ ἔςιν ἐν μάχῃ λαβὴ πώγωνος; Conf. POLYÆNUS Strategemat. IV. 3. 2. SYNESIUS Calvit. Encom. pag. 79. B. C. Petav.

---

(134) De utroque hoc Diogenis apophthegmate vid. PAUL. LEOPARDUS Emendatt. L. XVII. c. 17. (in Gruteri Lampad. Francof. 1604. Tom. III. p. 351. sq.)

(135) Vid. Casaubonus: qui acute explicuit h. l. Voce ἱππόπορνος usus est etiam ALCIPHRON Lib. I. ep. 38. l. 46. L. III. ep. 33. et 50. init. Cf. SUIDAS T. II. p. 146. Kust. SCHOLIAST. ad Aristoph. Ran. v. 432. BERGLER. ad easd. v. 964 (968.). IDEM. ad Nub. v. 1060 (1066.). G. BUDÆUS Comm. L. Græc. (Paris. 1529.) p. 703. VIGER. De Gr. L. L. Idiot. p. 93.

Lib. III. pag. 89. D. E. Tom. I. pag. 349. sq. Schw. Χρύσιππος δ' ὁ Σολεὺς, ἐν τῷ πέμπτῳ Περὶ τοῦ Καλοῦ καὶ τῆς Ἡδονῆς· « Ἡ πίννη, » φησὶ, καὶ ὁ πιννοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις, κατ' ἰδίαν οὐ δυνάμενα συμμένειν. » Ἡ μὲν οὖν πίννη, ὄςρεόν ἐςιν· ὁ δὲ πιννοτήρης, καρκίνος μικρός· καὶ ἡ πίννη » διαςήσασα τὸ ὄςρακον, ἡσυχάζει, τηροῦσα τὰ ἐπεισιόντα ἰχθύδια· ὁ δὲ πιννο- » τήρης παρεςὼς, ὅταν εἰσέλθῃ τι, δάκνει αὐτὴν, ὥσπερ σημαίνων· ἡ δὲ δηχ- » θεῖσα συμμύει, καὶ οὕτως τὸ ἀποληφθὲν ἔνδον κατεσθίουσι κοινῇ. » Est hic locus eâ de re primarius: unde alii plures videntur profecisse, ut CICERO De Nat. Deor. II. 48. (cf. M. A. Mureti Var. Lect. L. V. c. 10. Tom. II. pag. 109. sq. Ruhnk.), PLINIUS H.N. Lib. IX. c. 42. PLUTARCHUS Terrestr. An Aquat. Anim. Sint Callidiora pag. 980. B. ÆLIANUS Hist. Anim. L. III. c. 29. Cf. OPPIAN. Halieut. L. II. v. 186. sqq. ORIGENES Comment. in Matthæum pag. 211. D. E. Huetii: ac de variis pinnarum generibus Cl. SALMASIUS Exercitatt. Plinian. T. II. pag. 1224. sq. Ad. laud. Ciceronis locum hæc adjecit Cel. CREUZERUS pag. 410. sq. « Recens Veterum fidem, interpositis experientiæ firmamentis, tueri conatus est *Josephus Capece-Latro*, Tarenti Archiepiscopus. Vid. Appendicem Itinerarii vernaculi, itineris per Germaniam et Italiam facti, auct. Elisa a Recke, vol. III. pag. 331. sqq. »

Archestratum et Philænidem eodem loco haberi a Chrysippo testatur idem ATHENÆUS Lib. VIII. pag. 335. B. Tom. III. pag. 235. Schw. Χρύσιππον δ', ἄνδρες φίλοι, τὸν τῆς Στοᾶς ἡγεμόνα κατὰ πολλὰ θαυμάζων, ἔτι μᾶλλον ἐπαινῶ, τὸν πολλυθρύλλητον ἐπὶ τῇ Ὀψολογίᾳ Ἀρχέςρατον ἀεί ποτε μετὰ Φιλαινίδος κατατάττοντα, εἰς ἣν ἀναφέρεται τὸ περὶ Ἀφροδισίων ἀκόλαςον σύγγραμμα, ὅπερ φησὶ ποιῆσαι Αἰσχρίων ὁ Σάμιος ἰαμβοποιὸς Πολυκράτη τὸν σοφιςὴν ἐπὶ διαβολῇ τῆς ἀνθρώπου, σωφρονεςάτης γενομένης: ac deinde sic pergit pag. 335. D. Ἀλλ' οὖν γε ὁ θαυμασιώτατος Χρύσιππος ἐν τῷ πέμπτῳ Περὶ τοῦ Καλοῦ καὶ τῆς Ἡδονῆς φησί· « καὶ βιβλία

» τά τε Φιλαινίδος, καὶ τὴν τοῦ Ἀρχεςράτου Γαςρονομίαν, καὶ δυνάμεις βρω-» τικὰς καὶ συνουσιαςικὰς (136), ὁμοίως δὲ καὶ τὰς θεραπαίνας ἐμπείρους τοι-» ῶνδε κινήσεών τε καὶ σχημάτων, καὶ περὶ τὴν τούτων μελέτην γινομένας.» καὶ πάλιν· «ἐκμανθάνειν τ' αὐτοὺς τὰ τοιαῦτα, καὶ κτᾶσθαι τὰ περὶ τούτων » γεγραμμένα Φιλαινίδι καὶ Ἀρχεςράτῳ, καὶ τοῖς τὰ ὅμοια γράψασι·» κἀν τῷ ἑβδόμῳ δὲ φησί· «Καθάπερ γὰρ οὐκ ἐκμανθάνειν τὰ Φιλαινίδος καὶ τὴν Ἀρ-» χεςράτου Γαςρονομίαν ἐςὶν ὡς φέροντά τι πρὸς τὸ ζῆν ἄμεινον.» Huc referendos existimo locos ejusdem auctoris, ubi sententiam profert Chrysippi de Archestrato, licet non indicans librum ex quo desumti sint. Lib. VII. pag. 278. E. T. III. pag. 15. Schw. Χρύσιππος δ'αὐτὸν (sc. Ἀρχέςρατον), ὁ ὄντως φιλόσοφος καὶ περὶ πάντα ἀνὴρ, « ἀρχηγὸν Ἐπικούρῳ φησὶ γενέσθαι, καὶ τοῖς τὰ τούτου ἐπιςαμένοις, τῆς πάντα » διαλυμηναμένης ἡδονῆς.» Lib. III. pag. 104. B. T. I. pag. 403. sq. Schw. Εἰς ταῦτ' (h. e. Antiphanis versus, quibus præcipitur fruendum esse iis quæ adsint) οὖν τις ἀποβλέπων, ἄνδρες φίλοι, εἰκότως ἂν ἐπαινέσειε τὸν καλὸν Χρύσιππον κατιδόντα ἀκριβῶς τὴν Ἐπικούρου φύσιν, καὶ εἰπόντα· «μητρόπολιν εἶναι τῆς φιλοσοφίας αὐτοῦ τὴν Ἀρχεςράτου Γαςρολογίαν·» ἣν πάντες οἱ τῶν φιλόσφων γαςρίμαργοι Θεογονίαν τινὰ αὐτῶν εἶναι λέγουσιν, τὴν καλὴν ταύτην ἐποποιΐαν.

Sed his tandem addamus reliqua *Libri Quinti* fragmenta.— Lib. IX. pag. 373. A. T. III. pag. 377. Schw. Myrtili verba adferens Athenæus, monet voces ὄρνιθες et ὀρνίθια de feminis tantum gallinis posteriori ætate esse usurpatas, ad eamque rem probaandam hæc addit: καὶ Χρύσιππος δ' ὁ φιλόσοφος ἐν τῷ πέμπτῳ Περὶ τοῦ Καλοῦ καὶ τῆς Ἡδονῆς γράφει οὕτως· « Καθάπερ τινὲς τὰς λευκὰς ὄρνιθας τῶν « μελαινῶν ἡδίους εἶναι μᾶλλον.» Cf. H. STEPHANI Thes. L. Gr. T. II. col. 1454. extr. et sq. Gallinam etiam significat ἡ ὄρνις in Evang. Lucæ Cap. XIII. v. 34. ubi vid. J. J. WESTENIUS Tom. I. pag.

(136) Vid. SCHWEIGHÆUSERUS Animadv. ad h. l. T. IV. p. 505. sq.

492. PALAIRETI Observatt. Philologg. pag. 75. sq. STURZII Lex. Xenophont. III. pag. 328. b. Eadem ratione *avem* dicunt Latini pro *gallina*, ut MARTIALIS Lib. XIII. Epigr. 73. et SILIUS ITAL. Punic. L. XIV. v. 22. ubi consulendus est A. DRAKENBORCH. Lib. XIV. pag. 616. A. T. V. p. 231. Schw. Καὶ Χρύσιππος δ' ὁ φιλόσοφος ἐν πέμπτῳ Περὶ τοῦ Καλοῦ καὶ τῆς Ἡδονῆς, περὶ τοῦ Πανταλέοντος τάδε γράφει· « Ὁ δὲ πλάνος Πανταλέων τελευτᾷν μέλλων, ἑκάτερον τῶν » υἱῶν κατ' ἰδίαν ἐξηπάτησεν, φήσας μόνῳ αὐτῷ λέγειν ὅπου κατορωρύχοι τὸ » χρυσίον· ὥςε μάτην ὕςερον κοινῇ σκάπτοντας, αἰσθέσθαι ἐξηπατημένους. » Ibid. p. 616. B. Οὐκ ἠπόρει δὲ ἡμῶν τὸ συμπόσιον οὐδὲ τῶν φιλοσκωπτούντων. Περὶ δὲ τοιούτου τινὸς πάλιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ αὐτῷ γράφει· « Φιλοσκώπτης μέλλων ὑπὸ τοῦ δημίου σφάττεσθαι, εἶπε θέλειν ὥςπερ τὸ κύκ- » νειον ᾄσας (137) ἀποθανεῖν. Ἐπιτρέψαντος δ' ἐκείνου, ἔσκωψεν. »

§. CVIII.

ΠΕΡΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ.

Libri Primi Περὶ Δικαιοσύνης meminit DIOGENES LAERT. L. VII. s. 129. Ἔτι ἀρέσκει αὐτοῖς (sc. Stoicis) μηδὲν εἶναι ἡμῖν δίκαιον πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα, διὰ τὴν ἀνομοιότητα, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Δικαιοσύνης. Res ipsa perhibetur etiam a CICERONE De Finib. III. 20. « Et quo modo hominum inter homines juris esse vincula putant (sc. Stoici), sic homini nihil juris esse cum bestiis. Præclare enim Chrysippus, cætera nata esse hominum causâ et Deorum; eos autem communitatis et societatis suæ: ut bestiis

---

(137) Explicuit proverbialem hanc locutionem ERASMUS Adagior. Chil. I. cent. 2. prov. 55. (Opp. T. II. col. 91.)

hominès uti ad utilitatem suam possint sine injuriâ. » Cum postremis his Ciceronis verbis conferantur quæ Idem dixit De Nat. Deor. L. II. c. 14. « Scite enim Chrysippus, ut clypei causâ, involucrum; vaginam autem gladii: sic, præter mundum, cætera omnia aliorum causâ esse generata: ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causâ; animantes autem hominum; ut equum, vehendi causâ; arandi, bovem; venandi et custodiendi, canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus sed est quædam particula perfecti. » et mox eod. Cap.: « Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adjungens, omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo, quam in equulo; in cane, quam in catulo; in viro, quam in puero: item, quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. » Cf. supra §. L. not. 207.

Idem liber aliquoties laudatur a PLUTARCHO. De Stoicis Repugn. pag. 1038. B. Ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Δικαιοσύνης, « καὶ τὰ θηρία, » φησὶ (sc. ὁ Χρύσιππος), « συμμέτρως τῇ χρείᾳ τῶν ἐκγόνων ᾠκειῶσθαι πρὸς αὐτὰ, πλὴν » τῶν ἰχθύων· αὐτα γὰρ τὰ κυήματα τρέφεται δι' αὐτῶν. » Cum his conferenda sunt quæ e Stoicorum sententiâ dixit CICERO De Off. L. I. c. 4. « Commune autem animantium omnium est conjunctionis appetitus, procreandi causâ, et cura quædam eorum quæ procreata sunt. Sed inter hominem et beluam, hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. »

PLUTARCH. Op. mem. p. 1051. B. C. Πάλιν ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Δικαιοσύνης εἰπὼν περὶ τῶν θεῶν, ὡς ἐνισταμένων ἐνίοις ἀδικήμασι, « Κακίαν δὲ, » φησὶ, « καθόλου ἆραι οὔτε δυνατόν ἐςιν, οὔτ' ἔχει καλῶς ἀρθῆναι. »

De hoc Chrysippi placito vid. quæ plura attulimus ad Fragmm. Περὶ Φύσεως, §. LXXVII.

Idem PLUTARCH. l. l. p. 1040. A. B. Ἐν τοῖς Πρὸς Πλάτωνα Περὶ Δικαιοσύνης εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐνάλλεται τῷ περὶ θεῶν λόγῳ, καὶ φησὶν, « οὔτ' » ὀρθῶς ἀποτρέπειν τῷ ἀπὸ τῶν θεῶν φόβῳ τῆς ἀδικίας τὸν Κέφαλον (138), » εὐδιάβλητόν τ' εἶναι καὶ πρὸς τοὐναντίον ἐξάγοντα πολλοὺς περισπασμοὺς » (139) καὶ πιθανότητας ἀντιπιπτούσας τὸν περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ κολάσεων » λόγον, ὡς οὐδὲν διαφέροντα τῆς Ἀκκοῦς καὶ τῆς Ἀλφιτοῦς, δι' ὧν τὰ παι- » δάρια τοῦ κακοσχολεῖν αἱ γυναῖκες ἀνείργουσιν. » De Accone vid. Etymol. Magn. col. 574. 14. Sylb. HESYCHIUS T. I. col. 194. ibique Interprr. Toto hoc loco usus est R. CUDWORTH. System. Intellect. T. I. pag. 646. — Inconstantiæ autem propterea Chrysippum accusat hoc loco Plutarchus, quod cum ita exagitasset Platonem, alibi rursus eum laudarit et hos sæpe usurparit Euripidis versus,

Ἀλλ' ἔστιν, εἴ τις ἐγγελᾷ λόγῳ,
Ζεὺς, καὶ θεοὶ βρότεια λεύσσοντες πάθη.

---

(138) PLATONIS locus, quem tangit hîc Plutarchus, videtur esse De Republ. Lib. I. c. 5. p. 330. D. E. Steph.: — ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν, εἰσέρχεται αὐτῷ δέος καὶ φροντὶς περὶ ὧν ἔμπροσθεν οὐκ εἰσῄει. οἵ τε γὰρ λεγόμενοι μῦθοι περὶ τῶν ἐν ᾅδου, ὡς τὸν ἐνθάδε ἀδικήσαντα δεῖ ἐκεῖ διδόναι δίκην, καταγελώμενοι τέως, τότε δὴ στρέφουσιν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν, μὴ ἀληθεῖς ὦσι······· ὁ μὲν οὖν εὑρίσκων ἑαυτοῦ ἐν τῷ βίῳ πολλὰ ἀδικήματα, καὶ ἐκ τῶν ὕπνων, ὥσπερ οἱ παῖδες, θαμὰ ἐγειρόμενος, δειμαίνει, καὶ ζῇ μετὰ κακῆς ἐλπίδος· τῷ δὲ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι, καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος, ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει. Ad quem locum similia ex aliis scriptoribus attulit FR. ASTIUS p. 337. sq.

(139) Melius hunc locum ita esse constituendum censet Wyttenbachius, εὐδιάβλητόν τ' εἶναι πρὸς τοὐναντίον, εἰσάγοντα πολλοὺς περισπασμοὺς κ. τ. λ.

Deinde hæc addit: καὶ ὁμοίως ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Δικαιοσύνης, τὰ Ἡσιόδεια ταυτὶ προενεγκάμενος,

> Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήλασε πῆμα Κρονίων,
> Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί (140).

« ταῦτα, » φησὶ, « τοὺς θεοὺς ποιεῖν, ὅπως τῶν πονηρῶν κολαζομένων, οἱ λοι» ποὶ παραδείγμασι τούτοις χρώμενοι, ἧττον ἐπιχειρῶσι τοιοῦτόν τι ποιεῖν. » Plures præterea in eâdem orationis perpetuitate a Plutarcho laudantur loci Chrysippi, sive ex hoc ipso Opere sive ex alio, quod eâdem de re contra Platonem scripserat, depromta: nonnulli etiam ex Demonstrationibus De Justitiâ (ἐκ τῶν Ἀποδείξεων Περὶ Δικαιοσύνης). Quæ tres commentationes utrum unius ejusdemque De Justitiâ operis variæ tantum fuerint partes, an singulæ a se invicem separatæ scriptiones, cum non liqueat, age, locos hinc a Plutarchos excerptos promiscue apponamus.

Ac post ultima quidem verba modo allata ita pergit Plutarchus pag. 1040. C. Πάλιν ἐν μὲν τοῖς Περὶ Δικαιοσύνης ὑπειπὼν ὅτι, « τοὺς τἀγαθὸν (141), ἀλλὰ μὴ τέλος, τιθεμένους τὴν ἡδονὴν (142), ἐνδέ» χεται σώζειν καὶ τὴν δικαιοσύνην, » θεὶς τοῦτο, κατὰ λέξιν εἴρηκε, « Τάχα » γὰρ ἀγαθοῦ αὐτῆς ἀπολειπομένης, τέλους δὲ μὴ, τῶν δὲ δι' αὐτῶν αἱρετῶν

---

(140) Desumti sunt hi versus ex HESIODI Opp. et DD. v. 242. ubi pro ἐπήλασε legitur ἐπήγαγε.

(141) Leg. ἀγαθόν, monente Wyttenbachio.

(142) In Indice librorum Chrysippi a Diogene duo nominantur sic inscripti: Ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν τέλος, et Ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν.

» ὄντος καὶ τοῦ καλοῦ, σώζοιμεν ἂν τὴν δικαιοσύνην, μεῖζον ἀγαθὸν ἀπολι-» πόντες τὸ καλὸν καὶ τὸ δίκαιον τῆς ἡδονῆς. » Ταῦτα μὲν ἐν τούτοις περὶ τῆς ἡδονῆς. Ἐν δὲ τοῖς πρὸς Πλάτωνα, κατηγορῶν αὐτοῦ δοκοῦντος ἀγαθὸν ἀπολιπεῖν τὴν ὑγείαν, « Οὐ μόνον τὴν δικαιοσύνην, » φησὶν, « ἀλλὰ καὶ τὴν » μεγαλοψυχίαν ἀναιρεῖσθαι, καὶ τὴν σωφροσύνην, καὶ τὰς ἄλλας ἀρετὰς ἁπά-» σας, ἂν τὴν ἡδονὴν ἢ τὴν ὑγείαν, ἤ τι τῶν ἄλλων, ὃ μὴ καλόν ἐςιν, ἀγα-» θὸν ἀπολείπωμεν. » Hæc igitur pugnantia esse ostendit Plutarchus, quandoquidem modo Chrysippus si quis unâ cum honesto voluptatem esse bonum ponat, locum fore justitiæ dicit; modo ab iis qui non solum honestum esse bonum statuant, tolli omnes virtutes existimat. Cum his conferantur quæ e Stoicorum doctrinâ disseruit CICERO De Offic. L. I. c. 2. « Qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis, non honestate metitur; hic, si sibi ipse consentiat, et non interdum naturæ bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec *justitiam*, nec liberalitatem. Fortis vero, dolorem summum malum judicans, aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. » Uberius hæc Cicero persequitur Lib. III. cap. 33. sqq. De Finib. L. II. c. 8. §. 23. sqq. cap. 15. §. 48. c. 19. §. 62. c. 24. §. 78. sqq. c. 35. §. 117. Et ipse Chrysippus, apud eumdem PLUTARCHUM De Stoicis Repugn. p. 1046. F. dicit, « τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, οὐ μόνον τῷ τὴν μίαν ἔχοντα, πάσας » ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κατὰ μίαν ὁτιοῦν ἐνεργοῦντα, κατὰ πάσας ἐνεργεῖν· » οὔτ' ἄνδρα τέλειον εἶναι τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετὰς, οὔτε πρᾶξιν τε-» λείαν, ἥτις οὐ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετάς. »

Sed revertamur ad locum antea laudatum, ubi Plutarchus, quo magis appareat Chrysippum sibi ipsum esse adversatum, hæc addit, pag. 1040. E. F. Ἀριςοτέλει Περὶ Δικαιοσύνης ἀντιγράφων, « οὐ, » φησὶν, « αὐτὸν ὀρθῶς λέγειν ὅτι τῆς ἡδονῆς οὔσης τέλους, ἀναιρεῖται

» μὲν ἡ δικαιοσύνη, συναναιρεῖται δὲ τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν » ἑκάστη· τὴν μὲν γὰρ δικαιοσύνην ὑπ' αὐτῶν ὡς ἀληθῶς ἀναιρεῖσθαι, τὰς δ' » ἄλλας ἀρετὰς οὐδὲν κωλύει ὑπάρχειν, εἰ καὶ μὴ δι' αὐτὰς αἱρετὰς, ἀλλ' ἀγα- » θὰς γοῦν καὶ ἀρετὰς ἐσομένας. » et mox ita eum ait perrexisse: « Τῆς » γὰρ ἡδονῆς ἐμφαινομένης τέλους κατὰ τὸν τοιοῦτον λόγον, τὸ μὲν τοιοῦτο » πᾶν μοι δοκεῖ οὐκ ἐμπεριλαμβάνεσθαι· διὸ ῥητέον, μήτε τῶν ἀρετῶν τινα δι' » αὐτὴν αἱρετὴν εἶναι, μήτε τῶν κακιῶν φευκτὴν, ἀλλὰ πάντα ταῦτα δεῖν » ἀναφέρεσθαι πρὸς τὸν ὑποκείμενον σκοπόν· οὐδὲν μέντοι κωλύσει κατ' αὐτοὺς, » τὴν ἀνδρείαν μὲν καὶ τὴν φρόνησιν καὶ τὴν ἐγκράτειαν καὶ τὴν καρτερίαν καὶ » τὰς ὁμοίας ταύταις ἀρετὰς, εἶναι τῶν ἀγαθῶν, τὰς δ' ἐναντίας ὑπάρχειν » φευκτάς. » Hanc igitur miram esse disputandi licentiam ait Plutarchus, quoniam, de eodem argumento disserens, quæ Aristotelem culpans posuerit, eadem rursus in accusando Platone repudiarit: eamque temeritatem hinc etiam potissimum apparere, quod in Demonstrationibus De Justitiâ diserte dicat, « ὅτι πᾶν κατόρθωμα καὶ εὐνόμημα καὶ δικαιοπράγημά ἐστι· τὸ δέ γε κατ' » ἐγκράτειαν, ἢ καρτερίαν, ἢ φρόνησιν, ἢ ἀνδρείαν πραττόμενον, κατόρθωμά ἐστιν, » ὥστε καὶ δικαιοπράγημα. »

Rursus Op. mem. pag. 1041. B-E. Plutarchus asserit Chrysippum non minus sibi ipsum constare, cum uno loco objiciat Platoni, « ἀτόπως (sc. ὑπ' αὐτοῦ) λέγεσθαι τὸ ἀδικεῖν ἑαυτόν· εἶναι γὰρ πρὸς » ἕτερον, οὐ πρὸς ἑαυτὸν, τὴν ἀδικίαν. » ejusque rei hanc addat rationem: « Οἱ γὰρ κατ' ἰδίαν ἄδικοι συνεστήκασιν ἐκ πλειόνων τοιούτων, τἀναν- » τία λεγόντων (143), καὶ ἄλλως τῆς ἀδικίας λαμβανομένης, ὡς ἂν ἐν πλείοσι » πρὸς ἑαυτοὺς οὕτως ἔχουσιν· εἰς δὲ τὸν ἕνα μηδενὸς διατείνοντος τοιούτου, » καθ' ὅσον δὲ πρὸς τοὺς πλησίον ἔχει οὕτως. » alio autem loco ἐν ταῖς

(143) Corruptum hunc locum ita refingere studet Wyttenbachius: Οὐ γὰρ κατ' ἰδίαν οἱ ἄδικοι συνεστήκασιν, ἐκ πλειόνων δὲ τοιούτων τἀναντία δρώντων.

Περὶ Δικαιοσύνης Ἀποδείξεσιν, contra affirmet, ἀδικεῖσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ τὸν » ἀδικοῦντα, καὶ αὐτὸν ἀδικεῖν, ὅταν ἄλλον ἀδικῇ, γενόμενον ἑαυτῷ τοῦ πα- » ρανομεῖν αἴτιον, καὶ βλάπτοντα παρ' ἀξίαν ἑαυτόν.» idque his usus ratiocinationibus, pag. laud. D. E.: «Παραίτιον γενέσθαι παρανομήματος, ἀπαγο- » ρεύει ὁ νόμος. καὶ τὸ ἀδικεῖν ἐςαι παρανόμημα· ὁ τοίνυν παραίτιος γενόμενος » αὑτῷ τοῦ ἀδικεῖν, παρανομεῖ εἰς ἑαυτόν. ὁ δὲ παρανομῶν εἰς ἕνα, καὶ ἀδι- » κεῖ ἐκεῖνον· ὃν ἄρα (144) καὶ ὀντιναοῦν ἀδικῶν, καὶ ἑαυτὸν ἀδικεῖ.» et rursus: «Τὸ ἁμάρτημα τῶν ϐλαμμάτων ἐςὶ, καὶ πᾶς ἁμαρτάνων παρ' ἑαυτὸν » ἁμαρτάνει· πᾶς ἄρα ὁ ἁμαρτάνων βλάπτει ἑαυτὸν παρὰ τὴν ἀξίαν· εἰ δὲ » τοῦτο, και ἀδικεῖ ἑαυτόν:» ac tandem: «Ὁ βλαπτόμενος ὑφ' ἑτέρου, » ἑαυτὸν βλάπτει, καὶ παρὰ τὴν ἀξίαν ἑαυτὸν βλάπτει, τοῦτὸ δ' ἦν τὸ ἀδικεῖν· » ὁ ἄρα ἀδικούμενος καὶ ὑφ' ὁτουοῦν πᾶς ἑαυτὸν ἀδικεῖ.»

Aliis etiam pluribus locis, libri indicatione sive additâ sive omissâ, hoc opus Chrysippi commemorat Plutarchus: qui hîc videntur esse adjiciendi. De Comm. Notit. pag. 1070. E. Ἀλλ' ὁμολογεῖ μὲν Χρύσιππος «εἶναι τινὰς φόϐους καὶ λύπας καὶ ἀπάτας, αἳ βλάπτουσι μὲν ἡμᾶς, χείρο- » νας δὲ οὐ ποιοῦσιν.» ejusque rei ratione Plutarchus amandat lectores ad *Primum* adversus Platonem *Librum* ejus De Justitiâ, digna ducens, quæ cognoscerentur, ejus commenta maxime, unde pateret quam negligenter versatus sit Chrysippus tam in suis quam in aliorum placitis dijudicandis. Ac paulo ante de eodem dixerat: — ἐν δὲ τοῖς Περὶ Δικαιοσύνης, «εἰ μέν τις ὑπόθοιτο τὴν » ἡδονὴν τέλος, οὐκ οἴεται σώζεσθαι τὸ δίκαιον· εἰ δὲ μὴ τέλος, ἀλλὰ ἁπλῶς » ἀγαθὸν, οἴεται.» Quæ ex *Tertio Libro* esse excerpta, sequentia declarant.

Ex eodem *Libro Tertio* hæc adferuntur a Plutarcho, ut argu-

(144) Commodiorem sensum efficit Reiskii conjectura, ὁ ἄρα legentis pro ὃν ἄρα.

mentum contra communes Stoicorum Prænotiones, De Stoic. Repugn. pag. 1041. F: « Διὸ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ τε μεγέθους καὶ » τοῦ κάλλους, πλάσμασι δοκοῦμεν ὅμοια λέγειν, καὶ οὐ κατὰ τὸν ἄνθρωπον, » καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν. »

Tandem Op. mem. p. 1049. A. Ἐγκαλοῦσιν αὐτῷ τινὲς τῶν Πυθαγορικῶν ἐν τοῖς Περὶ Δικαιοσύνης γράφοντι περὶ τῶν ἀλεκτρυόνων, ὅτι « χρησί- » μως γεγόνασι· ἐπεγείρουσι γὰρ ἡμᾶς, καὶ τοὺς σκορπίους ἐκλέγουσι, καὶ » κατὰ τὰς μάχας ἐπιςρέφουσι, ζῆλόν τινα πρὸς ἀλκὴν ἐμποιοῦντες· ὅμως δὲ » δεῖ κατεσθίειν καὶ τούτους, ἵνα μὴ τὴν χρείαν ὑπερβάλῃ τὸ πλῆθος τῶν » νεοττῶν. » De Gallis Gallinaceis vid. etiam Fragmentum quod proferemus §. CXI. Περὶ τῶν δι' αὐτὰ Αἱρετῶν. Præter ea quæ in laudatis duobus operibus, De Stoic. Repugn. ac De Comm. Notit. universe contra Chrysippi sententiam disputavit Plutarchus, de industriâ quoque Tres libros conscripserat ad Chrysippi librum De Justitiâ, nunc deperditos. Cf. *Lampriæ* Index, n. 57. ap. FABRIC. Bibl. Gr. T. V. pag. 161. Harl.

Postremum denique hic apponendum fragmentum servavit SEXTUS EMPIRICUS Adv. Mathematt. Lib. XI. segm. 193. Λέγεται δ' ἐν τῷ Περὶ Δικαιοσύνης ὑπὸ Χρυσίππου ταυτί· « Καὶ ἂν τῶν μελῶν ἀπο- » κοπῇ τι μέρος πρὸς τὴν τροφὴν χρήσιμον, μήτε κατορύττειν αὐτὸ, μήτε » ἄλλως ῥίπτειν, ἀναλίσκειν δὲ αὐτὸ, ὅπως τῶν ἡμετέρων ἕτερον μέρος γένη- » ται. » Quæ eadem Chrysippi sententia cum etiam e libris De Republicâ adferatur (Idem SEXTUS EMP. Pyrrhon. Hypotyp. Lib. III. s. 247.), FABRICIUS ad l. l. pag. 725. suspicatus est, libros Chrysippi De Justitiâ his fuisse adjunctos. Sed facile, credo, hanc opinionem nobiscum improbabit qui, quod supra monuimus, perpenderit, fuisse hanc cummaxime Chrysippi consuetudinem, ut easdem res in variis operibus attingeret.

§. CIX.

ΠΕΡΙ ΔΙΚΑΙΟΥ.

Commemorat hujus operis *Librum Tertium* DIOGENES LAERT. Vit. Chrys. VII. s. 188. Ἐν δὲ τῷ γ' Περὶ Δικαίου, κατὰ τοὺς χιλίους ςίχους, καὶ τοὺς ἀποθανόντας κατεσθίειν κελεύων. Quam eamdem sententiam Chrysippus protulerat in libris De Republicâ, teste SEXTO EMPIR. Pyrrhon. Hypotyp. L. III. s. 147.—Ad hoc opus forsitan etiam referenda sunt quæ habet CICERO De Offic. L. III. c. 10. §. 42. « Scite Chrysippus, ut multa: « Qui stadium, » inquit, « currit, » eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat; » supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo » modo debet. Sic in vitâ sibi quemque petere, quod pertineat » ad usum, non iniquum est; alteri deripere, jus non est. » Ubi conf. de grammaticâ loci ratione BEIERUS. V. D. pag. 245. Simili comparatione usus est Chrysippus in libris De Jure Dicendo, PLUTARCH. De Stoic. Repugn. pag. 1045. D. quem locum infra proferemus, §. CXX.—Utrum vero ab opere Περὶ Δικαιοσύνης diversum sit hoc a Laërtio commemoratum, nec ne, doctioribus dispiciendum relinquere malumus quam de re incertâ temere pronuntiare.

§. CX.

ΠΕΡΙ ΑΓΑΘΩΝ ΚΑΙ ΚΑΚΩΝ ΕΙΣΑΓΩΓΗ.

Laudatur Chrysippus ab ORIGENE Adv. Celsum Lib. IV. pag. 206. Spenc. ἐν τῇ Περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν Εἰσαγωγῇ. Idem vero hoc opus esse videtur atque illud, quod, titulo paullum diverso, binis locis laudatur ab ATHENÆO, Lib. IV. pag. 159. D. Tom.

II. pag. 120. Schw. Χρύσιππος δ' ἐν τῇ Εἰσαγωγῇ τῇ Περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν Πραγματείᾳ (145), « νεανίσκον φησί τινα ἐκ τῆς Ἰωνίας σφόδρα πλού- » σιον ἐπιδημῆσαι ταῖς Ἀθήναις, πορφυρίδα ἠμφιεσμένον, ἔχουσαν χρυσᾶ κράσπεδα. » Πυνθανομένου δέ τινος αὐτοῦ, ποδαπός ἐςιν, ἀποκρίνασθαι, ὅτι Πλούσιος. » Eumdem adolescentem tetigisse quoque Alexidem, poëtam comicum, in Thebanis, existimat Athenæus, tribus inde versibus ab ipso allatis. Alter locus est Lib. XI. pag. 464. D. E. Tom. IV. pag. 203. Schw. Οὐ δεῖ οὖν ἡμᾶς ἐκμανῶς πίνειν, ἀποβλέποντας εἰς τὸ πλῆθος τῶν καλῶν τούτων καὶ παντοδαπῶν κατὰ τὰς τέχνας ἐκπωμάτων. « Τὴν » δὲ μανίαν τοὺς πολλοὺς, » φησὶν ὁ Χρύσιππος ἐν τῇ Εἰσαγωγῇ τῇ Περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν Πραγματείᾳ (146), « τοῖς πλεῖςοις προσάπτεσθαι. καλεῖ- » σθαι γοῦν τὴν μὲν γυναικομανίαν, τὴν δὲ ὀρτυγομανίαν. τινὲς δὲ καὶ δοξομα- » νεῖς καλοῦσι τοὺς φιλοδόξους· καθάπερ τοὺς φιλογύνους, γυναικομανεῖς· καὶ » τοὺς φιλόρνιθας, ὀρνιθομανεῖς· τὸ αὐτὸ σημαινόντων τῶν ὀνομάτων τούτων. » ὥςε καὶ τὰ λοιπὰ μὴ ἀλλοτρίως καλεῖσθαι τὸν τρόπον τοῦτον. καὶ γὰρ ὁ φί- » λοψος καὶ ὁ ὀψοφάγος οἷον ὀψομανής ἐςιν. καὶ ὁ φίλοινος οἰνομανής. καὶ ὡσαύ- » τως ἐπὶ τῶν ὁμοίων· οὐκ ἀλλοτρίως τῆς μανίας κειμένης ἐν αὐτοῖς, ὡς ἁμαρ- » τάνουσι μανικῶς, καὶ τῆς ἀληθείας ἐπιπλεῖον ἀπαρτωμένοις. » Vid. ad h. l. CASAUB. et SCHWEIGHÆUS. Animadvv. T. VI. pag. 32. sq.

Ad idem hoc opus, judicante Menagio, forsitan etiam sunt referenda quæ duobus locis, sed simpliciori inscriptione Περὶ Ἀγαθῶν, profert PLUTARCHUS, De Stoic. Repugn. pag. 1048. A.

---

(145) Ita enim hunc titulum, vel refragantibus codicibus, recte restituisse videtur Schweighæuserus. Casaubonus voluerat, ἐν τῇ Εἰσαγωγῇ τῇ εἰς τὴν Περὶ Ἀγαθῶν καὶ Κακῶν Πραγμάτειαν. Vid. Animadverss. T. II. p. 541. sq. Cf. tamen idem SCHWEIGH. ad Lib. XI. p. 464. D. Animadvv. T. VI. p. 33.

(146) SCHWEIGHÆUS. ad h. l. τῇ π. ἀγ. κ. κ. πραγματείᾳ idem valere existimat atque εἰς τὴν π. ἀ κ. κ. πραγματείαν. Animadvv. T. VI. p. 33.

Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ Περὶ Ἀγαθῶν τρόπον τινὰ συγχωρεῖ καὶ δίδωσι τοῖς βουλομένοις τὰ προηγμένα καλεῖν ἀγαθὰ, καὶ κακὰ τἀναντία, ταύταις ταῖς λέξεσιν, « Εἴ τις (147) βούλεται κατὰ τὰς τοιαύτας παραλλαγὰς, τὸ μὲν, ἀγαθὸν αὐ- » τῶν λέγειν, τὸ δὲ κακὸν, ἐπὶ ταῦτα φερόμενος τὰ πράγματα (148), καὶ » μὴ ἄλλως ἀποπλανώμενος, ἐν μὲν τοῖς σημαινομένοις οὐ διαπίπτοντος αὐτοῦ, » τὰ δ' ἄλλα ςοχαζομένου τῆς κατὰ τὰς ὀνομασίας συνηθείας. » Et ibidem pag. 1046. B. « Τὴν ἐπιχαιρεκακίαν ὅπου μὲν ἀνύπαρκτον εἶναι, » φησίν· « ἐπεὶ » τῶν μὲν ἀςείων οὐδεὶς ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς χαίρει τοπαράπαν (149). » Ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Περὶ Ἀγαθοῦ, « τὸν φθόνον » ἐξηγησάμενος, « ὅτι λύπη ἐςὶν » ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς, ὡς δήποτε βουλομένων ταπεινοῦν τοὺς πλησίον, ὅπως » ὑπερέχωσιν αὐτοί, » συνάπτει τὴν ἐπιχαιρεκακίαν· « Ταύτης δὲ συνεχὴς ἡ » ἐπιχαιρεκακία γίνεται, ταπεινοὺς βουλομένων εἶναι τοὺς πλησίον διὰ τὰς ὁμοί- » ας αἰτίας, καθ' ἑτέρας δὲ φυσικὰς φορὰς ἐκτρεπομένων, ὁ ἔλεος γίνεται. » Ex his sequi dicit Plutarchus eum sicut Invidiam et Misericordiam, item Gaudium ex malis alienis relinquere in rerum naturâ, ex qua alibi exceperit, sicut etiam Malorum odium (τὴν μισοπονηρίαν) et Turpis Lucri cupiditatem (τὴν αἰσχροκέρδειαν). Chrysippum secutus esse videtur CICERO Tuscul. IV. 9. *Malivolentiam* (ἐπιχαιρεκακίαν) dicens *voluptatem ex malo alterius sine emolumento suo:* et IV. 8. *Invidentiam* (φθόνον) *ægritudinem*

---

(147) Wyttenbachius legendum esse censet ἔξεστιν, εἴ τις: cum verbum ἔξεστιν excidere facillime potuerit ob antecedentis vocis similitudinem: eamque correctionem interpretando expressit.

(148) Legit Wyttenbachius ἐπὶ γ' αὐτὰ φ. τ. πρ. et hunc locum sic interpretatur in Animadverss. ad Plutarch. De Rect. Aud. Rat. p. 41. C. T. I. p. 348. *tendens ad res ipsas, hæc nomina referens ad res ipsas.*

(149) Locus mutilus, ita supplendus, monente Meziriaco: χαίρει, τῶν δὲ φαύλων οὐδεὶς χαίρει τοπαράπαν. Quam emendationem Latinâ interpretatione expressit Wyttenbachius.

susceptam propter alterius res secundas, quæ nihil nocent invidenti : ubi vid. DAVISIUS: coll. Tusc. III. 9. et ARISTOT. Ethic. Nicomach. L. I. c. 7. §. 15. pag. 101. Zellii.

Ceterum Chrysippi opus Περὶ Ἀγαθῶν commemoratur etiam a [Pseudo-] PLUTARCHO De Nobilitate, in Jo. Chr. Wolfii Anecdd. Grr. Part. II. pag. 245. T. V. pag. 966. Wyttenb. quem locum sequenti §. exhibebimus.

§. CXI.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΔΙ' ΑΥΤΑ ΑΙΡΕΤΩΝ.

ATHENÆUS Lib. VII. pag. 285. D. Tom. III. pag. 40. Schweigh. de proverbio, Ἴδε πῦρ ἀφύη, agens, hæc refert : Χρύσιππος δ' ὁ φιλόσοφος, ἐν τῷ Περὶ Τῶν Δι' Αὑτὰ Αἱρετῶν, « τὴν ἀφύην, » φησὶ, « τὴν ἐν Ἀθή- » ναις διὰ μὲν τὴν δαψίλειαν ὑπερορῶσι, καὶ πτωχικὸν εἶναί φασιν ὄψον· ἐν » ἑτέραις δὲ πόλεσιν ὑπερθαυμάζουσι, πολὺ χείρω γινομένην. εἶθ' οἱ μὲν, » φησὶν, « ἐνταῦθα τοὺς Ἀδριατικοὺς ὄρνιθας τρέφειν σπεύδουσιν, ἀχρειοτέρους » ὄντας, ὅτι τῶν παρ' ἡμῖν πολὺ ἐλάττους εἰσίν· ἐκεῖνοι δὲ τἀναντία μετα- » πέμπονται τοὺς ἐνθάδε. » Ad quem locum vid. SCHWEIGHÆUSERI Animadvers. T. IV. p. 110.

Ex eodem opere hoc fragmentum servavit PLUTARCHUS De Stoic. Repugn. p. 1043. B. « Τῷ γὰρ ὄντι φαίνεται ὁ κατὰ τὴν ἡσυχίαν » βίος ἀκίνδυνόν τι καὶ ἀσφαλὲς ἔχειν, οὐ πάνυ τῶν πολλῶν δυναμένων τοῦτο » συνιδεῖν. »

Hinc etiam petita videntur quæ Chrysippo tribuit IDEM Op. mem. pag. 1047. E. perhibens eum dixisse, « μαίνεσθαι τοὺς τὸν πλοῦ- » τον καὶ τὴν ὑγίειαν, καὶ τὴν ἀπονίαν, καὶ τὴν ὁλοκληρίαν τοῦ σώματος ἐν

36.

» μηδενὶ ποιουμένους, μηδ' ἀντεχομένους τῶν τοιούτων: » siquidem accurate locutus est [Pseudo-] PLUTARCHUS De Nobilitate, in J. Chr. Wolfii Anecdd. Grr. Part. II. pag. 246. Tom. V. pag. 967. Wyttenb. Ἀλλὰ τὸν Χρύσιππον ἀφῶμεν, οὐχ ἅπαξ ἐναντιούμενον ἑαυτῷ, ὥσπερ ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ἀγαθῶν καὶ ἐν τῷ περὶ ῥητορικῆς, ὑγίειαν ἐάν τις τοῖς ἀγαθοῖς ἐναριθμῇ, οὐκ ἀντιμάχεσθαι, καὶ ἐν τῷ Περὶ Τῶν Καθ' Αὑτα Αἱρετῶν οὐδὲ μανίας ἀποστερεῖ τοὺς τούτων καταφρονοῦντας.

§. CXII.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΜΗ ΔΙ' ΑΥΤΑ ΑΙΡΕΤΩΝ.

ATHENÆUS Lib. IV. pag. 159. A. B. Tom. II. pag. 118. sq. Schw. cum retulisset ex Euripidis Supplicibus locum de Capaneo, qui quamquam dives, amabat et laudabat frugalitatem, hæc subjicit: Οὐκ ἦν γάρ τοιοῦτος, ὡς ἔοικεν, ὁ Καπανεὺς οἷον ὁ καλὸς Χρύσιππος διαγράφει ἐν τῷ Περὶ Τῶν Μὴ Δι' Αὑτα Αἱρετῶν, λέγων ὧδε· « Ἐπὶ τοσοῦτόν » τινες ἐκπίπτουσιν πρὸς τὸ ἀργύριον, ὥστε ἱστορῆσθαι, πρὸς τῇ τελευτῇ τινὰ » μὲν καταπιόντα οὐκ ὀλίγους χρυσοῦς ἀποθανεῖν· τὸν δὲ ἕτερον ῥαψάμενον εἴς » τινα χιτῶνα, καὶ ἐνδύντα αὐτὸν, ἐπισκῆψαι τοῖς οἰκείοις θάψαι οὕτως μήτε » καύσαντας, μήτε θεραπεύσαντας. » De tituli scripturâ vid. SCHWEIGHÆUSERI Animadvers. T. II. pag. 540.

Ejus operis meminit etiam DIOGENES LAERT. Lib. VII. segm. 188. dicens Chrysippum initio illius scripsisse, licitum esse καὶ μητράσι συνέρχεσθαι, καὶ θυγατράσι καὶ υἱοῖς· Conf. quæ infra apponemus §. CXXIII et CXXIV.

---

§. CXIII.

ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ.

Chrysippum quatuor scripsisse libros Περὶ Παθῶν, diserte proditur a GALENO De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. IV. Tom. I. pag. 277. lin. 57. edit. Basil. ὁ δὲ Χρύσιππος οὐδὲ καθ' ἓν τῶν τεττάρων βιβλίων, ἃ Περὶ τῶν Παθῶν ἔγραψεν, ἐποίησε τοῦτο: coll. Lib. VII. pag. 309. lin. 43. eosque omnes spissos admodum fuisse, ab EODEM Op. laud. Lib. V. Tom. I. pag. 293. lin. 3. Basil. — Prioribus tribus, qui Logici (λογικὰ ὑπομνήματα) inscribebantur, de origine et naturâ perturbationum in genere videtur egisse, quarto, quem Curatorium (θεραπευτικόν) appellaverat, de ratione qua animi perturbationes sint moderandæ ac sedandæ. Hoc intelligitur ex pluribus locis ejusdem GALENI, De Hippocr. et Platon. Decret. Lib. IV. Tom. I. pag. 275. lin. 42. Basil. Κατὰ δὲ τὰ περὶ τῶν παθῶν ἅπαντα τά τε τρία, δι' ὧν ἐπισκέπτεται τὰ λογικὰ περὶ αὐτῶν ζητήματα, καὶ προσέτι τὸ θεραπευτικὸν, ὃ δὴ καὶ ἠθικὸν ἐπιγράφουσί τινες, οὐκέθ' ὁμοίως εὑρίσκεται γιγνώσκων. Ibid. Lib. V. Tom. I. pag. 295. lin. 16. Lib. VII. pag. 309. lin. 38. De Locis Affectis Lib. III. Tom. III. pag. 270. lin. 32. sq. Basil. Οὕτως γοῦν καὶ Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος ἔγραψε παρὰ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν ἓν μὲν τὸ θεραπευτικὸν βιβλίον, οὗ μάλιστα χρήζομεν εἰς τὴν ἴασιν αὐτῶν· ἕτερα δὲ τρία λογικὰς ἔχοντα ζητήσεις: coll. De Hippocr. et Platon. Decret. Lib. IV. Tom. I. pag. 284. lin. 10. Bas., ubi de hoc Chrysippeo opere sic loquitur Galenus: καίτοι τό γε συνέχον ὅλην τὴν πραγματείαν τήν τε τῶν λογικῶν ζητημάτων, καὶ τὴν θεραπευτικὴν τῶν παθῶν οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰς αἰτίας ἐξευρεῖν ὑφ' ὧν γίνεταί τε καὶ παύεται τὰ πάθη: et Ejusd. Op. Lib. VIII. pag. 320. lin. 34. Bas.

E duobus prioribus libris (150) plura Fragmenta servavit

---

(150) Sed ne unum quidem e Tertio libro. Cf. GALENUS Op. laud. Lib. V. pag. 293. lin. 3. sq.

Galenus in opere De Hippocratis et Platonis Decretis Libro V. et VI. in quibus simpliciter huc transcribendis nos continebimus, quoniam tam late patet hoc argumentum ut, qui adcuratius illud tractare velit, ei plus temporis et otii sit opus quam nunc maxime nobis contingit. Fieri igitur non potest ut quæ de Chrysippo his libris prodit aut in eo reprehendit Galenus, singula exponamus; sed ratione hujus materiæ, non minus atque illius quam supra attigimus De Animâ, ad ipsum Galeni opus erunt amandandi qui plura cognoscere velint. Universe monuisse sufficiat, in eo quid sint animi perturbationes (τὰ πάθη) Stoicos nobilissimos dissensisse. Chrysippus enim statuebat, judicia (κρίσεις) illas esse principalis animæ partis (τοῦ λογιστικοῦ), cum Zeno non judicia ipsa dixisset, sed judiciis supervenientes contractiones et solutiones (τὰς τοῖς κρίσεσι ἐπιγιγνομένας συστολὰς καὶ λύσεις), elationes item animæ et dejectiones (ἐπάρσεις τῆς ψυχῆς καὶ πτώσεις) (151). Ab utroque dissidens elegans in primis Posidonius

(151) Conf. locus Galeni e Libro V. De Hipp. et Plat. Decr. mox memorandus. Paullo aliter eadem res ab Eodem perhibetur Lib. IV. op. laud. pag. 277. lin. 37. Ὁπόταν δ' ἐφεξῆς ἐπισκέπτηται (ὁ Χρύσιππος), πότερον κρίσεις τινὰς ἢ κρίσεσιν ἑπόμενα χρὴ νομίζειν εἶναι τά πάθη, καθ' ἑκάτερα μὲν ἀποχωρεῖ τῶν παλαιῶν· πολὺ δὲ μᾶλλον ἐν τῷ τὸ φαυλότερον ἡγεῖσθαι. Καὶ γὰρ Ζήνωνι κατά γε τοῦτο καὶ ἑαυτῷ καὶ πολλοῖς ἄλλοις μάχεται τῶν Στωϊκῶν, οἳ οὐ τὰς κρίσεις αὐτὰς τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπὶ ταύταις ἀλόγους συστολὰς, καὶ ταπεινώσεις, καὶ δείξεις (leg. δήξεις), ἐπάρσεις τε καὶ διαχύσεις ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τὰ τῆς ψυχῆς πάθη. Add. Diogenes Laertius Lib. VII. segm. 111. Δοκεῖ δ' αὐτοῖς τὰ πάθη κρίσεις εἶναι, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Παθῶν. Cicero Tuscul. Disp. IV cap. 7 et 10. Et latius manasse hanc opinionem Chrysippi docet locus Plutarchi De Animæ Procreatione pag. 1025. D. Οὐ μὴν ῥᾳδίως ἄν τις οὔτε πάθος ἀνθρώπου παντάπασιν ἀπηλλαγμένον λογισμοῦ κατανοήσειεν, οὔτε διανοίας κίνησιν, ᾗ μηθὲν ἐπιθυμίας ἢ φιλοτιμίας ἢ τοῦ χαίροντος ἢ λυπουμένου πρόσεστι. Διὸ τῶν φιλοσόφων οἱ

nec judicia dicit esse perturbationes, neque quidquam quod judicia consequatur, sed motiones quasdam aliarum facultatum irrationalium (κινήσεις τινὰς ἑτέρων δυνάμεων ἀλόγων), quas *concupiscendi* (ἐπιθυμητικήν) et *irascendi* (θυμοειδῆ) appellaverat Plato. GALENUS De Hippocrat. et Platon. Decret. Lib. V. pag. 285. lin. 21. Bas. DAN. WYTTENBACHIUS Animadvers. ad Plutarchum De Serâ Num. Vind. pag 123. ab eoque laud. Jo. DAVISIUS ad Ciceronis Tuscul. Lib. IV. cap. 6. pag. 272. sqq. Ceterum ut breviores hoc loco possimus esse, facit etiam docta diligentia J. BAKII V. Cl. qui de Chrysippi hac de re sententiâ ejusque a Galeno relatis fragmentis multa egregie disputavit in Posidonii Rhodii Reliquiis Doctrinæ pag. 194 — 230. Sed jam fragmenta videamus.

E *Libro Primo* Περὶ Παθῶν statim afferuntur duo fragmenta, quæ ad Perturbationum definitionem pertinent. Alterum legitur Lib. V. Tom. I. pag. 276. lin. 15. Basil.: « Δεῖ δὲ πρῶτον ἐντεθυμεῖσ-
» θαι (sic), ὅτι τὸ λογικὸν ζῶον ἀκολουθητικὸν φύσει ἐστὶ τῷ λόγῳ, καὶ κατὰ τὸν
» λόγον, ὡς ἂν ἡγεμόνα πρακτικόν. Πολλάκις μέντοι καὶ ἄλλως φέρεται ἐπί
» τινα, καὶ ἀπό τινων ἀπειθῶς τῷ λόγῳ ὠθούμενον ἐπὶ πλεῖον, καθ' ἣν φορὰν
» ἀμφότεροι ἔχουσιν οἱ ὅροι τῆς παρὰ φύσιν κινήσεως ἀλόγως οὕτως γινομένης,
» καὶ τοῦ ἐν ταῖς ὁρμαῖς πλεονασμοῦ (152). Τὸ γὰρ ἄλογον τουτὶ ληπτέον

μὲν τὰ πάθη λόγους ποιοῦσιν, ὡς πᾶσαν ἐπιθυμίαν καὶ λύπην καὶ ὀργὴν κρί-
σεις οὔσας· οἱ δὲ τὰς ἀρετὰς ἀποφαίνουσι παθητικὰς, καὶ γὰρ ἀνδρείᾳ τὸ φοβούμενον,
καὶ σωφροσύνῃ τὸ ἡδόμενον, καὶ δικαιοσύνῃ τὸ κερδαλέον εἶναι.

(152) Cf. init. fragm. seq. πλεονασμὸς τῆς ὁρμῆς, et passim fragmm. hujus §. DIOGENES LAERTIUS LIB. VII. segm 110. Ἔστι δὲ τὸ πάθος κατὰ Ζήνωνα, ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα. Eadem fere habet ANDRONICUS Rhodius, aut quicumque est hujus libri auctor, De Perturbationibus pag. 523. Argentor.: Πάθος ἐστὶν ἄλογος ψυχῆς κίνησις δι' ὑπόληψιν κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ καὶ παρὰ φύσιν, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα. Ita enim ut cum Davisio legamus, pro τῇ ὁρμῇ πλεονάζουσα, movent nos alii loci, ut Laërtii modo me-

» ἀπειθὲς λόγῳ καὶ ἀπεστραμμένον τὸν λόγον, καθ' ἣν φορὰν καὶ ἐν τῷ ἔθει τι» νὰς φαμὲν ὠθεῖσθαι καὶ ἀλόγως φέρεσθαι ἄνευ λόγου κρίσεως, ὡς εἰ διημαρ» τημένως φέρεται, καὶ παριδών τι κατὰ τὸν λόγον, ταῦτ' ἐπισημαινόμεθα, » ἀλλὰ μάλιστα καθ' ἣν ὑπογράφει φορὰν οὐ πεφυκότος τοῦ λογικοῦ ζώου » κινεῖσθαι οὕτως κατὰ τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ κατὰ τὸν λόγον. » Alterum continuo subsequitur l. l. pag. 276. lin. 24. « Κατὰ τοῦτο δὲ καὶ ὁ πλε» ονασμὸς τῆς ὁρμῆς εἴρηται, διὰ τὸ τὴν καθ' αὑτοὺς καὶ φυσικὴν τῶν ὁρμῶν » συμμετρίαν ὑπερβαίνειν. Γένοιτο δ' ἂν τὸ λεγόμενον διὰ τούτων γνωριμώτε» ρον, οἷον ἐπὶ τοῦ πορεύεσθαι καθ' ὁρμὴν, οὐ πλεονάζει ἡ τῶν σκελῶν κίνησις, » ἀλλὰ συναπαρτίζει τι τῆς ὁρμῆς, ὥστε καὶ στῆναι ὅταν ἐθέλῃ καὶ μεταβάλλειν· » ἐπὶ δὲ τῶν τρεχόντων καθ' ὁρμὴν οὐκέτι τοιοῦτον γίνεται, ἀλλὰ πλεονάζει » παρὰ τὴν ὁρμὴν ἡ τῶν σκελῶν κίνησις, ὥστε ἐκφέρεσθαι καὶ μὴ μεταβάλλειν » εὐπειθῶς οὕτως εὐθὺς ἐναρξαμένων, αἷς οἶμαί τι παραπλήσιον καὶ ἐπὶ τῶν » ὁρμῶν γίνεσθαι διὰ τὸ τὴν κατὰ λόγον ὑπερβαίνειν συμμετρίαν, ὥσθ' ὅταν » ὁρμᾷ μὴ εὐπειθῶς ἔχειν πρὸς αὐτόν· ἐπὶ μὲν τοῦ δρόμου τοῦ πλεονασμοῦ » λεγομένου παρὰ τὴν ὁρμὴν, ἐπὶ δὲ τῆς ὁρμῆς παρὰ τὸν λόγον. Συμμετρία γάρ » ἐστι φυσικῆς ὁρμῆς ἡ κατὰ τὸν λόγον καὶ ἕως τοσούτου καὶ ἕως αὐτὸς ἀξιοῖ. » Διὸ δὴ καὶ τῆς ὑπερβάσεως κατὰ τοῦτο καί οὕτως γινομένης πλεονάζουσά τε » ὁρμὴ λέγεται εἶναι καὶ παρὰ φύσιν, καί ἄλογος κίνησις ψυχῆς. »

Cum autem dubia essent suborta de significatione voci ἄλογος hoc loco tribuendâ, eam in rem copiose disputat Galenus et ad

---

moratus et hic Joannis Stobaei Eclogg. Lib. II. cap. VII. pag. 36. Heeren.: ὡς δ' ὁ Στωϊκὸς ὡρίσατο Ζήνων, πάθος ἐστὶν ὁρμὴ πλεονάζουσα. Stoicos eâ in re secutus est Clemens Alexandrinus Tom. I. pag. 460. 32. Potteri: — πάθος δὲ, πλεονάζουσα ὁρμὴ, ἢ ὑπερτείνουσα τὰ κατὰ τὸν λόγον μέτρα. ἢ ὁρμὴ ἐκφερομένη καὶ ἀπειθὴς λόγῳ. Παρὰ φύσιν οὖν κίνησις ψυχῆς, κατὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀπείθειαν, τὰ πάθη: quem locum adhibuit et illustravit V. Rever. Car. Segaar Adnotatt. ad Clementis librum Quis Dives Salutem Consequi Possit §. 12. pag. 194. Ceterum Cicero Tuscul. Disput. IV. cap. 6. init. τὴν ὁρμὴν πλεανάζουσαν aut τὸν πλεονασμὸν τῆς ὁρμῆς Latine reddit *appetitum vehementiorem.*

confirmandam suam explicationem addit hæc verba Chrysippi, et ipsa e *Primo Libro* Περὶ Παθῶν, ut videtur, desumta: « Διὸ καὶ » οὐκ ἀποτρόπου λέγεται ὑπό τινων τὸ τῆς ψυχῆς πάθος εἶναι κίνησις παρὰ » φύσιν, ὡς ἐπὶ φόβου ἔχει καὶ ἐπιθυμίας καὶ τῶν ὁμοίων. Πᾶσαι γὰρ αἱ τοι- » αὗται κινήσεις τε καὶ καταστάσεις ἀπειθεῖς τε τῷ λόγῳ εἰσὶ καὶ ἀπεστραμμέναι· » καθὸ καὶ ἀλόγως φαμὲν φέρεσθαι τοὺς τοιούτους, οὐχ οἷον κακῶς ἐν τῷ δια- » λογίζεσθαι, ὡς ἄν τις εἴποι κατὰ τὸ ἔχειν ἐναντίως πρὸς τὸ εὐλόγως· ἀλλὰ » κατὰ τὴν τοῦ λόγου ἀποστροφήν. » De Hippocrat. et Platon. Decret. Lib. IV. Tom. I. pag. 278. lin. 47 — 51. Sequitur aliud fragmentum arctius cum præcedenti cohærens, pag. 279. lin. 18. sqq.: « Οἱ δὲ κατὰ λόγον κινούμενοι, ὡς ἂν ἡγεμόνα, καὶ τούτῳ οἰακίζοντες » τὰς κατὰ μέρος δηλονότι κινήσεις τῆς ψυχῆς, κρατοῦσι τῶν κατ' αὐτὰς ὁρ- » μῶν, ἀνάλογον τοῖς περιπατοῦσιν, ἀλλ' οὐχ ὑπ' αὐτῶν ἐκφέρονται βιαίως, » ὥσπερ οἱ κατὰ πρανοῦς θέοντες: et mox: Οἱ δέ γε κατὰ τὸν λόγον κι- » νούμενοι, ὡς ἂν ἡγεμόνα, καὶ τούτῳ οἰακίζοντες καὶ ἐὰν ὁποιοσοῦν ᾖ, κρα- » τοῦσι τῶν κινήσεων καί τῶν κατ' αὐτὰς ὁρμῶν, ὥστε πεισθῆναι ἐάνπερ ἐνδείκ- » νυται αὐτὸς παραπλησίως τοῖς περιπατοῦσιν. — Διὸ καὶ αἱ οὕτως ἄλογοι » κινήσεις πάθη τε λέγονται καὶ παρὰ φύσιν εἶναι, ἅτ' ἐκβαίνουσαι τὴν λογι- » κὴν σύστασιν. »

Ad hæc rite intelligenda faciunt quæ deinceps Chrysippo ejusque sectatoribus a Galeno exprobrantur. Pag. 279. lin. 46. sqq. Ὁ γὰρ ἔλεγχος ἑκατέρων τῶν ἀποκρίσεων (h. e. utrum ab errante ratione dicant proficisci perturbationes an a quibusdam sine caussâ motibus) ἐκ προχείρου παρακείμενος οὐκ ἐᾷ καταμένειν (sc. τοὺς Χρυσιππείους) ἐπ' οὐδετέρας αὐτῶν· ἐν μὲν τῷ τὰς κατὰ τὰ πάθη κινήσεις ὑπὸ τοῦ λόγου γίγνεσθαι φάσκειν, οὐκ ἐχόντων αὐτῶν ἁμάρτημα διακρίναι πάθους· ἐν δὲ τῷ καὶ τοῦτον ἀφελεῖν, εἰς ἀναίτιόν τινα κίνησιν ἐμπιπτόντων· ἐνὸν αὐτοῖς ἐξ ἑτοίμου φυγεῖν ἀμφοτέρας τὰς ἀτοπίας· τὴν μὲν τοῦ μὴ δύνασθαι διορίσαι πάθους ἁμάρτημα, χωρίζοντας τοῦ λόγου τὰ πάθη· τὴν δὲ τοῦ γίνεσθαί τι χωρὶς αἰτίας, ὁμολογήσαντας ἀλόγους τινὰς εἶναι δυνάμεις ἐν τῇ ψυχῇ τῶν κατ' αὐτὴν παθῶν αἰτίας. Οὐ μόνον τοίνυν οἱ ἄλλοι, ἀλλὰ καὶ ὁ Χρύσιππος αὐτὸς ἐν

τοῖς Περὶ Παθῶν συγγράμμασιν ἐπ' οὐδεμιᾶς ὁρίζει βεβαίως δόξης, ἀλλ' ἀεὶ σαλεύει καθάπερ ἐν κλύδωνι. Καὶ γὰρ καὶ χωρὶς λόγου παντὸς γίγνεσθαί φησι τὰ πάθη, καὶ αὖθις, τῆς λογικῆς εἶναι δυνάμεως μόνης, ὥςε διὰ τοῦτο μηδὲ ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις συνίςασθαι καὶ χωρὶς κρίσεως γίνεσθαι τὰς κατὰ τὰ πάθη κινήσεις, ὅπερ οὐδὲν ἄλλο ἐςὶν ἢ ἀναιτίως, εἴτις ἀκριβῶς ἐξετάζοι τὸ ῥῆμα. Αἷς γοῦν ὀλίγου ἔμπροσθεν γέγραφε ῥήσεσιν ἐφεξῆς φησιν· « Εἰκείως (leg. οἰκείως) » δὲ τῷ τῶν παθῶν γένει ἀποδίδοται καὶ ἡ πτοία (153), κατὰ τὸ ἐνσεσοβη- » μένον τοῦτο καὶ φερόμενον εἰκῇ. »

Non prætereundus hîc est alius Galeni locus, quo Animi Perturbationum cum Corporis Ægrotationibus a Chrysippo instituta comparatio exponitur et Posidonii rationibus refutatur. Lib. V. pag. 285. lin. 45. sqq. Bas. Et argumentum hujus disputationis e Chrysippi *Libro Primo* Περὶ Παθῶν a Galeno esse desumtum, manifestum est ex iis quæ inferius ab eodem obiter hac de re memorantur, Pag. 287. lin 26. Διαφέρεται ὁ Χρύσιππος πρὸς αὐτὸν, ἐν μὲν τῷ περὶ παθῶν ἠθικῷ συνωνύμως ὠνομάσθαι λέγων τὴν ἐν τῇ ψυχῇ νόσον τῇ κατὰ τὸ σῶμα· διὰ δὲ τοῦ πρώτου τῶν Λογικῶν εἰκάζων αὐτὴν εὐλύτῳ καὶ εὐδιαφθάρτῳ ὑγιείᾳ. Nunc verba ipsa illius disputationis, licet paullo longioris, huc transcribamus: « Περὶ δὲ τῶν » τῆς ψυχῆς παθῶν, ὡς οὐκ ἔςι τῆς λογικῆς δυνάμεως, ἤδη μέν μοι καὶ τὸ πρὸ » τούτου πεπλήρωται βιβλίον, ὧν αὐτὸς ἀκούων (sc. ὁ Χρύσιππος) ὁμολογεῖ· » πληρωθήσεται δ' οὐδὲν ἧττον καὶ τοῦτο, τὴν ἀρχὴν ἐνθένδε ποιησαμένῳ, τὸ » πάθος τῆς ψυχῆς κίνησίν τινα παρὰ φύσιν ἄλογον ὑπάρχειν, οὐχ οἱ παλαιοὶ » μόνον ἀλλὰ καὶ Χρύσιππος ὁμολογεῖ· καὶ μὲν δὴ ὡς ἡ κίνησις αὕτη ταῖς

(153) Scr. *πτοιά* vel saltem *πτόα*. Vid. quos laudavit nuper Frid. Creuzerus V. C. ad Procli Commentar. in Platon Alcib. Prior. pag. 42. Ceterum conf. de vocibus *πτοία* et *πτοιεῖν* hoc sensu usurpatis Jac. Merrickius ad Tryphiodor. s. v. 360. pag. 320. Wernick. et D. Wyttenbachius ad Plutarch. De Sent. Prof. in Virt. pag. 83. D. Tom. II. p. 596. sq. Quibus add. quæ dabimus infra not. 158.

τῶν ἀςείων οὐκ ἐγγίνεται ψυχαῖς, ὡμολόγηται παρ' ἀμφοῖν· ὁποῖα δέ τις ἐςὶν ἡ τῶν φαύλων ψυχὴ κατά τε τὰ πάθη, καὶ πρὸ τῶν παθῶν, οὐκεθ' ὁμοίως ἐξηγοῦνται. Χρύσιππος μὲν γὰρ « ἀνάλογον ἔχειν αὐτήν φησι τοῖς ἐπιτηδείοις » σώμασιν εἰς πυρετοὺς ἐμπίπτειν, ἢ διαῤῥοίας, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον ἐπὶ μικρᾷ » καὶ τυχούσῃ προφάσει. » Καὶ μέμφεταί γε ὁ Ποσειδώνιος αὐτοῦ τὴν εἰκόνα· χρῆναι γάρ φησιν οὐ τούτοις, ἀλλὰ τοῖς ἁπλῶς ὑγιείνουσι σώμασιν εἰκάσαι τὴν τῶν φαύλων ψυχήν· εἴτε γὰρ ἐπὶ μεγάλοις αἰτίοις, εἴτ' ἐπὶ μικροῖς πυρέττοιεν, οὐδὲν διαφέρειν ὡς πρὸς τὸ πάσχειν τε αὐτὰ καί εἰς πάθος ἄγεσθαι καθ' ὁτιοῦν· ἀλλὰ τῷ τὰ μὲν εὐέμπτωτα εἶναι, τὰ δὲ δύσπτωτα, διαφέρειν ἀλλήλων. Οὔκουν ὀρθῶς εἰκάζεσθαι φησὶν ὑπὸ τοῦ Χρυσίππου τὴν μὲν ὑγείαν τῆς ψυχῆς τῇ τοῦ σώματος ὑγείᾳ, τὴν δὲ νόσον τῇ ῥᾳδίως εἰς νόσημα ἐμπιπτούσῃ καταςάσει τοῦ σώματος· ἀπαθῆ μὲν γὰρ γίγνεσθαι ψυχὴν τὴν τοῦ σοφοῦ δηλονότι, σῶμα δ' οὐδὲν ὑπάρχειν ἀπαθές· ἀλλὰ δικαιότερον εἶναι προσεικάζειν τὰς τῶν φαύλων ψυχὰς, ἤτοι τῇ σωματικῇ ὑγείᾳ ἐχούσῃ τὸ εὐέμπτωτον εἰς νόσον (οὕτω γὰρ ὠνόμασεν ὁ Ποσειδώνιος), ἢ αὐτῇ τῇ νόσῳ· εἶναι γὰρ ἤτοι νοσώδη τινὰ ἕξιν, ἢ ἤδη νοσοῦσαν. Συμφέρεται μέντοι τῷ Χρυσίππῳ, καὶ αὐτὸς ὡς νοσεῖν τε καὶ λέγειν τὴν ψυχὴς ἅπαντας τοὺς φαύλους, ἐοικέναι τε τὴν νόσον αὐτῶν ταῖς εἰρημέναις τοῦ σώματος καταςάσεσι. Reprehensâ autem Posidonii quoque ratione, haud ita multis interjectis, ita pergit Galenus, Pag. 286. lin. 18. sqq. : Χρύσιππος δ' ἀτοπώτερον ἔτι, μηδ' ἐν ταῖς περιοδικαῖς τισι νόσοις καθεςῶσιν οἱονεὶ τριταίων ἢ τεταρταίων πυρετῶν ὡμοιῶσθαι συγχωρῶν τὴν νόσον τῆς ψυχῆς· γράφει γοῦν ὧδε· « Ὑπονοητέον » τοίνυν τὴν μὲν τῆς ψυχῆς νόσον ὁμοιοτάτην εἶναι τῇ τοῦ σώματος πυρετώ» δει καταςάσει, καθ' ἣν οὐ περιοδικῶς ἀλλ' ἀτάκτως πυρετοὶ καὶ φρίκαι γί» νονται, καὶ ἄλλως ἀπὸ τῆς διαθέσεως καὶ μικρῶν ἐπιγινομένων αἰτίων. » Neque injuriâ deinceps Galenus hanc sententiam, ut sibi ipsi repugnantem, vituperat et ipsis Chrysippi verbis e Quarto libro, sive Curatorio, petitis refellere conatur. Chrysippea nos infra dabimus in Fragmentis ad hunc librum; Galenus autem proxime sic loquitur, Pag. 286. lin. 22. sqq.: Οὐκ οἶδα τί ποτε δόξαν αὐτῷ, τοὺς μὲν ἑτοίμως ἔχοντας πρὸς τὸ νοσῆσαι, νοσεῖν ἤδη φησὶ, τοὺς

37.

δ' ἤδη νοσοῦντας, οὐδ' ὅλως νοσεῖν. Οἱ γὰρ ἐν τεταρταίαις καὶ τριταίαις περιόδοις ὄντες, ἐπειδὰν μὲν ῥιγῶσί τε καί πυρέττωσιν, ἐν πάθει καθεστήκασι. κινουμένης δ' αὐτῶν τῆς νοσώδους κατασκευῆς, ἐπειδὰν μηδὲν τούτων πάσχωσιν ἀλλ' ἐν τοῖς καλουμένοις διαλείμμασιν ὦσιν, ἔξω τῶν παθῶν εἰσί. Τὴν μέντοι νοσώδη κατάςασιν εἰκάζοιτό τις ἄν, οἶμαι, τοῖς ἤτοι πενθοῦσιν, ἢ ἐρῶσιν, ἢ φθονοῦσιν, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον πάσχουσιν. Καὶ γὰρ οὗτοι καθ' ὃν μὲν ἂν χρόνον, ἢ ὑπνώττωσιν, ἢ πρὸς ἄλλῳ τινὶ τὴν διάνοιαν ἔχωσιν, ἔξω τῶν παθῶν γίνονται· μετ' ὀλίγον δὲ ἀναμνησθέντες αὐτῶν, εἰς παραπλησίαν τινα κατάςασιν ἀφικνοῦνται ταῖς καταβολαῖς τῶν πυρετῶν. Ὅσοις μέντοι μήτε πένθος ἐνέςηκε μήτ' ἐπιθυμία τις ὑπόγυιος, ἢ θυμὸς, οὗτοι τοῖς ὑγιαίνουσι τὰ σώματα παραπλησίως ἔχουσιν. Ἐπεὶ δὲ καί τούτων αὐτῶν ἔνιοι μὲν εἰσὶν εὐάλωτοι νόσοις, ἔνιοι δ' οὐ, καὶ τῶν τὰς ψυχὰς ὑγιαινόντων οἱ μὲν τούτοις, οἱ δ' ἐκείνοις ὁμοίως ἕξουσιν, οὐ μὴν λεχθήσονταί γε νοσεῖν τὰς ψυχὰς, εἴπερ μηδὲ ἐκεῖνοι τὰ σώματα. Ἀλλὰ νὴ Δία, φήσει τις ἴσως τῶν Στωϊκῶν, ὥσπερ οὖν καὶ λέγουσιν, οὐ τὴν αὐτὴν ἀναλογίαν εἶναι τῇ ψυχῇ πρὸς τὸ σῶμα, κατά τε τὰ πάθη καὶ τὰ νοσήματα καὶ τὴν ὑγίειαν. Τί ποτ' οὖν, ὦ βέλτιςοι, φαίημεν ἂν ἡμεῖς πρὸς αὐτοὺς, εἰκάζετε τοῖς κατὰ τὸ σῶμα πάθεσί τε καὶ νοσήμασι τὰ τῆς ψυχῆς πάθη; Sequuntur nunc ipsa Chrysippi verba, quæ §. sequenti apponemus.

Et hæc fere ad Primum De Perturbationibus librum sunt referenda. E *Secundo Libro* pauca tantum fragmenta nobis a Galeno sunt servata: quæ priusquam transcribamus, apponenda quædam sunt his præcedentia, quibus Chrysippea Ægritudinis definitio, a Posidonio reprobata, dijudicatur. Galeni igitur verba, De Hippocr. et Plat. Decret. Lib. V. pag. 283. lin. 32. ed. Bas. hæc sunt: Ὁ γοῦν ὅρος οὗτος, φησὶν (sc. Posidonius), ὁ τῆς ἄτης (154), ὥσ-

(154) Legendum est λύπης, monente Bakio V. Cl. in libro De Posidonio pag. 202. not. 52. Quam facile ob similitudinem literarum Λ et Α in textum irrepere vitiosum illud vocabulum potuerit, nemo non videt. Cf. Koenius et Schæferus ad Grammaticum Meermannianum, post Gregor. Corinth. pag. 663. et Bastii Epistola Palæograph., ejusdem Gregorii editioni Schæferianæ adjecta, p. 704. 829. alias.

περ οὖν καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν παθῶν ὑπό τε Ζήνωνος εἰρημένοι, καὶ πρὸς τοῦ Χρυσίππου γεγραμμένοι, σαφῶς ἐξελέγχουσι τὴν γνώμην αὐτοῦ· δόξαν γὰρ εἶναι πρόσφατον τὸ κακὸν αὐτῷ παρεῖναί φησι τὴν λύπην· ἐν ᾧ καὶ συντομώτερον ἐνίοτε λέγοντες ὡδέπως προφέρονται· λύπη ἐςὶ δόξα πρόσφατος κακοῦ παρουσίας· εἶναι μὲν δὴ τὸ πρόσφατόν φησι τὸ ὑπόγυον κατὰ τὸν χρόνον (155). Ἀξιοῖ δὲ τὴν αἰτίαν αὐτῶν ῥηθῆναι, δι' ἣν ἡ τοῦ κακοῦ δόξα πρόσφατος μὲν οὖσα, συςέλλει τε τὴν ψυχὴν καὶ λύπην ἐργάζεται· χρονισθεῖσα δ' ἢ οὐδ' ὅλως, ἢ οὐκέθ' ὁμοίως συςέλλει. Καίτοι οὐδὲ τὸ πρόσφατον ἐχρῆν ἐγκεῖσθαι κατὰ τὸν ὅρον, εἴπερ ἀληθῆ τὰ Χρυσίππου· κατὰ γὰρ τὴν γνώμην αὐτοῦ μᾶλλον τοῦ μεγάλου κακοῦ, ἢ ἀνυπομονήτου, ἢ ἀκαρτερήτου (156), καθάπερ αὐτὸς εἴωθεν ὀνομάζειν, τὴν λύπην εἰρῆσθαι δόξαν, οὐ προσφάτου. Monet deinceps Galenus duabus ex caussis illam ægritudinis definitionem a Posidonio esse repudiatam, primum quod cum sapientes in magnis bonis, peccantes in magnis malis se esse opinentur, neutri tamen in perturbationes incidant, deinde quod repugnare videretur, recentem solummodo, nec quamlibet præsentis mali opinionem ægritudinem afferre: et rationem addit qua suam sententiam defenderit Chrysippus (157), Pag. 283. lin. 43. Καί φησι (sc. ὁ Χρύσιππος), διότι πᾶν το ἀμέτρητον, καὶ ξένον, ἀθρόως προςπίπτον ἐκπίπτει τε (158) καὶ τῶν παλαιῶν ἐξίςησι κρίσεων· ἀσκηθὲν δὲ καὶ

---

(155) Aliter τὸ πρόσφατον (recens) acceperat Zeno. CICERO Tuscull. Disputt. Lib. III. c. 31. init. a BAKIO l. mem. not. 53. laud.

(156) h. e. *urgentis mali*. CICERO Tusc. Disput. III. c. 25. monente BAKIO l. l.

(157) Sunt enim ad Chrysippum, non ad Posidonium referenda quæ subsequuntur, ut acute vidit BAKIUS V. Cl. l. l. pag. 204.

(158) BAKIUS lib. mem. p. 203. not. 56. ingeniose corrigit ἐκπτοεῖ τε. Usum vero hujus verbi, ad animi perturbationes tralati, ex Athenæo, Basilio M., Jo. Chrysostomo aliisque illustravit Reverend. CAR. SEGAAR Adnotatt. in Cle-

συνεθισθὲν, καὶ χρονίσαν, ἢ οὐδ' ὅλως ἐξίστησιν ὡς κατὰ πάθος κινεῖν, ἢ ἐπὶ μικρὸν κομιδῇ. Διὸ καὶ προενδημεῖν φησὶ τοῖς πράγμασι μήποτε παροῦσι, οἷον παροῦσι χρῆσθαι. Βούλεται δὲ τὸ προενδημεῖν ῥῆμα τῷ Χρυσίππῳ (159), τὸ οἷον προαναπλάττειν (Ita Bakius pro vulg. προσαναπλ.) τε καὶ προτυποῦν τὸ πρᾶγμα παρ' ἑαυτῷ τὸ μέλλον γενήσεσθαι, καὶ, ὡς πρὸς ἤδη γενόμενον, ἐθισμόν τινα ποιεῖσθαι κατὰ βραχύ. Διὸ καὶ τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου παρείληφεν ἐνταῦθα, ὡς ἄρα τινος ἀναγγείλαντος αὐτῷ τεθνάναι τὸν υἱὸν, εὖ μάλα καθεστηκότως εἶπεν· « Ἤιδην (160) θνητὸν γεννήσας. » καὶ ὡς τοῦτο λαβὼν Εὐριπίδης τὸ νόημα (161) τὸν Θησέα πεποίηκε λέγοντα·

Ἐγὼ δὲ παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν

---

mentis Alexandrini librum Qui Dives Salut. Consequi Possit §. 11. pag. 184 et §. 38. pag. 336. Conf. præterea ISAAC. CASAUBONUS ad Persii Satir. I. v. 20. pag. 66. sq. ed. Paris. Cel. CREUZERUS ad Plotini Libr. De Pulchritudine pag. 205. 211. sq. et rursus ad Procli Comment. in Platon. Alcib. Prior. pag. 42. Ceterum conf. Supra not. 153.

(159) Ita pro τῷ Ποσειδωνίῳ, quod habet editio, rescribendum esse optime monuit BAKIUS l. l. p. 204. Qua emendatione SCHNEIDERUS Lexicographus uti debebat ne, ut reapse fecit, locutionem προενδημεῖν τοῖς πράγμασι Posidonio tribueret.

(160) Forma proba, licet insolens. Vid. PHAVORINI Lex. col. 839. lin. 57: Πολλοὶ δέ φησι (sc. Panætius) καὶ σὺν τῷ ν προφέρουσι τὴν εἰρημένην διὰ τοῦ η ἰωνικὴν γραφὴν, τῶν ὑπερσυντελικῶν, ἤδην λέγοντες, καὶ ἐνενοήκην, καὶ ἐπεποιήκην. Cf. FRID. GUIL. STURZIUS ad M. MAITTAIRII Dialectos Linguæ Græcæ, pag. 67. C. pag. 82. edit. recent.

(161) Euripidis enim summum fuisse Anaxagoræ præceptoris imitandi studium idque plurimis in locis ipsum aperte significasse, non est quod operose demonstremus post ea quæ docte ac diligenter hanc in rem disputavit LUD. CASP. VALCKENARIUS Diatrib. in Euripidis Perditor. Dramat. Reliquias pag. 25. sqq.

Εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην (162)·
Φυγάδ' ἐμαυτὸν προτιθεὶς πάτρης ἐμῆς (163)
Θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακὰς ἄλλας ὁδούς·
Ὡς' εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζόν ποτε,
Μή μοι νεοραῖς (164) προσπεσὸν ψυχὴν δάκοι.

Οὕτω δὲ εἰρῆσθαί φησι καὶ τὰ τοιαῦτα·

Εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ,
Καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυςόλουν,
Εἰκὸς σφαδάζειν ἦν ἂν ὡς νεόζυγα
Πῶλον, χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον·
Νῦν δ' ἀμβλύς εἰμι καὶ κατηρτυκὼς κακῶν·

ἔσθ' ὅτε τὰ τοιαῦτα·

Μακρὸς χρόνος μαλάξει· νῦν δέ θ' ἡβάσκει κακόν.

---

(162) E variis Codicum Mss. indiciis ita hunc versum legit DAN. WYTTENBACHIUS Animadverss. ad Plutarchi Moral. pag. 745. sq.

Εἰς φροντίδ' ἀεὶ συμφορὰς ἐβαλλόμην.

Quamquam vulgarem Galeni lectionem sic accipi posse fatetur, ut *φροντίδας συμφοράς τε* per *ἓν διὰ δυοῖν* sit dictum pro *εἰς φροντίδας συμφορῶν*, *in cogitationem malorum*.

(163) Scribendum *πάτρας ἐμῆς* cum L. C. VALCKENARIO ad Euripidis Hippolytum vs. 1043.

(164) Sic, nullo sensu. Conjeceram ad sonum et ad literarum ductum *νεωρὲς*: sed Plutarchi editiones loco mox memorando habent *νεαρόν*: quamquam plures codices exhibent *νεαρές*, quod proxime accedit ad nostram conjecturam.

Memoratum a Galeno Anaxagoræ dictum, ut Euripidis præceptoris, eâdem in re adhibuit etiam CICERO Tuscull. Disputt. Lib. III. cap. 14. item PLUTARCHUS Consolat. ad Apollonium pag. 118. D. aliique complures, quos ad illum laudavit Jo. DAVISIUS pag. 214. ad hunc DAN. WYTTENBACHIUS Animadverss. Tom. II. pag. 783. sq. qui plura quoque monet de discrepantiâ, qua a Veteribus hæc res perhibetur. Ad Euripideos versus quod attinet, sunt illi e Theseo fabulâ deperditâ sumti, et exiguâ lectionis diversitate sex priores leguntur etiam apud PLUTARCHUM Consolat. ad Apollon. pag. 112. D. et Latine redditi sunt a CICERONE Tuscull.Disputatt. Lib. III. c. 14. Cf. de illis ac de ipsâ sententiâ WYTTENBACHIUS ad Plutarchi l. l. Tom. II. pag. 745. sq. Etiam Quinque sequentes ut Euripideos eleganter interpretatus est CICERO Tuscull. l. l. cap. 28. ubi DAVISIUS p. 246. Græcos a Galeno servatos versus apposuit. Ultimus denique est ex Euripidis Alcestâ, vs. 1095. ed. Matthiæ (sive 1085 s. 1105. all. editt.): ubi melius nunc ita legitur:

Χρόνος μαλάξει, νῦν δ᾽ ἔθ᾽ ἡβάσκει, κακόν.

Cum autem de molliendis ac tempore mitigandis perturbationibus quæstio esset suborta, Galenus Chrysippi de hac re sententiam dijudicat, transcriptis aliquot locis e *Secundo* illius *Libro* decerptis. Ita enim pergit oratio, Lib. IV. pag. 283. lin. 55. Basil. Ὅτι δ᾽ ἐν τῷ χρόνῳ μαλάττεται τὰ πάθη, κἂν αἱ δόξαι μένωσι τοῦ κακόν τι αὐτοῖς γεγονέναι, καὶ ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ Παθῶν μαρτυρεῖ γράφων ὧδε· « Ζητήσαι δ᾽ ἂν τις καὶ περὶ τῆς ἀνέσεως τῆς λύπης » πῶς γίνεται, πότερον δόξης τινὸς μετακινουμένης, ἢ πασῶν διαμενουσῶν, » καὶ διὰ τί τοῦτ᾽ ἔςαι. » Ad quæ his eum verbis respondisse ait Galenus: « Δοκεῖ δέ μοι ἡ μὲν τοιαύτη δόξα διαμένειν ὅτι κακὸν αὐτὸ, ὃ δὴ » πάρεςιν· ἐγχρονιζομένης δ᾽ ἀνίεσθαι ἡ συςολὴ, καὶ, ὡς οἶμαι, ἡ ἐπὶ τὴν συ-

» στολὴν ὁρμή. Τυχὸν δὲ καὶ ταύτης διαμενούσης, οὐχ ὑπακούσεται τὰ ἑξῆς διὰ » ποιὰν ἄλλην ἐπιγινομένην διάθεσιν, δυσλόγιςον τούτων γινομένων. Οὕτω γὰρ » καὶ κλαίοντες, καὶ μὴ βουλόμενοι κλαίειν, κλαίουσιν, ὅταν μὴ ὁμοίας τὰς » φαντασίας τὰ ὑποκείμενα ποιῇ καὶ ἐνίςηταί τε ἢ μηδέν. Ὃν τρόπον γὰρ ἡ » θρήνων παῦσις γίνεται καὶ κλαυθμοὶ, τοιαῦτα εὔλογον καὶ ἐπ' ἐκείνων συντυγ» χάνειν, ἐν ταῖς ἀρχαῖς μᾶλλον τῶν πραγμάτων κινούντων, καθάπερ ἐπὶ τῶν » τὸν γέλωτα κινούντων γίγνεσθαι ἔφην, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. » Acerbe hic in Chrysippum invehitur Galenus quod, cum solâ temporis diuturnitate sedari perturbationes statuisset, caussas cur id fiat se ignorare professus sit: neque enim abstrusam esse hanc quæstionem neque a Platone prætermissam, qui inspiciendus ei potius fuisset quam ignorantia fatenda: melius hac in re versatum esse Posidonium, qui in caussis perturbationum explicandis vel ipsius Chrysippi testimonio sit usus, cum sic ille scripsisset in *Secundo* De Perturbationibus *Libro*: « Περὶ δὲ τῆς » λύπης, καὶ ὡς ἂν ἐμπλησθέντες τινὲς, ὁμοίως φαίνονται ἀφίςασθαι καθάπερ » καὶ ἐπὶ Ἀχιλλέως ταῦτα λέγει ὁ ποιητὴς πενθοῦντος τὸν Πάτροκλον·

Ἀλλ' ὅτε δὴ κλαίων τε κυλινδόμενός τ' ἐκορέσθη,
Καί οἱ ἀπὸ πραπίδων ἦλθ' ἵμερος ἠδ' ἀπὸ γυίων (165),

» ἐπὶ τὸ παρακαλεῖν ὥρμησε τὸν Πρίαμον τὴν τῆς λύπης ἀλογίαν αὐτῷ παρα» στάς (166), » et mox: « Καθ' ὃν λόγον οὐκ ἂν ἀπελπίσαι τις, οὕτως

---

(165) Posterior hic versus exstat Iliad. XXIV. 514. ubi Wolfius uncinis eum inclusit: prior in Homericis Carminibus non legitur, sed illius locum nunc tenet versus consimilis,

Αὐτὰρ ἐπεί ῥα γόοιο τετάρπετο δῖος Ἀχιλλεύς.

(166) Iliad. XXIV. v. 518—551.

» τῶν πραγμάτων ἐγχρονιζομένων, καὶ τῆς παθητικῆς φλεγμονῆς ἀνιεμένης, » τὸν λόγον παρεισδυόμενον, καὶ οἱονεὶ χωρὰν λαμβάνοντα παριςάναι τὴν τοῦ » πάθους ἀλογίαν (167). » Lib. IV. pag. 284. lin. 23.—28. Deinde sic pergit Galenus: Ἐναργῶς γὰρ ἐν τούτοις ὁ Χρύσιππος ὁμολογεῖ, τήν τε παθητικὴν φλεγμονὴν ἀνίεσθαι κατὰ τὸν χρόνον ἔτι τῆς ὑπολήψεώς τε καὶ δόξης μενούσης, ἐμπίπλασθαί τε τῶν παθητικῶν κινήσεων τοὺς ἀνθρώπους· καὶ διὰ τοῦτο, παῦλάν τινα λαμβάνοντος τοῦ πάθους καὶ ἡσυχήσαντος, τὸν λόγον ἐπικρατέςερον γίνεσθαι. Ταῦτα γὰρ ἀληθῆ μέν ἐςιν, εἴπερ τινὰ καὶ ἄλλα· μάχεται δὲ ταῖς ὑποθέσεσιν αὐτοῦ, καθάπερ καὶ τὰ ἐπιφερόμενα τόνδε τὸν τρόπον ἔχοντα· « Λέγεται δὲ καὶ τοιαῦτα εἰς τὴν μεταβολὴν τῶν παθῶν·

Λαιψηρὸς δὲ κόρος ςυγεροῖο γόοιο (168)·

» καὶ ἔτι τὰ τοιαῦτα εἰς τὸ κατὰ τὴν λύπην ἀγωγόν· τοῖς δὲ δυστυχοῦσι πῶς » τερπνὸν τὸ κλαῦσαι καὶ ἀποδύρασθαι τύχας· καὶ ἔτι ἐφεξῆς·

Ὣς φάτο· τοῖσι δὲ πᾶσιν ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο (169)

» καὶ

Τὸν αὐτὸν ἀνέγειρε γόον, ἀνάγε πολύδακρυν ἀηδόνα (sic.). »

ἔτι δὲ ἀμέλει πάμπολλα καὶ ἄλλα τοιαῦτα παρὰ τῶν ποιητῶν ἀθροῖσαι μαρτύρια τοῦ καὶ λύπης, καὶ δακρύων, καὶ κλαυθμῶν, καὶ θρήνου, καὶ νίκης, καὶ

---

(167) BAKIUS V. Cl. eadem laudans suspicatur τῆς τοῦ πάθους ἀλογίας, De Posidonio pag. 214. Nos in vulgari lectione malumus adquiescere.

(168) Hæc ita nusquam leguntur apud Homerum. Sed Odyss. IV. v. 103. est,

Αἰψηρὸς δὲ κόρος κρυεροῖο γόοιο.

(169) Apud Homerum Od. IV. 113. hic sequitur versus:

Ὣς φάτο· τῷ δ' ἄρα πατρὸς ὑφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο.

τιμῆς, καὶ πάντων τε τῶν τοιούτων ἐμπίπλασθαι τοὺς ἀνθρώπους, ἐφ' οἷς οὐδὲν χαλεπόν ἐστι συλλογίζεσθαι τὴν αἰτίαν, δι' ἣν ἐν τῷ χρόνῳ παύεται μὲν τὰ πάθη, κρατεῖ δὲ τῶν ὁρμῶν ὁ λόγος. Ὡς γὰρ ἐφίεται τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς οἰκείων τινῶν ὀρεκτικῶν, οὕτως καὶ τυγχανόντων αὐτῶν ἐμπίπλαται, κἀν τούτῳ τὴν ἑαυτῶν κίνησιν καθίστησιν, ἥτις ἐκράτει τῆς ὁρμῆς τοῦ ζώου, καὶ καθ' ἑαυτὴν ἦγεν ἐφ' ὅτι παρήγετο. Οὔκουν ἀσυλλόγιστοι τῆς παύλας τῶν παθῶν εἰσὶν αἱ αἰτίαι, καθάπερ ὁ Χρύσιππος ἔλεγεν, ἀλλὰ καὶ πάνυ σαφεῖς τῷ γε μὴ βουλομένῳ φιλονεικεῖν τοῖς παλαιοῖς. Οὐδὲν γὰρ οὕτως ἐναργές ἐστιν, ὡς τὸ δυνάμεις τινὰς ἐν ταῖς ἡμετέραις εἶναι ψυχαῖς ἐφιεμένας φύσει, τὴν μὲν ἡδονῆς, τὴν δὲ κράτους καὶ νίκης, ἃς ἐναργῶς ὁρᾶσθαί φησι κἀν τοῖς ἄλλοις ζώοις ὁ Ποσειδώνιος κ. τ. λ. Ac tota reliqua pars hujus libri a pag. 284. lin. 43. ad pag. 285. lin. 10. versatur in reprehensione Chrysippi, qui cum Antiquiores Philosophi, nec Plato solum et Aristoteles, sed Pythagoras etiam, de perturbationum caussis exposuissent, illis omnino neglectis quæstionis difficultatem prætexere satis habuerit.

Ejusdem negligentiæ arguens Chrysippum infra rursus memorat GALENUS illius *Librum Secundum* Περὶ Παθῶν, Lib. V. pag. 292. lin. 24. Basil.

Cum BAKIUS V. Cl. (170) recte nobis suspicatus esse videatur, Ciceronem in diligentissimâ illâ quam Tusculanarum libro tertio et quarto e Stoicorum sententiâ exhibuit de Animi Perturbationibus expositione, Chrysippum maxime esse secutum, propositum nobis erat, ea quæ a Chrysippo desumta esse aliunde probari possint, colligere, disponere et Galeni aliorumque

(170) In Posidonii Rhodii Reliquiis Doctrinæ pag. 196. Conf. Tuscul. IV. cap. 5. init: « Quia *Chrysippus et Stoici* cum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt etc. »

mentionibus illustrare. Quum vero hoc ob temporis brevitatem fieri nunc a nobis nequeat, eos certe locos ubi Chrysippus a Cicerone diserte memoratur, deinceps hic apponemus. Semel autem initio monuisse sufficiat, in locis his exscribendis Wolfianam editionem nos esse secutos.

Tuscul. III. cap. 22. init. « Cyrenaicorum restat sententia : qui tum ægritudinem censent existere, si nec inopinato quid evenerit. Est id quidem magnum, ut supra dixi; etiam Chrysippo ita videri scio, quod provisum ante non sit, id ferire vehementius. » Quo loco videndus est Jo. Davisius. — III. cap. 25. « Ita dicuntur nonnulli in mœrore, cum de hac communi hominum conditione audivissent, eâ lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, gravius etiam tulisse. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat, laudantem Euripideum carmen illud,

Mortalis nemo est, qnem non attingit dolor,
Morbusque. Multis (171) sunt humandi liberi,
Rursum creandi; morsque est finita omnibus,
Quæ generi humano angorem nequidquam afferunt.
Reddenda terræ est terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges. Sic jubet Necessitas. »

Tralata autem sunt hi versus ex Euripidis Hypsipyla, ubi Amphiaraus alloquitur Eurydicem mortui Archemori matrem ;

---

(171) Editiones habent *Multi:* sed *Multis* bene correxit Wolfius, monente etiam Wyttenbachio, ad Plutarchi Moral. Tom. II. p. 737.

eosque præter alios laudavit etiam PLUTARCHUS Consolat. ad Apollonium pag. 110. F. ubi sic habent:

Ἔφυ μὲν οὐδεὶς, ὅστις οὐ πονεῖ βροτῶν,
Θάπτει τε τέκνα χ' ἄτερ' αὖ κτᾶται νέα,
Αὐτός τε θνήσκει, καὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ
Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν.

Ad illustrandum hunc locum nihil melius fieri a nobis potest quam ut ex Summi WYTTENBACHII Animadversione (172) quæ huc pertineant, transcribamus: « In Græcis est quædam varietas apud Stobæum CVII. pag. 568. [lin 10. Tigurin.] et Clementem Alexandr. Strom. IV. pag. 495. C. de qua monuerunt Gatakerus Advers. pag. 515. et ad M. Antonin. VII. 40. [Opp. Critt. pag. 221.]; Davisius ad Ciceronis Tusc. III. 25: Valckenarius Diatrib. in Fragm. Eurip. pag. 213: Musgravius T. III. pag. 567. Ex illâ Chrysippi disputatione fluxerunt monita, quæ sub ejus nomine, de necessitate moriundi ac τοῦ θερισθῆναι tamquam στάχυν, refert Epictetus Dissert. II. 6. pag. 195. et sq. [Schweighæus.], ubi Uptonus opportune hoc Euripideum carmen apposuit. Ultimum versum repetit Plutarchus mox pag. 117. D: Οὐθὲν γὰρ δεινὸν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς: et est sane instar proverbii sententia. Ad eamque revocandus est locus Dionis Chrysostomi Or. XXX. pag. 300. B. Ad idem argumentum pertinet Or. XVI. pag. 246. B. »

Paucis interjectis Cicero ita continuat eodem cap.: « Omni-

(172) Ad Plut. Mor. loco notâ præced. laud.

bus modis fulciendi sunt, qui ruunt nec cohærere possunt propter magnitudinem ægritudinis. Ex quo ipsam ægritudinem λύπην Chrysippus, quasi λύσιν, id est solutionem totius hominis, appellatam putat. Quæ tota poterit evelli, explicatâ, ut principio dixi, caussâ ægritudinis. Est enim nulla alia, nisi opinio et judicium magni præsentis atque urgentis mali. » Ad Chrysippeam hanc explicationem vocis λύπη conf. Platonicus locus e Cratylo a Davisio laudatus. Utriusque, et Platonis et Chrysippi, etymologiam in suam rem adhibuit *Ev. Scheidius in* Jo. Dan. Lennepii Etymologico Linguæ Græcæ pag. 386. sq. edit. Nagel.

Lib. III. cap. 31. extr. « Chrysippus caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet justo atque debito. » Et cap. 33. init. de hac Chrysippi sententiâ loquens : « Chrysippi (consolatio) ad veritatem firmissima est; ad tempus ægritudinis, difficilis. Magnum opus est, probare mœrenti, illum suo judicio et quod se ita putet oportere facere, mœrere. » Item Lib. IV. c. 29. extr. refert Chrysippum « vetare, ad recentis quasi tumoris animi remedium adhibere. »

Lib. IV. c. 4. in disputando, an omni animi perturbatione possit sapiens vacare, interrogarat Cicero auditorem, quem secum inducit disputantem, utrum statim vela facere mallet, an quasi e portu egrediens paululum remigare : quod cum non intellexisset auditor; hæc subjecit Cicero, cap. 5 : « Quia Chrysippus et Stoici, quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in iis partiendis et definiendis occupati sunt; illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis nec eos turbulentos esse patiantur. » De illo Stoicorum Paradoxo conferri potest Cicero Academ. Lib. I. cap. 11. extr. Tusc. IV. c.

16. 17. et ad posterius hoc caput Jo. DAVISIUS pag. 298. sq. A. GELLIUS Noct. Att. Lib. XIX. cap. 2. et omnino JUST. LIPSIUS Manud. ad Philos. Stoic. III. dissert. 7.

Lib. IV. cap. 10. loquitur de ægrotationibus quæ appellantur a Stoicis ἀῤῥωςήματα, et contrariis offensionibus quæ his opponantur: « Quo loco, inquit, nimium operæ consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. » Conferatur GALENUS De Hippocratis et Platonis Decret. lib. V. Tom. I. pag. 285. lin. 47. Τὸ πάθος τῆς ψυχῆς κίνησίν τινα παρὰ φύσιν ἄλογον ὑπάρχειν, οὐχ οἱ παλαιοὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ Χρύσιππος ὁμολογεῖ. Καὶ μὲν δὴ ὡς ἡ κίνησις αὕτη ταῖς τῶν ἀςείων οὐκ ἐγγίνεται ψυχαῖς, ὡμολόγηται παρ' ἀμφοῖν· ὁποῖα δέ τις ἐςὶν ἡ τῶν φαύλων ψυχὴ κατά τε τὰ πάθη καὶ πρὸ τῶν παθῶν, οὐκέθ' ὁμοίως ἐξηγοῦνται. Χρύσιππος μὲν γὰρ ἀνάλογον ἔχειν αὐτήν φησι τοῖς ἐπιτηδείοις σώμασιν εἰς πυρετοὺς ἐμπίπτειν, ἢ διαῤῥοίας, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον ἐπὶ μικρᾷ καὶ τυχούσῃ προφάσει, κ. τ. λ. ac præcipue Chrysippi ipsius locus, pag. 286. fin. et sq. « Διὸ καὶ κατὰ τρόπον προῆκται Ζήνωνι λόγος· ἡ δὲ τῆς ψυχῆς νόσος ὁμοιοτάτη ἐςὶ τῇ τοῦ σώματος ἀκαταστασίᾳ, κ. τ. λ. Quem locum integrum proferemus §. sequenti. Add. CICERO ipse lib. laud. cap. 13. ibique Jo. DAVISIUS pag. 290. Chrysippi autem hac in re contradictionem notat GALENUS l. l. pag. 288. lin. 16. Τῆς νόσου τὴν ἔννοιαν ἐν μὲν τῷ πρώτῳ Περὶ Παθῶν συνέχεεν ὁ Χρύσιππος, ἀνάλογον ἔχειν φάμενος τὴν ἐν τῇ ψυχῇ νόσον τῇ τοῦ σώματος καταςάσει, καθ' ἣν εὐεμπτώτως εἰς πυρετοὺς ἢ διαῤῥοίας ἤ τι τοιοῦτον ἔχει· κατὰ μέντοι τὸ Θεραπευτικὸν, ἐφυλάξατο μὲν τὴν ἔννοιαν τῆς νόσου, τῆς πρὸς ἑαυτὸν οὐδὲν φροντίσας ἐναντιολογίας· ἐξηγήσασθαι δ' ὡς ὑπέσχετο τὴν ἐν τῇ ψυχῇ νόσον ἅμα τοῖς ἄλλοις, οἷς ἀνάλογον ὑπάρχειν αὐτῇ φησι πρὸς τὸ σῶμα, παντάπασιν ἠδυνάτησε, μετὰ τοῦ καὶ συγχεῖν εἰς ταὐτὸν τήν θ' ὑγίειαν τῆς ψυχῆς καὶ τὸ κάλλος. Ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ σώματος ἀκριβῶς αὐτὰ διωρίσατο, τὴν μὲν ὑγείαν ἐν τῇ τῶν ςοιχείων συμμετρίᾳ θέμενος, τὸ δὲ κάλλος ἐν τῇ τῶν μορίων. κ. τ. λ.

et rursus pag. eâd. lin. 38. Χρύσιππος δ' οὔτε ταύτην ἠδυνήθη τὴν ὁμοιότητα διδάξαι, καίτοι ὑποσχόμενος, οὔτε τὴν τοῦ κάλλους τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ εἰς ταὐτὸν συνέχεεν τῇ ὑγιείᾳ τὸ κάλλος. Κατὰ γὰρ τοὺς οἰκείους τοῦ λόγου μερισμοὺς, καλὴν ἢ αἰσχρὰν ἔφησε γίγνεσθαι ψυχήν· ὑγιαίνουσα δ' ἢ νοσοῦσα πῶς ἂν γένοιτο, παρέλιπεν, εἰς ταὐτὸν, οἶμαι, συγχέων ἄμφω καὶ μὴ δυνάμενος ἀκριβῶς τε καὶ ὁρισμένως ὑπὲρ αὐτῶν ἀποφήνασθαι.

Tandem Cicero Tuscul. IV. c. 24. definitiones fortitudinis ex Stoicorum sententiâ refert, atque hanc Chrysippo adscriptam: « Fortitudo est, inquit (Chrysippus), scientia perferendarum rerum, vel affectio animi, in patiendo ac perferendo summæ legi parens sine timore. » — Cui continuo addit Cicero: « Quamvis licet insectemur istos, ut Carneades solebat: metuo, ne soli philosophi sint. Quæ enim istarum definitionum non aperit notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam? »

§. CXIV.

ΤΟ ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΟΝ.

Licet Curatorius hic liber interdum separatim et ita quidem a Galeno memoretur, ut non Logicis tantum (τοῖς λογικὰς ζητήσεις ἔχουσι περὶ παθῶν βιβλίοις, sive τοῖς λογικοῖς ὑπομνήμασι) (173), sed omnino Libris De Perturbationibus Animi opponi videatur, ut De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. IV. Tom. I. pag. 279.

(173) Cf. quæ diximus ad Fragmentum præcedens Περὶ Παθῶν, §. CXIII. init.

lin. 3. sq. Basil.; manifesto tamen ex aliis iisque plurimis ejusdem GALENI locis apparet, non peculiare hoc opus fuisse, sed nonnisi quartam majoris illius operis partem, quod Περὶ Παθῶν conscripserat Chrysippus. De Locis Affectis Lib. III. Tom. III. pag. 270. lin. 32. sq. Bas. De Hippocrat. et Platon. Decr. Lib. IV. Tom. I. pag. 275. lin. 42. sq. Lib. IV. pag. 284. lin. 10. Lib. V. pag. 295. lin. 16. Lib. VII. pag. 309. lin. 38. Basil. Illud solummodo dubium videtur, utrum hic liber promiscue dictus sit Θεραπευτικός et Ἠθικός, an duo hi libri et separati fuerint, quamquam argumenti similitudine rursus quodam modo inter se conjuncti. Sed cum diligentius eâ de re disquirendi tempus non suppetat, in eo nos contineamus, ut locos Galeni, unde dubii aliquid suboriri queat, hic apponamus. Dicit enim GALENUS De Hippocrat. et Platon. Decr. Lib. IV. Tom. I. pag. 275. lin. 42. Bas. τὸ Θεραπευτικὸν, ὃ δὴ καὶ Ἠθικὸν ἐπιγράφουσί τινες: quasi idem liber variandi caussâ ab aliis aliter inscriberetur: sed Op. mem. Lib. V. pag. 295. lin. 16. Bas. ita loquitur ac si duo fuerint opera peculiaria. Verba autem sic habent: Οὐ μόνον κατὰ τοῦτο (τὸ πρῶτον περὶ ψυχῆς βιβλίον) τελέως ἐσιώπησε τοὺς τοῦ Πλάτωνος λόγους, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰ Περὶ Παθῶν συγγράμματα, τά τε τρία τὰ λογικὰ καὶ τὰ χωρὶς αἰτιῶν ἰδίᾳ γεγραμμένα ὑπ' αὐτοῦ, τὸ Θεραπευτικόν τε καὶ Ἠθικὸν ἐπιγραφόμενον. Alias Logicis de Perturbationibus libris (τοῖς λογικοῖς περὶ παθῶν βιβλίοις) simpliciter opponit τὸ Περὶ Παθῶν Ἠθικόν, nullâ prorsus adjectâ Curatorii mentione, ut Op. mem. Lib. IV. p. 280. lin. 7. sq. et Lib. V. pag. 287. lin. 27. Et duos in locos incidi, ubi quartum hunc librum s. Θεραπευτικόν nude et cum quadam excellentiâ appellat τὸ Περὶ τῶν Παθῶν βιβλίον. Sunt autem Lib. IV. p. 283. lin. 26 et Lib. ejusd. pag. 284. lin. 14. Esse enim solum hunc Curatorium librum nec totum opus De Perturbationibus intelligendum, priori loco contextus, posteriori verba ipsa satis declarant: Ταῦτά τοι καὶ ἀπορεῖς κατὰ τὸ Περὶ Παθῶν βιβλίον τὶ καὶ γράψαι τοιοῦτον

ἡμῖν, ᾧ προσέχοντες τὸν νοῦν, κωλύσομέν τε τῶν παθῶν ἕκαςον γίνεσθαι, καὶ γενόμενον ἰασόμεθα.

Et hæc quidem de Libri inscriptione dicta sufficiant. Sequitur, ut Fragmenta exhibeamus, quæ a GALENO nobis sunt servata Libris IV. et V. De Hippocratis et Platonis Decretis. Ac primum quidem legitur Lib. IV. Tom. I. pag. 280. lin. 14. Basil.: « Οἰ» κείως δὲ καὶ ὁρμὴ πλεονάζουσα λέγεται εἶναι τὸ πάθος, ὡς ἄν τις ἐπὶ τῶν » ἐκφερομένων κινήσεων πλεονάζουσαν κίνησιν εἴποι, τοῦ πλεονασμοῦ ἐν αὐτῇ γι» νομένου κατὰ τὴν τοῦ λόγου ἀποστροφὴν, καὶ τὸ ἄνευ τοῦ πλεονασμοῦ τούτου, » σωςικόν. Ὑπερβαίνουσα γὰρ τὸν λόγον ἡ ὁρμὴ καὶ παρὰ τοῦτον ἀθρόως φερο» μένη, οἰκείως τ' ἂν πλεονάζειν ῥηθείη, καὶ κατὰ τοῦτο παρὰ φύσιν γίγνεσθαι » καὶ εἶναι ἄλογος, ὡς ὑπογράφομεν. Ὑπερβαίνουσα, φησὶ, τὸν λόγον ἡ ὁρμὴ » καὶ παρὰ τοῦτον ἀθρόως φερομένη, τὴν κατὰ τὸ πάθος ἔκφορον ἀπεργάζεται » κίνησιν. » Galenus deinde inconstantiæ arguit Chrysippum, quod motus illos dixerit et contra rationem exsistere eamque aversari ac detrectari, et eosdem rursus, a ratione fieri : item quod cum judicia esse statuisset animi perturbationes, easdem sine judicio fieri asseruerit; et posterius hoc ipsis illius verbis e Curatorio libro desumtis probare contendit, Pag. 280. lin. 30. sq. « Οὐ γὰρ ἐν τῷ κρίνειν ἀγαθὰ ἕκαςα τούτων λέγεται ἀῤῥωςήματα » ταῦτα, ἀλλὰ κατὰ τὰ ἐπὶ πλέον ἐκπεπτωκέναι πρὸς ταῦτα τοῦ κατὰ φύσιν, » et paucis interjectis, « Ὅθεν οὐκ ἀλόγως γυναικομανεῖς τινες λέγονται, καὶ » ὀρνιθομανεῖς. Εἰ γὰρ δὴ μὴ μάτην ἐγκείσεται τὸ τῆς μανίας ὄνομα τῷ τοῦ ἀῤῥωςή» ματος προσαρτήματι, μανία δ' ὑπὸ τῆς ἀλόγου κατὰ τὸ σῶμα γίνεται δυνάμεως· » οὐδὲν ἧττον τὸ ἀῤῥώςημα τῶν λογικῶν. Ἀλλὰ, νὴ Δία, ἴσως ἄν τις φήσειε τὸ » μανιῶδες οὐ διὰ τὴν ἄλογον γίνεσθαι δύναμιν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐπὶ πλέον, ἢ προσῆ» κεν, ἐξῆχθαι τήν τε κρίσιν καὶ τὴν δόξαν, ὡς εἰ καὶ οὕτως ἔλεγεν ἀῤῥωστήματα » γίνεσθαι κατὰ τὴν ψυχὴν, οὐχ ἁπλῶς τῷ ψευδῶς ὑπειληφέναι περί τινων, ὡς » ἀγαθῶν ἢ κακῶν, ἀλλὰ τῷ μέγιςα νομίζειν αὐτά· μηδέπω γὰρ ἀῤῥώςημα τὴν » περὶ τῶν χρημάτων εἶναι δόξαν ὡς ἀγαθῶν, ἀλλ' ἐπειδάν τις αὐτὰ μέγιςον

» ἀγαθὸν εἶναι νομίζοι καὶ μηδὲ ζῆν ἄξιον ὑπολαμβάνοι τῷ ϛερηθέντι χρημά-» των· ἐν τούτῳ γὰρ συνίϛασθαι τήν τε φιλοχρηματίαν καὶ τὴν φιλαργυρίαν » ἀῤῥωϛήματα οὔσας. » Quam Chrysippi rationem longiori disputatione evertere studuit Posidonius; cujus disputationis potiores partes servatæ sunt a Galeno ac doctissime nuper explicatæ a Cel. BAKIO in libro de Posidonio Rhodio pag. 206. sqq.

Deinceps Galenus ostendere studet, Chrysippum sibi ipsi repugnantem concessisse facultatem quamdam a rationali diversam (δύναμιν ἑτέραν τῆς λογικῆς) inesse in hominum animis, unde perturbationes oriantur: quæ res hinc ab eo efficitur, quod Chrysippus turpia esse et vitio hominibus vertenda (αἰτιατέα) non ea tantum existimaverit quæ e judicii pravitate (μοχθηρᾶς κρίσεως) originem ducant, verum insuper quæ ab animæ relaxatione (ἀτονίας) et imbecillitate (ἀσθενείας), oppositis contentioni (εὐτονίᾳ) et viribus (ἰσχυΐ), proficiscantur. Ut vero judicium (κρίσις) rationalis facultatis (τῆς λογικῆς δυνάμεως) sit opus, ita contentionem (εὐτονίαν), robur (ῥώμην) et virtutem (ἀρετήν) alius esse quam rationalis facultatis: quam diversam facultatem Chrysippus ipse appellaverit tenorem (τόνον). Lib. V. pag. 281. lin. 32. sqq. Quæ judicandi in Chrysippo inconstantia quo evidentius appareat, locos aliquot illius subjicit e Quarto sive Curatorio libro Περὶ Παθῶν decerptos; quorum primus hic est: « Ἔτι δὲ καὶ » κατὰ τοῦτ' ἴσως οἱ ἐπὶ τοῦ σώματος λέγονται τόνοι ἄτονοι καὶ εὔτονοι εἶναι » κατὰ τὸ νευρῶδες, τῷ δύνασθαι ἡμᾶς ἢ ἀδυνατεῖν ἐν τοῖς διὰ τούτων ἐπι-» τελουμένοις ἔργοις, καὶ ὁ ἐν τῇ ψυχῇ λέγεται τόνος, ὡς εὐτονία, καὶ ἐφεξῆς. » Ὥσπερ γὰρ ἐν τρόμῳ καὶ ἀνθέξει τινὸς καὶ τῶν παραπλησίων ἤδη, ἃ διὰ » τῶν νεύρων ἐνεργεῖται, ἔϛι τις ἐπιτελεϛικὴ κατάϛασις καὶ ἐνδοτικὴ τῶν νεύρων » προσκλελυμένων καὶ ἀνειμένων, ἀναλόγως καὶ ἐπὶ ψυχῆς ἔϛι τοιοῦτον νευρῶ-» δες, καθὸ καὶ κατὰ μεταφορὰν ἀνεύρους τινὰς λέγομεν καὶ νεῦρα ἔχειν. » Pag. 281. lin. 42—48. et mox ita pergit Chrysippi oratio: « Ὁ μὲν

39.

» δείμων ἐπιγινομένων ἀφίςαται, ὁ δὲ κέρδους ἢ ζημίας φερομένης ἐξελύθη καὶ » ἐνέδωκεν, ὁ δὲ καθ' ἕτερα τοιαῦτα οὐκ ὀλίγα. Ἕκαςον γὰρ τῶν τοιούτων τρέπεταί » τε καὶ δουλοῦται ἡμᾶς, ὡς ἐνδιδόντας αὐτοῖς καὶ πολλοὺς καὶ πόλεις προδιδό- » ναι, καὶ αὑτοὺς εἰς πολλὰς καὶ ἀσχήμονας πράξεις ἐπιδιδόναι, τῆς πρὸς θέα- » τρα φορᾶς ἐκλυθείσης, οἷος εἰσῆκται καὶ τῷ Εὐριπίδῃ ὁ Μενέλαος· σπασάμενος » γὰρ τὴν μάχαιραν φέρεται ἐπὶ τὴν Ἑλένην ὡς ἀναιρήσων· ἰδὼν δὲ καὶ κατα- » πλαγεὶς εἰς τὸ κάλλος, ἐξέβαλε τὴν μάχαιραν, οὐδὲ ταύτης ἔτι δυνάμενος » κρατεῖν· καθὰ καὶ ἡ ἐπίπληξις αὐτῆς εἴρηκεν αὐτῷ·

Σὺ δ' ὡς ἐσεῖδες μαςὸν ἐκείνης, ἐκβαλὼν ξίφος,
Φίλημ' ἐδέξω προδότην αἰκάλων κύνα (174). »

Pag. 281. lin. 48 — 53. Et haud ita multis a Galeno interjectis ita terminatur Chrysippi hæc ratiocinatio: « Διὸ πάντων τῶν φαύ- » λων οὕτω πραττόντων ἀποςατικῶς καὶ ἐνδοτικῶς, κατὰ πολλὰς αἰτίας ἀσθε- » νῶς καὶ κακῶς ἕκαςα πράττειν ἂν λέγοιτο (scr. λέγοιντο). » Hinc et ex aliis suam in rem a Chrysippo laudatis versibus Euripideis (175) colligit Galenus, duo eum statuisse appetendi principia (ἀρχὰς ὁρμῶν), alterum quo res cognoscamus earumque habeamus scientiam (ἐπιςήμην), eamque esse rationalem facultatem (τὴν λογικὴν δύναμιν): alterum irrationale (ἄλογον), unde ira (τὸ θυμοῦσθαι) proficiscatur; verum non advertere eum hæc reliquæ ejus rationi

(174) Euripidis Andromacha vs. 620. Matth. (630. prior. edit.): ubi hi versus recte nunc sic leguntur:

Ἀλλ' ὡς ἐσεῖδες μαςὸν, ἐκβαλὼν ξίφος,
Φίλημ' ἐδέξω, προδότιν αἰκάλλων κύνα.

(175 Ex Medeâ v. 1067. sq. Matth. (v. 1086. s. 1078. aliar. edit.)

Καὶ μανθάνω μὲν, οἷα δρᾷν μέλλω κακά·
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.

adversari; idque eo minus cum non semel iterumve tantum illa ei exciderint, sed cum pluribus locis eadem fere aut simillima saltem ab eo sint prolata. Et hujus quidem sui judicii hæc adfert ex Chrysippeo opere testimonia: pag. 282. lin. 28. sqq. « Ἔςι δ' ὡς οἶμαι κοινότατον ἡ ἄλογος αὕτη φορὰ καὶ ἀπεςραμμένη τὸν λόγον· καθὸ καὶ θυμῷ φαμέν τινας φέρεσθαι, » ac deinde: « Διὸ καὶ ἐπί τῶνδε τῶν ἐμπαθῶν ὡς περὶ » ἐξεςηκότων ἔχομεν, καὶ ὡς πρὸς παρηλλαχότας ποιούμεθα τὸν λόγον, καὶ οὐ » παρ' ἑαυτοῖς οὐδ' ἐν ἑαυτοῖς ὄντας, » quæ mox ita explicat ipse: « Ἡ δὲ παραλλαγὴ γίγνεται καὶ ἡ ἐξ αὐτοῦ ἀναχώρησις, οὐ κατ' ἄλλο τι ἢ τὴν » τοῦ λόγου ἀποςροφὴν, ὡς προείπομεν. Τῷ τε γὰρ θυμῷ φέρεσθαι, καὶ ἐξεςη- » κέναι, καὶ οὐ παρ' ἑαυτοῖς οὐδ' ἐν ἑαυτοῖς εἶναι, καὶ πάνθ' ὅσα τοιαῦτα φα- » νερῶς μαρτυρεῖ τοῦ κρίσεις εἶναι τὰ πάθη, κἂν τῇ λογικῇ δυνάμει τῆς ψυχῆς » συνίςασθαι, » et continuo sequitur: « Διὸ καὶ τοιαύτας ἐςὶν ἀκοῦσαι » φωνὰς ἐπί τε τῶν ἐρώντων καὶ τῶν ἄλλως σφόδρα ἐπιθυμούντων, καὶ ἐπὶ » τῶν ὀργιζομένων· ὅτι τε τῷ θυμῷ θέλουσι χαρίζεσθαι, καὶ ἐὰν αὐτοὺς εἴτ' » ἄμεινον, εἴτε μὴ, καὶ μηθὲν λέγειν αὐτοῖς· καὶ ὡς τοῦτο, ἐκ παντός γε » τρόπου ποιητέον, καὶ εἰ διαμαρτάνουσι καὶ εἰ ἀσύμφορον ἐςὶν αὐτοῖς, » ac deinde similia hæc: « Οἵας μάλιστα φορὰς καὶ οἱ ἐρώμενοι ἀξιοῦσι πρὸς » ἑαυτοὺς ἔχειν τοὺς ἐραςὰς, ἀπερισκεπτότερον καὶ ἄνευ ἐπιςροφῆς λογικῆς ἱςα- » μένους, καὶ ἔτι τοῦ παραινοῦντος λόγου αὐτοῖς ὑπερβατικοὺς ὄντας, μᾶλλον » δ' οὐδ' ὅλως ὑπομονητικοὺς ἀκοῦσαί τινος τοιούτου, » et « Οὕτως τε μακρὰν » ἀπέχουσιν ἀπὸ τοῦ λόγου, ὡς ἂν ἀκοῦσαι, ἢ προσέχειν τινι τοιούτῳ (videtur hic vitii aliquid latere), ὥςε μηδὲ τὰ τοιαῦτα ἀποτρόπου ἔχειν » αὐτοῖς λέγεσθαι·

Κύπρις γὰρ οὐδὲ νουθετουμένη χαλᾷ.
Ἂν γὰρ βιάζῃ, μᾶλλον ἐντείνειν φιλεῖ.

et

Νουθετούμενος δ' ἔρως
Μᾶλλον πιέζει.

tum vero: « Ὅτι δ' ὥσπερ ἄκαιρον ἐπιτιμητὴν, καὶ οὐκ ἐπιγνώμονα τοῖς γι-

» νομένοις ἐν τῷ ἐρᾷν ἀποκλίνουσι τὸν λόγον, καθάπερ ἄνθρωπον ἀκαίρως δο-
» κοῦντα νουθετεῖν· ἡνίκα δὴ καὶ οἱ θεοὶ δοκοῦσιν αὐτοῖς ἐφιέναι ἐπιορκεῖν, »
item « ἔτι μᾶλλον ἐξείη αὐτοῖς τὸ ἐπιὸν ποιεῖν, ἀκολουθοῦσι τῇ ἐπιθυμίᾳ. »
Hinc colligit Galenus, præter rationalem Animæ facultatem, duas esse alias, ut ex Veterum ita ex Chrysippi sententiâ, alterum *Irascendi* (θυμόν), alteram *Concupiscendi* (ἐπθυμίαν): ut cum Chrysippus aliis locis unam solummodo statuat esse Animæ facultatem ex eâque perturbationes proficisci, mira hæc sit aut pervicacia ejus aut judicandi levitas et inconstantia. Quæ res quo evidentior fiat, hoc insuper addit Fragmentum, quo explicatur quid sit quod in superioribus dixerat τὸ μὴ παρ' ἑαυτοῖς εἶναι μηδ' ἐν ἑαυτοῖς, pag. 282. lin. 54. « Οἰκείως δὲ καὶ ἐκφέρεσθαι λέγονται
» οἱ οὕτως ὀργιζόμενοι, τοῖς ἐπὶ τῶν δρομέων προεκφερομένοις παραπλησίως
» κατὰ τὸ πλεονάζον· τῶν μὲν παρὰ τὴν ἐν τῷ τρέχειν ὁρμὴν, τῶν δὲ παρὰ
» τὸν ἴδιον λόγον. Οὐ γὰρ ἂν οὕτως οἵγε κρατοῦντες τῆς κινήσεως καθ' ἑαυτοὺς
» ἂν κινεῖσθαι λέγοιντο, ἀλλὰ κατ' ἄλλην τινὰ βίαν ἔξωθεν αὐτῶν. Atque de eo sic judicat Galenus : Ὁμολογεῖ κἀνταῦθα βίαν τινὰ τὴν κινοῦσαν εἶναι πᾶσι τοῖς πάθεσιν ὁρμὰς ὀρθότατα γινώσκων, πλὴν ὅτι τὴν βίαν ἔξωθεν αὐτῶν ἔφησεν εἶναι, δέον οὐκ ἔξωθεν ἀλλ' ἐν τοῖς ἀνθρώποις ὑπάρχειν εἰπεῖν. Οὐ γὰρ δι' αὐτὸ λέγομεν αὐτοὺς ἑαυτοῖς ἔξω καθεστηκέναι καὶ μὴ ἐν ἑαυτοῖς εἶναι, διότι τὸ βιαζόμενον αὐτοὺς ὁρμᾷν κατὰ τὸ πάθος ἔξωθέν ἐστιν, ἀλλ' ὅτι παρὰ φύσιν ἔχουσιν· εἴγε τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς, ᾧ κρατεῖν καὶ ἄρχειν τῶν ἄλλων ἦν κατὰ φύσιν, οὐ κρατεῖ νῦν, ἀλλὰ κρατεῖται καὶ ἄρχεται πρὸς τῶν ἀλόγων τῆς ψυχῆς δυνάμεων· ὅπερ, οἶμαι, καὶ διὰ τῶν τοιούτων παραδειγμάτων ὁ Χρύσιππος κατασκευάζων οὐκ αἰσθάνεται. Παρατίθεται γοῦν τὸν Εὐριπίδου γεγραμμένον Ἡρακλεῖ πρὸς Ἄδμητον διάλογον· ἔχει δὲ ὧδε·

Ἡρ. Τί δ' ἂν προκόπτοις εἰ θέλεις στένειν ἀεί;
Ἄδμ. Ἔγνωκ' αὐτοὺς, ἀλλ' ἔρως τις ἐξάγει (176).

---

(176) Euripidis Alcest. vs. 1089. Matth. (aliar. editt. 1079. s. 1100), ubi

Δῆλον γὰρ ὅτι τῆς ἐπιθυμητικῆς δυνάμεως, οὐ τῆς λογικῆς ὁ ἔρως πάθος ὑπάρχων ἐξάγει τὴν ὅλην ψυχὴν, καὶ ἄγει τὸν ἄνθρωπον εἰς ἐναντίας πράξεις, ὧν ἐξ ἀρχῆς ἐκεκρίνει. Παρατίθεται δὲ καὶ τὰ τοῦ Ἀχιλλέως πρὸς τὸν Πρίαμον εἰρημένα·

Ἄνσχεο, μηδ' ἀλίαςον ὀδύρεο σὸν κατὰ θυμόν.
Οὐ γάρ τι πρήξεις ἀκαχήμενος υἷος ἑῆος,
Οὐδέ μιν ἀνςήσεις, πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθησθα (177).

Ταῦτα μέν φησι λέγειν αὐτὸν παρ' αὐτῷ διαλεγόμενον· οὕτω γὰρ ἔγραψεν αὐτοῖς ὀνόμασιν· « ἐξίςασθαι δ' οὐκ ὀλιγάκις ἐκ τῶν αὐτῶν τούτων κρίσεων ἐν » τοῖς συμπίπτουσιν, καὶ μὴ κρατεῖν ἑαυτοῦ νικωμένου ὑπὸ τῶν παθῶν. » Καὶ γὰρ οὖν κἀνταῦθα τότε τῶν κρίσεων ἐξίστασθαι, καὶ τὸ μὴ κρατεῖν ἑαυτοῦ, καὶ τὸ ποτὲ μὲν εἶναι παρ' ἑαυτῷ, ποτὲ δ' οὔ· καὶ πάνθ' ὅσα τοιαῦτα τοῖς τε φαινομένοις ἐναργῶς ὁμολογεῖ καὶ τῇ παλαιᾷ δόξῃ περὶ παθῶν τε καὶ ψυχῆς δυνάμεων, οὐ μὴν οἷς ὑπέθετο Χρύσιππος· ὁμοίως δ' εἴρηται καὶ τὰ τοιαῦτα κατὰ τὸ Περὶ τῶν Παθῶν βιβλίον· « Τὸ γὰρ δὴ σεσοβημένον καὶ παρηλλαχὸς » ἐν ἡμῖν, καὶ ἀπειθὲς τῷ λόγῳ οὐχ ἧττον ἐπὶ τῆς ἡδονῆς καταγίνεται· » καὶ πάλιν, « Οὕτω γὰρ ἐξιστάμεθα καὶ ἔξω γινώμεθα ἑαυτῶν, καὶ τελέως ἀποτυ- » φλούμεθα ἐν τοῖς σφαλλομένοις, ὥς' ἔςιν ὅτε σπόγγον ἔχοντες ἢ ἔριον ἐν ταῖς » χερσὶν, τοῦτον διαράμενοι βάλλομεν ὡς δή τι περαινοῦντες δι' αὐτῶν· εἰ δὲ » τυγχάνομεν μάχαιραν ἔχοντες ἢ ἄλλο τι, τούτῳ ἂν ἐχρησάμεθα παραπλησίως, » καὶ ἐφεξῆς. Πολλάκις δὲ κατὰ τὴν τοιαύτην τυφλότητα τὰς κλεῖς δάκνομεν, » καὶ τὰς θύρας τύπτομεν, οὐ ταχὺ αὐτῶν ἀνοιγομένων, πρός τε τοὺς λίθους,

---

in priori versu melius est: *ἀεὶ στένειν*. Posterior autem hic misere mutilatus, recte ibi sic legitur :

Ἔγνωκα καὐτὸς, ἀλλ' ἔρως τις μ' ἐξάγει.

(177) Sunt hi ultimi versus venustissimi illius loci quem supra jam laudavimus, Iliad. XXIV. v. 549. sqq.

» ἐὰν προσπταίσωμεν, τιμωρητικῶς προσφερόμεθα καταγνοῦντες, καὶ ῥιπτοῦν-
» τες αὐτοὺς εἴς τινας τόπους, καὶ ἐπιλέγοντες καθ' ἕκαςα τούτων ἀτοπώτα-
» τα. » ac deinde : « Ἐννοήσειε δ' ἄν τις ἐκ τῶν τοιούτων, καὶ τὴν ἐν τοῖς
» πάθεσιν ἀλογιςίαν, καὶ ὡς ἐν τοῖς τοιούτοις ἀποτυφλούμεθα καιροῖς, ὡς ἂν
» ἕτεροί τινες γεγονότες τῶν προσδιαλελογισμένων (scr. προδιαλ.). »

Cum in Primo De Perturbationibus libro dixisset Chrysippus, animi ægritudinem non esse cum corporis ægritudine, sed cum dissolubili pronâque ad corruptionem sanitate conferendam, his manifesto adversari ostendit Galenus, quæ idem statuisset in Quarto s. Curatorio libro, ubi animi morbos non dubitaret nude ac simpliciter cum corporis morbis comparare. Sic autem loquitur Galenus Op. mem. Lib. V. Tom. I. pag. 286. lin. 35. sqq. Basil. ipsa Chrysippi verba, ut sui judicii testimonium, apponens: Τί δὲ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Παθῶν Ἠθικῷ γράφει ταυτί· « Οὔτε » γὰρ περὶ τὸ νοσοῦν σῶμα ἔςι τέχνη, ἣν προσαγορεύομεν ἰατρικὴν, οὐχὶ δὲ, » καὶ περὶ τὴν νοσοῦσαν ψυχὴν ἔςι τις τέχνη, οὔτ' ἐν τῇ κατὰ μέρος θεωρίᾳ » τε καὶ θεραπείᾳ δεῖ λείπεσθαι ταύτην ἐκείνοις. Διὸ καὶ καθάπερ τῷ περὶ τὰ » σώματα ἰατρῷ καθήκει τῶν τε συμβαινόντων αὐτοῖς παθῶν ἐντὸς εἶναι, ὡς » εἰώθασι τοῦτο λέγειν, καὶ τῆς ἑκάςῳ οἰκείας θεραπείας, οὕτω καὶ τῷ τῆς » ψυχῆς ἰατρῷ ἐπιβάλλει ἀμφοτέρων τούτων ἐντὸς εἶναι ὡς ἔνι ἄριςα (178).

---

(178) Singularis est locutio ἐντὸς εἶναί τινος, h. e. *aliquid perspicere, penitus cognitum habere :* quod ipse Chrysippus indicat verbis, ὡς εἰώθασι τοῦτο λέγειν. Neque insignis hic noster locus omittendus erat HENRICO STEPHANO Thesaur. Linguæ Græcæ Tom. I. col. 1201. F. qui duo affert similia exempla, οἱ ἐντὸς λόγων, *literati,* et τέχνης ἐντὸς γενόμενος, *artis compos,* ex Plutarcho. Non prorsus absimilis est alia eaque frequentior loquendi formula, ἐντὸς ἑαυτοῦ εἶναι sive γίγνεσθαι, *mentis esse compotem, se mentemque suam in officio continere.* HERODOTUS Lib. I. cap. 119.—ἰδὼν δὲ οὔτε ἐξεπλάγη ἐντός τε ἑωϋτοῦ γίνεται. Lib. VII. cap. 47.—ἐγὼ δὲ ἔτι καὶ ἐς τόδε δείματός εἰμι ὑπόπλεος, οὐδ'-

» Καὶ ὅτι οὕτως ἔχοι (leg. ἔχει), μάθοι ἄν τις τῆς πρὸς ταῦτα ἀναλογίας παρατε-» θείσης ἀπ' ἀρχῆς. Ἡ γὰρ πρὸς ταῦτα ἀντιπαρατείνουσα οἰκειότης παραστήσει, » ὡς οἴομαι, καὶ τὴν τῶν θεραπειῶν ὁμοιότητα, καὶ ἔτι τὴν ἀμφοτέρων τῶν » ἰατρειῶν πρὸς ἀλλήλοις ἀναλογίαν.» Esse autem in animâ ἀναλογίαν quamdam ad ea quæ corporibus contingant, his etiam Chrysippi verbis probat: « Καθάπερ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ σώματος θεωρεῖται ἰσχύς » τε καὶ ἀσθένεια, εὐτονία καὶ ἀτονία καὶ τόνος, πρὸς δὲ τούτοις ὑγεία τε καὶ » νόσος, εὐεξία τε καὶ καχεξία... πάθη τε καὶ ἀῤῥωστήματα καὶ νοσήματα, κατὰ » τὸν αὐτὸν τρόπον ἀνάλογον τινὰ (f. ἀνάλογόν τι) πᾶσι τούτοις καὶ ἐν ψυχῇ » λογικῇ συνίσταταί τε καὶ ὀνομάζεται.» Pag. 286. lin. 43. sqq. Quibus continuo, pag. eâd. lin. 47. hæc adduntur: « Ὡς οἴομαι ἀπὸ τῆς τοι-» αύτης ἀναλογίας τε καὶ ὁμοιότητος καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς συνωνυμίας γεγενημέ-» νης. Καὶ γὰρ καὶ κατὰ ψυχήν τινας λέγομεν ἰσχύειν καὶ ἀσθενεῖν καὶ εὐτό-» νους καὶ ἀτόνους εἶναι, καὶ ἔτι νοσεῖν καὶ ὑγιαίνειν· οὕτω πως καὶ τοῦ πά-» θους καὶ τοῦ κατ' αὐτὴν ἀῤῥωστήματος λεγομένου, καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων.» ac deinde, pag. eâd. lin. 56. « Εἰ δὲ ἐπιχειρήσας αὐτὸν (f. αὐτὸ) ποι-» εῖν (h. e. ἀναλογίαν quamdam statuere inter corporis animæque » et sanitatem et ægrotationem) οὐ τυγχάνει τοῦ προτεθέντος, οὐκ ἀπο-» στατέον ἐστὶ τῆς ὁμοιότητος ἀλλὰ τῇ διδασκαλίᾳ μεμπτέον ὡς οὐκ ἀληθεῖ.» et mox ex eodem Περὶ παθῶν ἠθικῷ hæc addit, pag. eâd. lin. ult. ad pag. 287. lin. 6. Διὸ καὶ κατὰ τρόπον προῆκται Ζήνωνι λόγος· Ἡ » δὲ τῆς ψυχῆς νόσος ὁμοιοτάτη ἐστὶ τῇ τοῦ σώματος ἀκαταστασίᾳ. Λέγεται

ἐντὸς ἐμωυτοῦ. HIPPOCRATES Epid. Lib. VII. pag. 1207. B. 1210. F. Foesii. Hinc ad Atticos Scriptores hæc ῥῆσις permanavit. DEMOSTHENES Contra Phormionem Tom. II. pag. 913. lin. 16. Reiskii: ὁ Λάμπις ὁμολογεῖ μὲν εἰρηκέναι ταῦτα πρὸς τοῦτον, οὐ μέντοι γε ἐντὸς ὢν εἰπεῖν αὐτοῦ. Paullo diversâ ratione ita loquitur PLUTARCHUS Vitâ Alexandri M. Cap. XXXII. Tom. VI. p. 215. sq. Schæf. Ὡς δ' ἤκουσε τὰ παρὰ τοῦ Παρμενίωνος, οὐκ ἔφη σωφρονεῖν αὐτὸν οὐδ' ἐντὸς εἶναι τῶν λογισμῶν, ἀλλ' ἐπιλελῆσθαι ταραττόμενον, ὅτι νικῶντες προσκτήσονται καὶ τὰ τῶν πολεμίων.

» δὲ εἶναι σώματος νόσος ἡ ἀσυμμετρία τῶν ἐν αὐτῷ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, ξηροῦ » καὶ ὑγροῦ˙...... Ἡ δ' ἐν τῷ σώματι ὑγίεια, εὐκρασία τις καὶ συμμετρία τῶν » διῃρημένων (179)..... Οἶμαι γὰρ εἶναι εὐεξίαν σώματος, τὴν ἀρίστην τῶν » ῥηθέντων εὐκρασίαν.... Λέγεται δὲ καὶ ταῦτα οὐκ ἀπὸ τρόπου ἐπὶ τοῦ σώ- » ματος, διότι ἡ ἐν θερμοῖς καὶ ψυχροῖς, καὶ ὑγροῖς καὶ ξηροῖς γενομένη συμμετρία » ἢ ἀσυμμετρία ἐστὶν ὑγίεια ἢ νόσος˙ ἡ δὲ ἐν νεύροις συμμετρία ἢ ἀσυμμετρία, ἰσχὺς » ἢ ἀσθένεια καὶ εὐτονία ἢ ἀτονία˙ ἡ δ' ἐν τοῖς μέλεσι συμμετρία ἢ ἀσυμμετρία, » κάλλος ἢ αἶσχος. » Duo insuper Chysippi Fragmenta subjiciuntur eodem pertinentia, pag. 287. lin. 34. « Διὸ καὶ καλὴ ἢ αἰσχρὰ » ψυχὴ ἀνάλογον ῥηθήσεται κατὰ συμμετρίαν τέ τινα καὶ ἀσυμμετρίαν τοιῶν- » δέ τινων μερῶν. » et ibidem lin. 40. « Ἔστι δὲ τῆς ψυχῆς μέρη, δι' ὧν ὁ » ἐν αὐτῇ λόγος συνέστηκε καὶ ἡ ἐν αὐτῷ διάθεσις˙ καὶ ἐστὶ καλὴ ἢ αἰσχρὰ ψυχὴ » κατὰ τὸ ἡγεμονικὸν μόριον ἔχον, ἢ οὕτως κατὰ τοὺς οἰκείους μερισμούς. » Hæc autem omnia paullo obscurius enuntiata explicare studet Galenus indeque denuo colligit, Chrysippum sibi ipsum repugnasse et perperam statuisse unam tantum esse animæ partem et facultatem, unde et judicia orirentur et perturbationes. Sed et longior est Galeni disputatio quam ut integra huc possit transcribi et major temporis, qua nos premimur, angustia quam ut in compendium eam redigere aut potiora capita inde excerpere dilucideque disponere queamus. Qui autem adcuratius velit persequi singulas Chrysippeæ doctrinæ partes, ei, ut ipsius Galeni (180) verbis utar, πολὺ πλεόνων δεήσει συγγραμμάτων. Nobis itaque hæc sufficiant.

Duo tantum addenda restant Fragmenta quæ servavit

---

(179) Haud scio au legendum sit *προειρημένων*: quamquam *διῃρημένων* commodum sensum præbere videtur.

(180) De Hipp. et Plat. Decr. L. V. p. 289. lin. 53.

ORIGENES Contra Cels. Lib. I. pag. 50. Spenc. — καὶ ταῦτα δ' ἂν προσθείην τοῖς λεγομένοις, ὅτι Χρύσιππος, ἐν τῷ Περὶ Παθῶν Θεραπευτικῷ, πειρᾶται ὑπὲρ τοῦ καταςεῖλαι τὰ ἐν ἀνθρώποις πάθη τῶν ψυχῶν, μὴ προσποιησάμενος (marg. προσποιησάμενον) ποῖόν τι τῆς ἀληθείας ἐςὶ δόγμα, θεραπεύειν κατὰ τὰς διαφόρους αἱρέσεις [τοὺς] καὶ τοῖς πάθεσι προκατειλημμένους, καί φησιν· « Ὅτι κἂν ἡδονὴ τέλος ᾖ, οὑτωσεὶ θεραπευτέον τὰ πάθη· κἂν « τρία γένη τῶν ἀγαθῶν, οὕτως ἀπαλλακτέον τοὺς ἐνεχομένους αὐτοῖς. » et Lib. VIII. pag. 411. — ἀλλὰ φιλανθρωπότερον, οἶμαι, Κέλσου Χρύσιππον πεποιηκέναι ἐν τῷ Περὶ Παθῶν Θεραπευτικῷ, βουλόμενον θεραπεῦσαι τὰ πάθη, ὡς κατεπείγοντα καὶ ἐνοχλοῦντα τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν, προηγουμένως μὲν τοῖς δοκοῦσιν αὐτῷ ὑγίεσι λόγοις, δευτέρως δὲ καὶ τρίτως κἂν τοῖς μὴ ἀρέσκουσι τῶν δογμάτων· « Κἂν γὰρ τρία, » φησὶν, « ᾖ γένη τῶν ἀγαθῶν, καὶ οὕτω θερα- » πευτέον τὰ πάθη· οὐ περιεργαζόμενον ἐν τῷ καιρῷ τῆς φλεγμονῆς τῶν παθῶν » τὸ προκαταλαβὸν δόγμα τὸν ὑπὸ τοῦ πάθους ἐνοχλούμενον· μή πως τῇ ἀκαί- » ρῳ περὶ τὴν ἀνατροπὴν τῶν προκαταλαβόντων τὴν ψυχὴν δογμάτων σχολὴν » ἡ ἐγχωροῦσα θεραπεία παραπόληται. » φησὶ δὲ « ὅτι, κἂν ἡδονὴ ᾖ τὸ ἀγαθὸν » καὶ τοῦτο φρονῇ ὁ ὑπὸ τοῦ πάθους κρατούμενος· οὐδὲν ἧττον αὐτῷ βοηθη- » τέον, καὶ παραδεικτέον, ὅτι καὶ τοῖς ἡδονὴν τἀγαθὸν καὶ τέλος τιθεμένοις » ἀνομολογούμενόν ἐςι πᾶν πάθος. »

§. CXV.

ΠΕΡΙ ΤΕΛΩΝ

DIOGENES LAERT. Lib. VIII. s. 85. Τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασι (sc. Stoici) τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς· καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Τελῶν, πρῶτον οἰκεῖον λέγων εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὐτοῦ σύςασιν, καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν. Quam Chrysippi sententiam illustravimus Part. II. Cap. IV. §. XLVII. not. 190. Add. CICERO De Finib. Lib. IV. cap. 10. Lib. V. cap. 9. GELLIUS N. A. Lib. XII. cap. 5. T. II. pag. 112. Conr.

Idem Diog. Laert. L. VII. s. 87. aliam sententiam ex *Primo* hujus operis *Libro* desumtam servavit: « Ἴσον ἐστὶ τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν » τῷ κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῆν, » ὥς φησι Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Τελῶν. « μέρη γάρ εἰσιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου. » Conf. supra Part. II. Cap. IV. §. XLVI. not. 185. E Chrysippo igitur desumta quoque esse videntur quæ habet Cicero De Finib. Lib. IV. c. 11. §. 34. « Stoicis (sc. finis bonorum est), consentire naturæ; quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere: quod ita interpretantur, vivere cum intelligentiâ earum rerum quæ naturâ evenirent, eligentem ea, quæ essent secundum naturam, rejicientemque contraria. » et Lib. III. cap. 9. « Circumscriptis igitur his sententiis, quas posui, et iis, quæ similes earum sunt, relinquitur, ut summum bonum sit, vivere, scientiam adhibentem earum rerum, quæ naturâ eveniant, seligentem quæ secundum naturam, et, si quæ contra naturam sunt, rejicientem: id est, convenienter congruenterque naturæ vivere. » Idem De Offic. L. III. c. 3. §. 13. « Etenim, quod summum bonum a Stoicis dicitur, *convenienter naturæ vivere*, id habet hanc, ut opinor, sententiam, *cum virtute congruere semper, cetera autem, quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent.* » Ad quem locum conferenda est copiosissima disputatio C. Beieri pag. 202. sq.

Rursus Diogenes Laert. L. VII. s. 9. hæc profert: Διδακτήν τε εἶναι αὐτὴν (λέγω δὲ τὴν ἀρετὴν) καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Τέλους φησὶ, κ. τ. λ. Cf. Clar. Bakius in Posidonii Reliqu. Doctr. pag. 189. Fuit autem celeberrima hæc quæstio multumque a veteribus Philosophis agitata: quam peculiari Scriptione complexus est Plutarchus. Exstat illa in Operibus Moralibus pag. 439 — 440. C. hoc titulo insignita, Ὅτι Διδακτὸν Ἡ Ἀρετή. Ceterum Aristoteles, accuratius quam Stoici, duplex virtu-

tis genus distinxerat, unum earum quæ *in ratione essent positæ* (ἀρετὰς διανοητικάς), alterum earum quæ *morales* appellaremus (ἠθικάς), hasque dixerat more comparari, illas magnâ ex parte a doctrinâ proficisci et augeri ideoque cum usum tum tempus postulare. Ethicor. Nicomach. Lib. II. cap. 1. init. De vocibus ἔθος et ἦθος, quarum hanc ab illâ ductam existimat Aristoteles, vid. CAR. ZELLIUS ad h. l. pag. 61. Plura hanc in rem protulit BEKKERUS V. D. in Specim. Var. Lect. et Obss. in Philostr. Vit. Apoll. pag. 11. sqq. quibus add. Cel. WYTTENBACHIUS ad Musonii Anecdd., in Philomath. Lib. II. pag. 16. sq.

Paullo longius ejusdem *Libri Primi* fragmentum exstat apud PLUTARCHUM De Stoic. Repugn. pag. 1042. E. F. Perhibet enim ille statuisse Chrysippum, summum esse Bonorum et Malorum discrimen, quandoquidem illa summe beatos faciant eos in quibus insint, hæc extreme miseros: ac deinde hæc subjicit: Αἰσθητὰ δ' εἶναι τἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ, φησὶν, ἐν τῷ προτέρῳ Περὶ Τέλους, ταῦτα γράφων· « Ὅτι μὲν γὰρ αἰσθητά ἐστι τἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ, καὶ τού» τοις ἐκποιεῖ λέγειν· οὐ γὰρ μόνον ὄντα (181) πάθη ἐστὶν αἰσθητὰ σὺν τοῖς » εἴδεσιν, οἷον λύπη καὶ φόβος, καὶ τὰ παραπλήσια, ἀλλὰ καὶ κλοπῆς καὶ » μοιχείας καὶ τῶν ὁμοίων ἐστὶν αἰσθέσθαι· καὶ γὰρ ὅλον (182) ἀφροσύνης καὶ » δειλίας καὶ ἄλλων οὐκ ὀλίγων κακιῶν· οὐδὲ μόνον χαρᾶς, καὶ εὐεργεσιῶν, καὶ « ἄλλων πολλῶν κατορθώσεων, ἀλλὰ φρονήσεως καὶ ἀνδρείας, καὶ τῶν λοιπῶν » ἀρετῶν. » Obiter hanc eamdem Chrysippi sententiam memo-

---

(181) Ita libri. J. J. REISKIUS Animadverss. ad Græc. Auct. T. II. p. 570. recte conjecit τὰ, probante etiam Wyttenbachio. Nemo enim non videt quam facile ab oscitante librario syllaba ου e præcedenti voce potuerit ad sequentem trahi.

(182) REISKIUS l. l. corrigi vult καὶ καθόλου sive καί καθόλου ἀφρ. Illud non improbatur Wyttenbachio.

rat idem PLUTARCHUS De Comm. Notitiis p. 1062. C. Φύσει γὰρ ἀνεπαίσθητον οὐκ ἔςι (τὸ ἀγαθὸν) κατ' αὐτοὺς (Στωϊκοὺς)· ἀλλὰ καὶ λέγει διαῤῥήδην Χρύσιππος ἐν τοῖς Περὶ Τέλους, « αἰσθητὸν εἶναι τὸ ἀγαθόν· » ὡς δὲ οἴεται, καὶ ἀποδείκνυσι.

Ex eodem opere De Finibus petita esse videntur quæ habet Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. pag. 138. Heer. Τὴν δὲ εὐδαιμονίαν ὁ Ζήνων ὡρίσατο τὸν τρόπον τοῦτον· εὐδαιμονία δ' ἐςὶν εὔροια βίου. Κέχρηται δὲ καὶ Κλεάνθης τῷ ὅρῳ τούτῳ ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι, καὶ ὁ Χρύσιππος, καὶ ἀπὸ τούτων πάντες, τὴν εὐδαιμονίαν οὐχ ἑτέραν εἶναι λέγοντες τοῦ εὐδαίμονος βίου, καίτοι γε λέγοντες, τὴν μὲν εὐδαιμονίαν σκοπὸν ἐκκεῖσθαι, τέλος δ' εἶναι τὸ τυχεῖν τῆς εὐδαιμονίας, ὅπερ ταὐτὸν εἶναι τῷ εὐδαιμονεῖν. Conf. SEXTUS EMPIR. Advers. Mathematt. Lib. XI. segm. 30. Εὐδαιμονία δέ ἐςιν, ὡς οἱ περὶ τὸν Ζήνωνα καὶ Κλεάνθην καὶ Χρύσιππον ἀπέδοσαν, εὔροια βίου. IDEM Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. segm. 172. Εὐδαιμονία δέ ἐςιν, ὡς οἱ Στωϊκοί φασιν, εὔροια βίου.: et rursus Adv. Mathem. Lib. laud. segm. 110. εὐρόως ἅμα καὶ εὐδαιμόνως βιοῦν. DIOGENES LAERT. L. VII. s. 88. — εἶναι δ' αὐτὸ τοῦτο τὴν τοῦ εὐδαίμονος ἀρετὴν, καὶ εὔροιαν βίου, ὅταν πάντα πράττηται κατὰ τὴν συμφωνίαν τοῦ παρ' ἑκάστῳ δαίμονος πρὸς τὴν τοῦ ὅλου διοικητοῦ βούλησιν : ubi vid. MENAGIUS p. 298. a. M. ANTONINUS De Reb. Suis Lib. V. §. 34. Δύνασαι ἀεὶ εὐροεῖν, εἴγε καὶ ὁδεύειν, κ. τ. λ. ubi cf. TH. GATAKERUS p. 168. a. Plura collegerunt UPTONUS et SCHWEIGHÆUSERUS in Indice Græcit. Epictet. Vocc. εὐροεῖν, εὔροια, εὔρους, εὐρόως, T. III. p. 341. sq. Schw. quibus add. exquisita Annotatio DAN. WYTTENBACHII ad Vitam Ruhnkenii pag. 294.

Addit STOBÆUS l. l. p. 140. Διαφέρειν δὲ λέγουσι τὸ αἱρετὸν καὶ τὸ αἱρετέον. Αἱρετὸν μὲν γὰρ εἶναι ἀγαθὸν τὸ πᾶν, αἱρετέον δὲ ὠφέλημα πᾶν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τοῦ ἔχειν τὸ ἀγαθόν : quas distinctionis argutias itidem Chrysippo esse tribuendas fortasse non injuriâ ad h. l. statuit HEERENIUS.

Sed absoluta a nobis erit hæc materia, ubi CICERONIS aliquot locos, quibus Chrysippi de Fine sententia illustratur, huc apposuerimus. De Finib. II. 14. 44. « Certationem (virtutis cum voluptate) homo et acutus et diligens Chrysippus non contemnit, totumque discrimen summi boni in eâdem comparatione positum putat. » — Lib. III. c. 17. §. 57. « De bonâ autem famâ (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius est hoc loco bonam famam appellare, quam gloriam) Chrysippus quidem et Diogenes, detractâ utilitate, ne digitum quidem, ejus causâ, porrigendum esse dicebant. Quibus ego vehementer assentior. » — Lib. IV. c. 11. §. 28. « Chrysippus autem, exponens differentias animantium, ait alias earum corpore excellere, alias autem animo, nonnullas valere utrâque re : deinde disputat, quod cujusque generis animantis statui deceat extremum. Quum autem hominem in eo genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam : summum bonum id constituit, non ut excellere animo, sed uti nihil esse, præter animum videretur. » Quæ a Cicerone refutantur Capite sequenti. — Lib. IV. cap. 25. §. 68. « Quum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris, administratio reipublicæ, ordo gerendorum negotiorum, officia vitæ : ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est. Quæ diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chrysippo. » Ac tandem Lib. V. c. 29. §. 89. « Bonum appello, quidquid secundum naturam est; quod contra, malum. Nec ego solus, sed tu etiam, Chrysippe, in foro, domi : in scholâ desinis (183). » Academ. Lib. IV c. 45. §. 138. « Testatur sæpe Chrys-

(183) ERNESTIUS retinuit et explicare studuit lectionem vulgarem *definis*. Sed recte cum Lambino, Davisio et Alemanno *desinis* reposuisse videtur recentissimus editor GOERENZIUS.

ippus, tres solas esse sententias, quæ defendi possint de finibus bonorum: circumcidit et amputat multitudinem. Aut enim honestatem esse finem, aut voluptatem, aut utrumque. Nam qui summum bonum dicant id esse, si vacemus omni molestiâ, eos invidiosum nomen voluptatis fugere, sed in vicinitate versari: quod facere eos etiam, qui illud idem cum honestate conjungerent: nec multo secus eos, qui ad honestatem prima naturæ commoda adjungerent. Ita tres relinquit sententias, quas putet probabiliter posse defendi. » — Lib. IV. cap. 46. §. 140. « Unum igitur par, quod depugnet, reliquum est, voluptas cum honestate. De quo Chrysippo fuit, quantum ego sentio, non magna contentio. »

His epilogi instar adjiciamus quæ, Chrysippi sententiam de Fine reprehendens, dixit GALENUS De Hippocr. et Platon. Decr. Lib. V. Tom. I. pag. 291. l. 38. Basil. Φανερῶς ὁ Ποσειδώνιος ἐδίδαξε, πηλίκον ἁμαρτάνουσιν οἱ περὶ Χρύσιππον, οὐ μόνον ἐν τοῖς περὶ παθῶν λογισμοῖς, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ τέλους. Οὐ γὰρ ὡς ἐκεῖνοι λέγουσιν, ἀλλ' ὡς ὁ Πλάτων ἐδίδαξε τὸ τῇ φύσει ζῆν ὁμολογουμένως ἐςίν. Platonem enim, addit, statuisse, cum duæ sint animæ partes, melior et pejor, qui illi obtemperaret, eum et ex ratione et naturæ convenienter vivere, qui huic, contra naturam et perturbationibus obnoxium. Posidonii locos, a Galeno eum in finem prolatos, tractavit Cel. BAKIUS in Posidonii Reliqu. Doctr. pag. 223. sqq.

§. CXVI.

TA KATOPΘΩMATA.

Hujus Operis *Primus* tantummodo *Liber* memoratur, a PLUTARCHO De Stoic. Repugn. pag. 1038. A. B. « Τοῖς φαύλοις οὐδὲν

» εἶναι χρήσιμόν, » ὁ Χρύσιππός φησιν, « οὐδ' ἔχειν χρείαν τὸν φαῦλον οὐδενός, » οὐδὲ δεῖσθαι. » Ταῦτα δ' εἰπὼν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Κατορθωμάτων, αὖθις λέγει, « καὶ τὴν εὐχρηςίαν (184) καὶ τὴν χάριν εἰς τὰ μέσα διατείνειν· » ὧν οὐδέν ἐςι χρήσιμον κατ' αὐτούς. « Καὶ μὴν οὐδ' οἰκεῖον οὐδ' ἁρμόττον οὐδὲν » εἶναι τῷ φαύλῳ φησὶν ἐν τούτοις· κατὰ ταὐτὰ δὲ τῷ μὲν ἀςείῳ ἀλλότριον » οὐδέν, τῷ δὲ φαύλῳ οὐδὲν οἰκεῖόν ἐςιν· ἐπειδὴ τὸ μέν, ἀγαθόν, τὸ δὲ κακόν » ἐςιν αὐτῶν. » In his igitur iterum sibi adversari Chrysippum Plutarchus ostendit, cum sæpius scripsisset tam in Physicis libris quam in Moralibus, nos, simul atque nati simus, partesque et sobolem quadam inter nos necessitudine constringi. Eamdem Chrysippi sententiam, nec indicatâ operis inscriptione, reprehendit idem PLUTARCHUS De Communib. Notit. pag. 1068. C. Τουτὶ γὰρ λέγει Χρύσιππος, ὡς « οὐ δέονται μέν, ἐνδέονται δὲ » οἱ φαῦλοι· » πεττῶν δίκην δεῦρο κἀκεῖ τὰς κοινὰς ἐννοίας μετατιθείς. Quem locum tetigit SENECA Epist. IX. pag. 400. C. « Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait sapientem nullâ re indigere, et tamen multis illi rebus opus esse : contra, stulto nullâ re opus est, nullâ enim re scit uti, sed omnibus eget. » Conf. CICERO Tuscul. I. 36. IV. 9. J. LIPSIUS Manuduct. ad Stoic. Philos. Lib. III. diss. 11. Opp. T. IV. pag. 508. b. et præcipue WYTTENBACHIUS ad Plut. Sept. Sap. Conviv. pag. 155. D. Tom. II. pag. 960.

§. CXVII.

ΤΑ ΠΕΡΙ ΚΑΘΗΚΟΝΤΟΣ.

Meminit *Libri Sexti* PLUTARCHUS De Stoic. Repugn. pag. 1045.

---

(184) Stephon. sive e libris sive e conjecturâ dedit εὐχαριςίαν. De quâ lectionis diversitate vid. quæ judicavit Wyttenbachius ad h. l.

E. F. perhibens Chrysippum ἐν τῷ ἕκτῳ Περὶ Καθήκοντος dixisse » εἶναί τινα πράγματα μὴ πάνυ πολλῆς ἄξια ὄντα πραγματείας, μηδὲ προσο- » χῆς. » iisque ad sortem relegatis debere nos optionem fortuitæ animi inclinationi committere: et hujus rei hoc posuisse exemplum: « Οἷον ἡ (sc. αἵρεσις) τῶν δοκιμαζόντων τάςδε τινὰς δραχμὰς δύο, » ἐπὶ τοσόνδε, οἱ μὲν τήνδε, οἱ δὲ τήνδε φαῖεν εἶναι, καλὴν δὲ οὐδεμίαν αὐτῶν » λαβεῖν (185)· τηνικαῦτα ἀφέντα τὸ ἐπιπλεῖον ἐπιζητεῖν, ἣν ἔτυχε ληψόμεθα » κατ' ἄλλον τινὰ, ἀποκληρώσαντες αὐτὰ ἔλεγε, καὶ ἔτι μάλιςα τὴν μοχθηρὰν » ληψόμεθα αὐτῶν (186). » Conf. cum his quæ disputavimus supra Part. II. Cap. III. §. XLIV.

E *Septimo Libro* pauca hæc habet idem PLUTARCHUS l. l. pag. 1047. F. « καὶ κυβιστήσειν τρὶς (sc. τὸν σοφὸν), ἐπὶ τούτῳ λαβόντα τάλαντον. » Quæ conjungenda sunt cum fragmentis Περὶ Βίων et Περὶ Ἀγαθῶν eodem loco prolatis.

Ex eodem opere, omissâ libri indicatione, longius hoc fragmentum de Parentum Sepulturâ suæ orationi inseruit SEXTUS EMPIR. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. segm. 248. Ἐν δὲ τοῖς Περὶ τοῦ Καθήκοντος··· ῥητῶς φησιν, « Ἀπογενομένων δὲ τῶν γονέων, ταφαῖς χρη- » στέον ταῖς ἁπλουςάταις· ὡς ἂν τοῦ σώματος (καθάπερ ὀνύχων ἢ ὀδόντων ἢ » τριχῶν) οὐδὲν ὄντος πρὸς ἡμᾶς, καὶ οὐδὲν ἐπιςροφῆς ἢ πολυωρίας προσδεο- » μένων ἡμῶν τοιαύτης τινός. Διὸ καὶ χρησίμων μὲν ὄντων τῶν κρεῶν, τροφῇ » χρήσονται αὐτοῖς (καθάπερ καὶ τῶν ἰδίων μερῶν, οἷον, ποδὸς ἀποκοπέντος, » ἐπέβαλε χρῆσθαι αὐτῷ καὶ τοῖς παραπλησίοις·) ἀχρείων δὲ ὄντων ἢ κατορύ- » ξαντες ἐάσουσιν, ἢ κατακαύσαντες, τὴν τέφραν ἀφήσουσιν· ἢ μακρότερον ῥίψ-

(185) Wyttenbachius conjecit, φαῖεν εἶναι καλὴν, δέοι δὲ μίαν αὐτῶν λαβεῖν.

(186) Hunc locum ingeniose sic restituere conatus est Wyttenbachius, ἣν ἔτυχε ληψόμεθα, κατ' ἄδηλόν τινα ἀποκληρώσαντες αὐτὰς λόγον, καὶ εἴγε μάλιστα τὴν μοχθηρὰν ληψόμεθα αὐτῶν: eamque correctionem Latine vertendo expressit.

» αντες, οὐδεμίαν αὐτῶν ἐπιστροφὴν ποιήσονται, καθάπερ ὄνυχος ἢ τριχῶν.» Eumdem vero locum, parvâ tantum factâ immutatione, adhibuit etiam Lib. XI. Adv. Mathemat. segm. 194.

De toto hoc Philosophiæ loco Cf. F. G. LYNDENUS V. Ampl. Disput. De Panætio Rhodio pag. 89. præcipue pag. 91 et 112. De vi et usu vocis καθῆκον, Cel. WYTTENBACHIUS ad Plutarch. De Rect. Aud. Rat. pag. 44. A. Tom. I. pag. 377. De illius differentiâ ab eo quod κατόρθωμα vocabant Stoici, acute nuper disputavit C. BEIERUS V. D. in Excursu ad Ciceron. De Offic. L. I. c. 3. §. 8. pag. 318. — Chrysippi autem hos Libros per ludibrium tangere videtur etiam LUCIANUS Hermotim. Cap. 82. T. IV. pag. 111. Bip.

§. CXVIII.

ΗΘΙΚΑ ΖΗΤΗΜΑΤΑ.

Quartus Liber memoratur a DIOGENE LAERT. L. VII. s. 120. Ἀρέσκει τε αὐτοῖς (Stoicis) ἴσα ἡγεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν Ἠθικῶν Ζητημάτων. — De hoc Paradoxo, *Peccata omnia esse æqualia*, ex instituto egit CICERO Parad. III. Cf. LIPSIUS Manuduct. ad Stoic. Philos. L. III. diss. 21. Opp. T. IV. pag. 520, sq. qui hunc locum Stobæi Eclogg. Lib. II. pag. 128. Heer. Ἰσά τε πάντα λέγουσιν εἶναι τὰ ἁμαρτήματα, οὐκ ἔτι δ' ὅμοια, item e Chrysippo desumtum esse conjicit. Add. CICERO De Finib. L. IV. c. 27. §. 75. c. 28. §. 77. Or. pro Muren. Cap. 29. et 30. coll. CHRIST. GARVII Annotatt. Philosoph. ad Cicer. Libb. De Officiis T. I. pag. 17—30.

E *Sexto Libro* bina nobis fragmenta servavit PLUTARCHUS: De Stoicis Repugn. pag. 1046. D. Ἀρέσκει δὲ παραθεῖναι τὰ ἐν τῷ ἕκτῳ

τῶν Ἠθικῶν Ζητημάτων ὑπ' αὐτοῦ γεγραμμένα· ὑπειπὼν γὰρ ὡς, « οὔτε πᾶν » ἀγαθὸν ἐπίσης εἰς χαρὰν πίπτει, οὔτε πᾶν κατόρθωμα εἰς σεμνολογίαν, » ἐπενήνοχε ταῦτα, « Καὶ γὰρ εἰ μόνον μέλλοι ἀμερῆ χρόνον ἢ τὸν ἔσχατον ἕξειν » φρόνησιν, οὐδ' ἂν τὸν δάκτυλον καθήκει ἐκτεῖναι ἕνεκα τῆς οὕτω παρεσομένης » φρονήσεως, καίπερ παρὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονούντων, » οὐδὲ τῆς ἀϊδίου εὐδαιμονίας αἱρετωτέρας γενομένης παρὰ τὴν ἀμεριαίαν (187).

Ibidem pag. 1046. E. F. Chrysippum prodit asseruisse, « virtutes se invicem comitari: non tantum quod unam qui tenet, teneat omnes, sed etiam quia qui unâ quid agit, omnibus agat: porro nec virum perfectum esse qui non omnes virtutes habeat, nec actionem quæ non fiat secundum omnes. » ac deinde subjicit: Ἀλλὰ μὴν ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν Ἠθικῶν Ζητημάτων ὁ Χρύσιππος « οὐκ ἀεὶ, » φησὶν, « ἀνδρίζεσθαι τὸν ἀστεῖον, οὐδὲ δειλαίνειν τὸν φαῦλον, ὡς » δέον ἐν φαντασίαις ἐπιφερομένων τινῶν, τὸν μὲν ἐμμένειν τοῖς κρίμασιν, τὸν » δὲ ἀφίστασθαι. Πιθανὸν δὲ, » φησὶ, « μηδὲ ἀκολασταίνειν ἀεὶ τὸν φαῦλον. » Cf. Cicero De Finib. L. V. c 23. §. 67. Tuscul. Lib. II. cap. 14. init. et quæ plurima eam in rem collegit Davisius ad h. l. (cap. 13. suæ edit.) pag. 150, sq. J. Lipsius Manud. ad Stoic. Philos. Lib. III. diss. 4. Opp. T. IV. pag. 495. sq.

§. CXIX.

ΤΟ ΠΕΡΙ ΕΡΩΤΟΣ.

Plura quæ cum hac materiâ continentur proferemus infra ad Fragmentum Περὶ Βίων, §. CXXXII. Hîc sufficiat laudasse unum

---

(187) Verba postrema, *καίπερ παρὰ..... ἀμεριαίαν*, non esse Chrysippi sed a Plutarcho Chrysippeis adjecta, recte ad h. l. monuisse videntur Huttenus et Wyttenbachius.

DIOGENEM LAERT. Lib. VII. segm. 130. — εἶναι οὖν τὸν ἔρωτα φιλίας, ὡς καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Ἔρωτος φησί· καὶ μὴ εἶναι ἐπίμεμπτον αὐτόν· εἶναι δὲ καὶ τὴν ὥραν ἄνθος ἀρετῆς. Cujus loci initium vitio laborare suspicamur.

§. CXX.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΔΙΚΑΖΕΙΝ.

PLUTARCHUS De Stoic. Repugn. pag. 1045. D. E. Ἐν μὲν γὰρ τῷ Περὶ τοῦ Δικάζειν ὑποθέμενος (Chrysippus) δύο δρομεῖς ὁμοῦ συνεκπίπτειν ἀλλήλοις, διαπορεῖ, τί τῷ βραβευτῇ καθήκει ποιῆσαι· « Πότερον, » φησὶν, « ἔξεστι τὸν βραβευτὴν τὸν φοίνικα, ὁποτέρῳ βούλεται, ἀποδοῦναι; κἂν τύχωσιν αὐτῷ συνηθέστεροι ὄντες, ὡς ἂν ἐνταῦθα τῶν αὐτοῦ τι χαρισάμενον τρόπον τινὰ μᾶλλον, ὡς κοινοῦ τοῦ φοίνικος γεγονότος ἀμφοτέρων, οἱονεί τινος κλήρου· γινομένου ἐνάλλως κατὰ τὴν ἐπίκλισιν, ὡς ἔτυχε δοῦναι αὐτόν· λέγω δὲ ἣν ἔτυχεν ἐπίκλισιν, οἷα γίνεται ὅταν δυεῖν προκειμένων δραχμῶν ὁμοίων κατὰ τὰ λοιπὰ, ἐπὶ τὴν ἑτέραν ἐπικλίναντες λαμβάνωμεν αὐτήν. » Locus inde a verbis κἂν τύχωσιν ad δοῦναι αὐτὸν haud dubie corruptus, quem ita restituere conatus est Summus WYTTENBACHIUS: κατὰ τύχην, αὐτῶν μηδετέρου ὄντα, ὡς ἂν ἐνταῦθα τῶν αὐτοῦ τι χαρισόμενον τρόπον τινά; ἢ μᾶλλον, ὡς κοινοῦ τ. φ. γεγ. ἀμφοτέρων, οἱονεί τινος κλ. γινομένου, τὴν ἄλλως κατὰ τὴν ἐπίκλισιν, δοῦναι αὐτόν; vertens, « quippe quæ (sc. palma) casu neutrius facta sit, ut videatur jam de suo aliquid dare? an potius tamquam palma utriusque sit communis, perinde atque in sortitione, fortuitâ animi inclinatione et prouti casus tulerit eam alterutri dabit?» De exemplo in fine adjecto conf. Fragm. e Lib. VI. Περὶ Καθήκοντος, §. CXVII. Adhibuit autem hunc Chrysippi locum Is. CASAUBONUS Comment. ad Persii Satir. Proleg. v. 4. pag. 16. ed. Paris.

PLUTARCHUS Op. mem. p. 1049. D. E. Καίτοι λέγει αὐτὸς ἐν τῷ

Περὶ τοῦ Δικάζειν, καὶ πάλιν ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ θεῶν, ὡς « τῶν αἰσχρῶν τὸ » θεῖον παραίτιον γίνεσθαι οὐκ εὔλογον ἐςιν, κ. τ. λ. Quem locum integrum jam exhibuimus ad Fragmm. Περὶ Θεῶν, §. LXXXVI.

§. CXXI.

ΠΕΡΙ ΟΜΟΝΟΙΑΣ.

Sola hujus Operis mentio occurrit apud ATHENÆUM Lib. VI. pag. 267. B. Tom. II. pag. 522. sq. Schw. Διαφέρειν δέ φησι Χρύσιππος δοῦλον οἰκέτου, γράφων ἐν δευτέρῳ Περὶ Ὁμονοίας, « διὰ τὸ τοὺς ἀπελευ- « θέρους μὲν, δούλους ἔτι εἶναι· οἰκέτας δὲ τοὺς μὴ τῆς κτήσεως ἀφειμένους· ὁ » γὰρ οἰκέτης, » φησὶ, « δοῦλός ἐςι κτήσει κατατεταγμένος. » Sed non prætereundum est, ob eam ipsam rationem quod semel tantummodo legitur, dubiam adhuc esse hanc inscriptionem. Qua de re hæc monet SCHWEIGHÆUSERUS V. C. in Ind. Auctor. T. IX. pag. 77. « Suborta autem nobis est de scripturâ nominis Ὁμονοίας dubitatio: et Περὶ Ὁμωνυμίας suspicatus eram, si modo hic titulus alioquin in recensu librorum Chrysippi reperiretur. Nunc videndum puto, ne Περὶ Ὁμοίων, *De Similibus*, scriptum oportuerit: quem librum recensuit Laërt. VII. 199. Simillimo quidem titulo Ὅμοια Speusippo (188) edita novimus. » Ceterum de Chrysippeâ hac distinctione plura nos jam attulimus supra ad Fragmm. Περὶ τῶν Ἐτυμολογ. §. XCVI. pag. 242.

§. CXXII.

ΠΕΡΙ ΦΙΛΙΑΣ.

Diserte tantummodo *Secundus Liber* commemoratur, a PLU-

(188) DIOGENES LAERT. Lib. IV. segm. 5.

TARCHO De Stoic. Repugn. pag. 1039. B. Ἔτι τοίνυν ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ Φιλίας, διδάσκων ὡς, « οὐκ ἐπὶ πᾶσι δεῖ τοῖς ἁμαρτήμασι τὰς φιλίας δια» λύεσθαι, » ταύταις κέχρηται ταῖς λέξεσιν· « Προσήκει γὰρ τὰ μὲν ὅλως παρα« πέμπεσθαι, τὰ δὲ μικρᾶς ἐπιστροφῆς τυγχάνειν, τὰ δὲ καὶ ἐπὶ μεῖζον, τὰ δὲ » ὅλως (189) διαλύσεως ἀξιοῦσθαι : » et mox hæc adjiciuntur ex eodem libro : « τοῖς μὲν ἐπὶ πλεῖον, τοῖς δ' ἐπ' ἔλαττον συμβαλοῦμεν· ὥστε τοὺς μὲν » μᾶλλον, τοὺς δὲ ἧττον φίλους εἶναι· ἐπὶ πολὺ δὲ τῆς τοιαύτης παραλλαγῆς » γενομένης, οἱ μὲν τοσαύτης, οἱ δὲ τοσαύτης γίνονται φιλίας ἄξιοι· καὶ οἱ μὲν » ἐπὶ τοσοῦτον πίστεως (190) καὶ τῶν ὁμοίων καταξιωθήσονται. »

Sine dubio huc pertinet etiam locus LIBANII Epist. Latin. Lib. I. ep. 5. pag. 736. a. Wolfii : « Satius sane, » Chrysippus dicebat, « esse nullos comparare amicos quam comparatos amittere. »

L. C. VALCKENARIUS Annott. ad Euripid. Hippolyt. v. 253. pag. 190. b. Chrysippum in libris De Amicitià suspicatur his usum esse versibus Euripideis :

Χρῆν γὰρ μετρίους εἰς ἀλλήλους
Φιλίας θνητοὺς ἀνακρίνασθαι,
Καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς·
Εὔλυτα δ' εἶναι στέργηθρα φρενῶν,
Ἀπό τ' ὤσασθαι, καὶ ξυντεῖναι.

ex eoque sua hausisse CICERONEM De Amic. Cap. 13. §. 45. « Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Græcià, placuise opinor mirabilia quædam. Sed nihil est, quod illi non

---

(189) Meliorem sane sensum efficit ὅμως : quod conjecit Wyttenbachius.

(190) Probatur Wyttenbachio Meziriaci lectio : ἐπὶ τοσοῦτον, οἱ δὲ ἐπὶ τοσοῦτον πίστεως κ. τ. λ.

persequantur argutiis : partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus : satis superque esse suarum cuique rerum: alienis nimis implicari molestum esse : commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiæ; quas vel adducas, cum velis, vel remittas. Caput enim esse ad beate vivendum, securitatem; qua frui non possit animus, si tamquam parturiat unus pro pluribus. » Et omnino videtur esse Chrysippum imitatus Cicero in aliis quoque hujus Opusculi locis. Cf. Nobiliss. LYNDENUS in Libro De Panætio pag. 108. coll. WYTTENBACH. ad Plut. Moral. pag. 494.

Insuper vero etiam a PLUTARCHO nonnulla esse ex hoc Chrysippi Opere desumta, ut De Discern. Audul. Ab Amico pag. 64. A. pag. 67. B. suspicatur ad hos locos WYTTENBACHIUS T. I. pag. 494. pag. 513. sq.

§. CXXIII.

ΤΑ ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΑ.

Horum librorum duobus locis meminit PLUTARCHUS De Stoic.
Repugn. pag. 1041. E. Τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, ὃν αὐτὸς εἰσά-
γει καὶ δοκιμάζει, « συμφωνότατον εἶναι, » φησὶ, « τῷ βίῳ, καὶ μάλιϛα τῶν
» ἐμφύτων ἅπτεσθαι προλήψεων· » ταυτὶ γὰρ ἐν τῷ τρίτῳ τῶν Προτρεπτικῶν
εἴρηκεν. Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ « τοῦτον τὸν λόγον, » φησὶν, « ἀπὸ τῶν ἄλλων
» ἀπάντων ἀφέλκειν τὸν ἄνθρωπον, ὡς οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς, οὐδὲ συνερ-
» γούντων πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδέν : » item. pag. 1044. extr. et sq. Καὶ
μὴν ἐν τῷ τῶν Προτρεπτικῶν εἰπὼν ὅτι, « καὶ τὸ μητράσιν ἢ θυγατράσιν ἢ
» ἀδελφαῖς συγγενέσθαι, καὶ τὸ φαγεῖν τι, καὶ προελθεῖν ἀπὸ λέχους ἢ θανάτου
» πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται· καὶ πρὸς τὰ θηρία, » φησὶ, « δεῖν ἀποβλέ-
» πειν, καὶ τοῖς ὑπ᾽ ἐκείνων γινομένοις τεκμαίρεσθαι τὸ μηδὲν ἄτοπον μηδὲ παρὰ

» φύσιν εἶναι τῶν τοιούτων· εὐκαίρως γὰρ πρὸς ταῦτα γίνεσθαι τὰς τῶν ἄλλων » ζώων παραθέσεις (191), εἰς τὰ μήτε συγγινόμενα, μήτε γεννῶντα, μήτ' » ἐναποθνήσκοντα ἐν τοῖς ἱεροῖς μιαίνειν τὸ θεῖον. » Hæc ex parte in aliis quoque libris posuerat suam consuetudinem sequens Chrysippus. Cf. §. seq. et supra §. CXII.

Memorantur etiam aliquoties Chrysippi libri Περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι, quos eosdem omnino esse atque eos, unde modo apposuimus fragmenta, haud improbabili conjecturâ existimavit Jonsius. Age igitur, quæ apud Plutarchum diversâ hac inscriptione occurrunt hîc continuo subjiciamus.

De Communib. Notit. pag. 1060. E. Εἰ δὲ, ὡς Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι γέγραφεν, « ἐν τῷ κατὰ ἀρετὴν βιοῦν μόνον » ἐςὶ τὸ εὐδαιμόνως, τῶν ἄλλων, » φησὶν, « οὐδὲν ὄντων πρὸς ἡμᾶς, οὐδ' εἰς » τοῦτο συνεργούντων. » οὐ μόνον οὐκ ἔςιν ἀδιάφορος ἡ φύσις, ἀλλ' ἀνόητος καὶ ἀπόπληκτος, οἰκειοῦσα ἡμᾶς πρὸς τὰ μηδὲν πρὸς ἡμᾶς· ἀνόητοι δὲ καὶ ἡμεῖς, εὐδαιμονίαν ἡγούμενοι τὸ τῇ φύσει ὁμολογεῖν ἀγούσῃ πρὸς τὰ μηδὲν συνεργοῦντα πρὸς εὐδαιμονίαν. Hæc Chrysippi verba qui contulerit cum iis quæ modo attulimus e Primo τῶν Προτρεπτικῶν, De Stoic. Repugn. pag. 1041. E. is neutiquam dubitabit quin vere judicaverit Jonsius.

De Stoic. Repugn. pag. 1039. D—F. refert Plutarchus Chrysippum in Commentariis Περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι Platoni qui dixisset, *Ei qui neque didicisset neque sciret vivere, utile esse non vivere*, hæc exprobrasse: « Ὁ γὰρ τοιοῦτος λόγος καὶ ἑαυτῷ μά- » χεται, καὶ ἥκιςά ἐςι προτρεπτικός· πρῶτον γὰρ παραδεικνύων, ὅτι κράτιςον » ἡμῖν ἐςι τὸ μὴ ζῆν, καὶ τρόπον τινὰ ἀποθνήσκειν ἀξιῶν, πρὸς ἕτερά τινα μᾶλ-

(191) Wyttenbachius ἀποθεωρήσεις fuisse scriptum a Chrysippo suspicatur, eamdemque vocem reponi jubet pro ἀποθηριώσιν, quod mox sequiturp. 1045. B.

» λον ἡμᾶς προτρέψεται ἢ τὸ φιλοσοφεῖν· οὐ γάρ ἐςι μὴ ζῶντα φιλοσοφεῖν, οὐδὲ » μὴν πολὺν χρόνον ἐπιζήσαντα κακῶς καὶ ἀπείρως, φρόνιμον γενέσθαι : » et paullo inferius statuisse, « καὶ τοῖς φαύλοις καθήκειν μένειν ἐν τῷ ζῆν, » hæc verba subjicientem : « Πρῶτον γὰρ ἡ ἀρετὴ φιλῶς οὐδέν ἐςι πρὸς » τὸ ζῆν ἡμᾶς, οὕτω δ' οὐδ' ἡ κακία οὐδέν ἐςι πρὸς τὸ δεῖν ἡμᾶς ἀπιέναι. » Sed quamquam Chrysippus Platonem arguerit secum pugnantia protulisse, Plutarchus ostendit Chrysippum ipsum in iisdem libris sibi non consentire, cum modo Antisthenis illud prædicet, *Aut mentem esse aut laqueum parandum*, et Tyrtæi versum :

Πρὶν ἀρετῆς πελάσαι τέρμασιν, ἢ θανάτου (192).

modo Theognidem emendans pro

Χρὴ πενίην φεύγοντα, κ. τ. λ.

ita eum dicere debuisse censeat :

Χρὴ κακίαν φεύγοντα, καὶ ἐς βαθυκήτεα πόντον
Ῥίπτειν, καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων (193).

Tandem De Stoic. Repugn. pag. 1048. A. B. Plutarchus testa-

(192) Quæ præcesserint aut subsecuta sint hunc versum, non constat. Solum igitur eum in Fragmenta Tyrtæi retulit eorum editor eruditus Chr. Ad. Klotzius, p. 132.

(193) THEOGNIDIS versus quos voluerat Chrysippus, hi sunt, v. 175. sqq.

Ἄνδρ' ἀγαθὸν πενίη πάντων δάμνησι μάλιςα,
Καὶ γήρως πολίου, Κύρνε, καὶ ἠπιάλου·
Ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον
Ῥίπτειν, καὶ πετρῶν, Κύρνε, κατ' ἠλιβάτων.

ubi conferenda est BRUNKII nota, in Gnom. Poët. Gr. p. 14. sq. Schæf.

tur Chrysippum, cum in primo libro Περὶ Ἀγαθῶν propinquum Bono (τῷ ἀγαθῷ) constituisset Præpositum (τὸ προηγμένον) et cum eo quasi miscuisset, in *Primo Libro* Περὶ τοῦ Προτρέπεσθαι scripsisse, « Οὐ- » δὲν εἶναι τούτων (sc. τῶν προηγμένων) καθόλου πρὸς ἡμᾶς, ἀλλ' ἀποσπᾷν » τὸν λόγον ἡμᾶς (sc. δεῖν) καὶ ἀποςρέφειν ἁπάντων τῶν τοιούτων. » De Stoicorum distinctione inter Bona et Præposita, Mala et Rejecta (ἀποπροηγμένα), non est quod plura disputemus. Vid. DIOGENES LAERT. L. VII. s. 105. SEXTUS EMPIR. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. s. 191. Adv. Mathematt. L. XI. s. 62. Jo. STOBÆI Eclogg. Lib. II. pag. 146. Heer. CICERO De Finib. L. III. c. 15. sq. L. IV. c. 9. et 26. GELLIUS L. XII. c. 5. et omnino J. LIPSIUS Manuduct. ad Stoic. Philos. L. II. diss. 23. Opp. T. IV. pag. 486. sqq. Jo. DAVISIUS ad Ciceron. Academ. I. 11. pag. 46.

§. CXXIV.

ΠΕΡΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ.

Priusquam ipsa hujus operis fragmenta recenseamus, proferendum est memorabile de illo PLUTARCHI judicium, De Stoic. Repugn. pag. 1033. B. Πολλὰ μὲν, ὡς ἐν λόγοις (194) αὐτῷ Ζήνωνι, πολλὰ δὲ Κλεάνθει, πλεῖςα δὲ Χρυσίππῳ γεγραμμένα τυγχάνει περὶ πολιτείας καὶ τοῦ ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν, καὶ δικάζειν καὶ ῥητορεύειν· ἐν δὲ τοῖς βίοις οὐδενός ἐςιν εὑρεῖν οὐ ςρατηγίαν, οὐ νομοθεσίαν, οὐ πάροδον εἰς βουλὴν, οὐ συνηγορίαν ἐπὶ δικαςῶν, οὐ ςρατείαν ὑπὲρ πατρίδος, οὐ πρεσβείαν, οὐκ ἐπίδοσιν.

Meminit autem Libri Περὶ Πολιτείας DIOGENES LAERT. L. VII. segm. 34. — ὅτι δ' αὐτοῦ (Ζήνωνος) ἔςιν ἡ Πολιτεία, καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ

(194) H. e. *verbo tenus, non ad ipsius rei actionisque usum, sed ad scholæ disputationem*, uti, tractans Plutarchi locum, egregie hanc loquendi formulam interpretatus est Nobilissimus LYNDENUS in Libro De Panætio p. 84. sq.

Περὶ Πολιτείας φησί. — Lib. VII. seg. 131. Ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς καὶ κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας δεῖν παρὰ τοῖς σοφοῖς· ὥςε τὸν ἐντυχόντα τῇ ἐντυχούσῃ χρῆσθαι, καθά φησιν Ζήνων· · · · καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Πολιτείας. Hoc antea jam Plato statuerat, De Republ. Lib. V. pag. 449. D. sq. idque ex imitatione Lycurgi, ut testatur THEODORETUS Therapeut. Lib. IX. pag. 130. l. 32. sqq. Sylb. Cf. Jo. CHRYSOSTOMUS Homil. V. in Epist. Paul. ad Tit. T. XI. pag. 763. B. Montef. CLEMENTIS Homil. V. cap. 18. ibique Interprr. T. I. pag. 565. Coteler. et præterea J. A. FABRICIUS ad Sexti Empir. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. s. 205. pag. 178. b. — DIOG. LAERT. L. VII. s. 188. ἐν δὲ τῷ Περὶ Πολιτείας, καὶ μητράσι λέγει συνέρχεσθαι, καὶ θυγατράσι, καὶ υἱοῖς.

SEXTUS EMPIR. Pyrrhon. Hypotypos. Lib. III. segm. 205. Καὶ ὁ Χρύσιππος ἐν τῇ Πολιτείᾳ δογματίζει, « τόν τε πατέρα ἐκ τῆς θυγατρὸς παιδο- » ποιεῖσθαι, καὶ τὴν μητέρα ἐκ τοῦ παιδὸς, καὶ τὸν ἀδελφὸν ἐκ τῆς ἀδελφῆς. » Conf. IDEM l. l. segm. 246. Τούτοις δὲ ὁμογνωμονεῖ καὶ ὁ Χρύσιππος. Ἐν γοῦν τῇ Πολιτείᾳ φησί· « Δοκεῖ δέ μοι ταῦτα οὕτω διεξάγειν, καθάπερ καὶ » νῦν οὐ κακῶς παρὰ πολλοῖς εἴθιςαι ὥςε καὶ τὴν μητέρα ἐκ τοῦ υἱοῦ τεκνο- » ποιεῖσθαι, καὶ τὸν πατέρα ἐκ τῆς θυγατρὸς, καὶ τὸν ὁμομήτριον ἐκ τῆς ὁμο- » μητρίας. » Quæ eadem verba leguntur apud EUMDEM Adv. Mathematt. Lib. XI. segm. 192. Cf. etiam Pyrrhon. Hypotypos. Lib. I. segm. 160.

PLUTARCHUS De Stoic. Repugn. pag. 1044. B. dicit Chrysippum in libro De Republicâ asseruisse, « Οὐδὲν ἡδονῆς ἕνεκα πράξειν, οὐδὲ παρασκευάσεσθαι τοὺς πολίτας, » celebrasseque Euripideum hoc:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς καὶ πόματος ὑδρηχόου;

et paullo post Diogenem laudasse, qui in publico masturbasset dixissetque adstantibus, Εἴθε καὶ τὸν λιμὸν οὕτως ἀποτρίψασθαι τῆς

γαστρὸς ἠδυνάμην. Et mox addit Plutarchus Chrysippum, licet alio loco contrarium voluisset, in eodem libro De Republicâ acriter increpasse illos qui pavones ac luscinias alant, quasi contrarium legislatorem mundi legislatori, deridentemque naturam, quæ elegantiæ studium suum iis in animantibus exprimat, quibus in civitate locum Sapiens non relinquit.

IDEM Op. mem. pag. 1044. D. hæc de Chrysippo profert: Ἐν δὲ τῷ Περὶ Πολιτείας εἰπὼν ὅτι, « ἐγγὺς ἐσμὲν τοῦ καὶ τοὺς κοπρῶνας ζω- » γραφεῖν, » et « τὰ γεωργικὰ καλλωπίζειν τινὰς ἀναδενδράσι καὶ μυῤῥίναις, » καὶ ταὼς καὶ περιςερὰς τρέφουσι καὶ πέρδικας, ἵνα κακκαβίζωσιν αὐτοῖς, καὶ » ἀηδόνας. »

§. CXXV.

ΠΕΡΙ ΝΟΜΟΥ.

Unum solummodo fragmentum ex hoc opere servatum nobis est a MARCIANO ICto, in Leg. 2. Digest. De Legibus (I. 3.). « Sed et philosophus summæ Stoicæ Sapientiæ Chrysippus sic incipit libro, quem fecit Περὶ Νόμου· « Ὁ νόμος πάντων ἐςὶ βασιλεὺς θείων τε » καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Δεῖ δὲ αὐτὸν προςάτην τε εἶναι τῶν καλῶν καὶ » τῶν αἰσχρῶν καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δι- » καίων καὶ ἀδίκων καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προσταχτικὸν μὲν ὧν ποιη- » τέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον. (194*) » Ubi vid. Commentatores. Conf. quæ nos dedimus supra Part. II. Cap. IV. §. L. præcipuæ not. 206. J. A. GOERENZIUS Introduct. in Ciceron. De Legib. pag. XXVII. sq. Ceterum de vi ac potestate, quam Stoica omnino Philosophia exercuerit ad excolendum Jus Romanorum, non est quod hoc loco exponamus post J. H. Boehmerum, G. Slevog-

(194*) Vulg. ὧν ποιητέων..... ὧν οὐ ποιητέων. Goerenzius loco mox indicando hinc tacite rescripsit τῶν ποιητέων.... τῶν οὐ ποιητέων.

tium, Ev. Ottonem, J. G. Schaumburgium aliosque plures, quorum Commentationes accurate indicavit elegantissimus Germanorum Jureconsultus Chr. G. Hauboldus Institut. Jur. Rom. Priv. Hist. Dogmat. Lineament. Part. I. Lib. V. c. 2. §. 279. not. b.

§. CXXVI.

NOMOI.

Epiphanius De Fide Catholicæ et Apostol. Ecclesiæ (De Sectis Lib. III.) Basileæ 1544. pag. 460: Χρύσιππος ὁ Σολεὺς νόμους ἔγραψεν οὐ θεμιστούς. Ἔλεγε γὰρ δεῖν μίγνυσθαι ταῖς μητράσι τοὺς παῖδας, τοῖς δὲ πατράσι τὰς θυγατέρας· εἰς δὲ τὰ ἄλλα συνεφώνησε Ζήνωνι τῷ Κιτιεῖ. Πρὸς τούτοις δὲ ἔλεγε καὶ ἀνθρωποβορεῖν· ἔλεγε δὲ τὸ τέλος πάντων τὸ ἡδυπαθὲς εἶναι. Hinc Νόμων librum composuisse Chrysippum, diversum ab eo qui Περὶ Νόμου inscribebatur, effecit Menagius ad Diog. Laërt. Lib. VII. segm. 202. pag. 345. eumque secutus Interpres Stanleji Histor. Philos. pag. 652. Nobis ita videtur esse hic locus intelligendus: Nefaria statuisse (νόμους γεγραφέναι οὐ θεμιστούς) Chrysippum, cum diceret ex Naturæ lege matribus esse congrediendum, et similia. Ex quo non consequitur, peculiarem de his librum fuisse ab eo conscriptum: poterat hæc alibi etiam proferre; ut reapse protulit. Nam de Congressu liberorum cum parentibus locutus erat in libro De Republicâ (§. CXXIV.), item ἐν τῷ Περὶ τῶν μὴ δι' αὐτὰ αἱρετῶν (§. CXII.): de Edendis hominum carnibus in libro Περὶ Δικαίου (§. CIX.). Quod si vero in fine adjecit Chrysippum dixisse, τὸ τέλος πάντων τὸ ἡδυπαθὲς εἶναι, cum Lyndeno ei acclamamus: Hoc veritate caret! Et confirmatur etiam nostro hoc loco, quod de Epiphanii isto opere vir doctissimus judicavit (195).

(195) In Disputatione De Panætio Rhodio p. 73. «Subjiciamus Epiphanii

§. CXXVII.

ΠΕΡΙ ΒΙΟΥ ΚΑΙ ΠΟΡΙΣΜΟΥ.

Hujus Operis non nisi *Secundus Liber* memoratur a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. s. 188. — ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ Περὶ Βίου καὶ Πορισμοῦ προνοεῖν λέγων (sc. Chrysippus) ὅπως ποριςέον τῷ σοφῷ. Sed de victu a Sapiente parando quid senserit Chrysippus, jam alibi, prolatis illius fragmentis, docuimus.

§. CXXVIII.

ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΩΝ ΑΓΩΓΗΣ.

Locum De Liberorum Educatione cum plures alii Philosophi veteres tractaverant, tum vero Stoicorum principes, Zeno, Cleanthes et Chrysippus. Vid. Cel. WYTTENBACHIUS Animadverss. in Lib. De Educat. Pueror. init. T. I. pag. 66. sq. — Chrysippi autem liber uno solum loco diserte memoratur QUINCTILIANO Inst. Or. I. 11. 17. « Et certe, quod facere oporteat (sc. oratori), non indignum est discere, cum præsertim hæc *Chironomia*, quæ est (ut nomine ipso declaratur) *lex gestus*, et ab illis temporibus heroicis orta sit, et a summis Græciæ viris, et ab ipso etiam Socrate probata, et a Platone quoque in parte civilium posita, et a Chrysippo in Præceptis De Liberorum

judicium de Panætio; si judicium dicendum est dictum plenum ἀκρισίας, ἀνιςορησίας, stuporis et ignorantiæ: quibus refertus est iste pannus, quem ille de Græcis, quos numquam legerat, Philosophis, assuit Operi adversus Hæreses. »

Educatione compositis non omissa. « Quid Veteres intellexerint τὸ χειρονομεῖν, χειρῶν νόμον et χειρονομίαν, explicuerunt et ad h. l. INTERPRETES et J. G. SCHNEIDERUS ad Xenophont. Conviv. Cap. 2. §. 19. pag. 165.

Hinc vero desumta etiam haud dubie sunt quæ aliis quibusdam locis in suum usum adhibuit idem QUINCTILIANUS; ut Lib. I. c. 1. §. 4. « Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus; quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. » Ex eodem Chrysippi loco profecit fortasse etiam Auctor libelli De Educat. Pueror. pag. 34. Heusing. in Plut. Opp. Mor. pag. 3. D. - ἀλλὰ τάς γε τίτθας καὶ τροφοὺς, οὐ τὰς τυχούσας, ἀλλ' ὡς ἔνι μάλιϛα σπουδαίας δοκιμαϛέον ἐϛί. — Lib. I. cap. 1. §. 16. « Melius autem, qui nullum tempus vacare curâ volunt, ut Chrysippus. Nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam informandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. » — Lib. I. cap. 3. §. 14. « Cædi vero discentes, quamquam et receptum sit et Chrysippus non improbet, minime velim. » Vid. quæ de hac consuetudine in scholis Rhetorum et Grammatistarum usitatâ plurima collegit L. CRESOLLIUS Theatr. Rhetor. Lib. V. c. 6. (in Gronovii Thes. Antiq. Græc. T. X. col. 221. sqq.) — Lib. I. cap. 10. §. 32. « Chrysippus etiam nutricum, quæ adhibetur infantibus, allectationi, suum quoddam carmen assignat. » Cf. C. A. DEN TEX Annot. ad Disput. De Vi Musices Ad Excol. Hom. e Sent. Platon. pag. 121.

Non prætereundum hoc loco videtur quod Chrysippo exprobrat GALENUS, negligenter eum in doctrinâ de Liberorum Educatione esse versatum, quandoquidem falsa statuisset de Animi Perturbationibus: De Hippocr. et Plat. Decr. Lib. V. T. I. pag. 291. init. Οὕτω δὲ καὶ πλάττειν ἐξ ἀρχῆς ἄνθρωπον χρὴ πρὸς τὸ βέλτιϛον, ἀπάν-

των μὲν πρῶτον αὐτῶν τῶν σπερμάτων προνοουμένους, οἷς ἐφεξῆς τῆς διαίτης ἣν ἡ κύουσα διαιτήσεται, κατὰ τὰς τροφὰς καὶ τὰ πόματα, καὶ τὰ γυμνάσια, καὶ τὰς ἡσυχίας, καὶ τοὺς ὕπνους καὶ τὰς ἐγρηγόρσεις, ἐπιθυμίας τε καὶ θυμοὺς, ὅσα τἄλλα τοιαῦτα, περὶ ὧν ἁπάντων, ὁ μὲν Πλάτων ἀκριβέστατα διῆλθεν, ὁ δὲ Χρύσιππος οὐ μόνον αὐτὸς οὐδὲν ἱκνούμενον εἶπεν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀπ' αὐτοῦ τινὶ κατέλιπεν ἀφορμὴν εὑρέσεως, μοχθηρὰν ὑποβαλλόμενος τῷ λόγῳ τὴν κρηπῖδα: qua de re Stoicus et ipse Posidonius eum reprehendisset.

§. CXXIX.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΟΙΑΣ ΕΙΝΑΙ ΤΑΣ ΑΡΕΤΑΣ.

Recensetur hic Liber a Diogene Laert. Lib. VII. s. 202. et memoratur Galeno De Hippocr. et Platon. Decr. Lib. VI. T. I. pag. 309. lin. 44. — ὅσα καθ' ἓν ἄλλο (sc. βιβλίον) διῆλθεν (Chrysippus), ἐν ᾧ δείκνυσι ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετὰς, ἐλέγχων τὸν Ἀρίστωνος λόγον, οὐχ ἑνὸς ἢ δυοῖν, ἀλλὰ τριῶν ἢ τεττάρων δεηθεὶς βιβλίων, κ. τ. λ. et mox lin. 49.

§. CXXX.

DE BENEFICIIS.

Menagius ad Diog. Laërt. VII. 202. pag. 345. non sine probabilitatis specie conjecit, De Beneficiis quoque exstitisse Chrysippi librum, cum Seneca, de hac ipsâ materiâ agens, simpliciter commemoret Chrysippi librum nec ullâ argumenti adjectâ mentione. Verba autem hæc sunt, De Beneficiis L. I. c. 3. pag. 264. Lipsii: « Chrysippus quoque···· *totum librum suum* his

ineptiis replet: ita ut de ratione dandi, accipiendi, reddendique beneficii pauca admodum dicat: nec his fabulas, sed hæc fabulis inserit. Nam præter ista quæ Hecaton transcribit, « treis Chrys- » ippus Gratias ait Jovis et Eurynomes filias esse (196) : ætate » autem minores quam Horas, sed meliusculâ facie, et ideo » Veneri datas comites (197). » Matris quoque nomen ad rem judicat pertinere. « Eurynomen enim dictam, quia late patentis » matrimonii sit, beneficia dividere : » tamquam matri post filias soleat nomen imponi, aut poëtæ vera nomina reddant. » et Cap. 4. pag. 265. B. « Ad honestissimam contentionem, beneficiis beneficia vincendi, sic nos adhortatur Chrysippus, ut dicat, « Verendum esse ne, quia Charites Jovis filiæ sunt, parum se » grate gerere sacrilegum sit et tam bellis puellis fiat injuria. » Quod autem tres Gratias esse voluit Chrysippus, hoc ita videtur intellexisse, ut dandi esset una, altera accipiendi, tertia reddendi beneficii. Quod etiam artifices indicarunt, connexas eas fingentes unamque aversâ facie, duas alteras ita ut nos aspicerent. Conf. CHR. G. HEYNIUS ad Apollodori Bibl. pag. 344. et BOETTIGERI Pictur. Vasor. T. III. pag. 118. Ceterum WYTTENBACHIUS V. Cl. Animadverss. ad Plutarch. De Rectâ Aud. Rat. pag. 44. E. Tom. I. pag. 385. etiam quæ verbis modo alla-

---

(196) HESIODUM secutus, qui sic loquitur de Jove, Deor. Generat. v. 906:

Τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους,
Ὠκεάνου κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,
Ἀγλαΐην καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

(197) Conf. HOMER. Odyss. VIII. 364. coll. Hymn. in Vener. v. 61. sqq. Odyss. XVIII. 192. sq.

tis præcedunt: « Et Mercurius unà stat (cum Gratiis): non quia beneficia oratio commendat, sed quia pictori ita visum est, » e Chrysippi libro De Beneficiis sumta esse existimat: ut ipse hujus rei explicationem, a Veteribus datam, improbaverit; qui teste PLUTARCHO l. l. τὸν Ἑρμῆν ταῖς Χάρισι συγκαθίδρυσαν, ὡς μάλιςα τοῦ λόγου τὸ κεχαρισμένον καὶ προσφιλὲς ἀπαιτοῦντος.

CAPUT QUINTUM.

OPERA MISCELLANEA.

§. CXXXI.

ΠΕΡΙ ΑΝΟΜΟΛΟΓΙΑΣ.

Meminit Chrysippi librorum De Anomologiâ indeque duo fragmenta apponit Plutarchus De Virtute Morali pag. 450. C. D. Ἐν δὲ τοῖς Περὶ Ἀνομολογίας ὁ Χρύσιππος εἰπὼν ὅτι τυφλόν ἐςιν ἡ ὀργὴ, καὶ πολλάκις μὲν οὐκ ἐᾷ ὁρᾷν τὰ ἐκφανῆ, πολλάκις δὲ τοῖς καταλαμβανομένοις ἐπιπροσθεῖ (198) μικρὸν προελθὼν, « Τὰ γὰρ ἐπιγινόμενα, φησὶ, πάθη » ἐκκρούει τοὺς λογισμοὺς, καὶ τὰ ὡς ἑτέρως φαινόμενα, βιαίως προωθοῦντα, » ἐπὶ τὰς ἐναντίας πράξεις. » εἶτα χρῆται μάρτυρι τῷ Μενάνδρῳ λέγοντι,

---

(198) Conf. de exquisitâ hujus verbi significatione quæ copiose disputavit Cel. Wyttenbachius ad Plutarch. De Rectâ Aud. Rat. p. 41. C. Tom. I. p. 351.

Οἴ μοι τάλας ἔγωγε, ποῦ ποτε φρένες
Ἡμῶν ἐκεῖνον ἦσαν ἐν τῷ σώματι
Τὸν χρόνον; οὐ ταῦτ' ἀλλ' ἐκεῖνα αἱρούμεθα.

καὶ πάλιν ὁ Χρύσιππος προελθὼν, « Τοῦ λογικοῦ, » φησὶ, « ζώου φύσιν ἔχοντος » προσχρῆσθαι εἰς ἕκαστα τῷ λόγῳ, καὶ ὑπὸ τούτου κυβερνᾶσθαι, πολλάκις ἀποστρέ- » φεσθαι αὐτὸν ἡμᾶς, ἄλλῃ βιαιοτέρᾳ φορᾷ χρωμένους. » ὁμολογῶν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῆς πρὸς τὸν λόγον τοῦ πάθους διαφορᾶς. Quæ deinde ulterius persequitur Plutarchus, docens eâ in re Chrysippum sibi ipsum repugnasse. Uberius autem de hac Chrysippi repugnantiâ exposuit GALENUS, in opere De Hippocratis et Platonis Decretis, cujus locos supra protulimus §. LXXXIII. et CXIII.

Ad Menandri versus quod attinet, in suam Collectionem eos recepit JO. CLERICUS pag. 252. ultimumque ita rescripsit:

Τὸν χρόνον; οὐ μὲν ταῦτ' ἀλλ' ἐκεῖν' αἱρούμεθα.

Sed ut infelicem merito repudians ejus correctionem ita hunc versum esse legendum docet Phileleutheurus Lipsiensis (RICH. BENTLEJUS) in Emendatt. pag. 93.

Τὸν χρόνον; ὅτ' οὐ ταῦτ' ἀλλ' ἐκεῖν' ᾑρούμεθα.

Quod etiam probatur celeberrimo Plutarchi editori Wyttenbachio.

§. CXXXII.

ΠΕΡΙ ΒΙΩΝ.

Quatuor libros Περὶ Βίων scripsisse Chrysippum testatur PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1043. A. — μία σύνταξις ἡ Περὶ Βίων, τέτταρα βιβλία.

Primus laudatur a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 121. — πολιτεύσεσθαι φασὶ τὸν σοφὸν ἂν μή τι κωλύῃ, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν πρώτῳ Περὶ Βίων· καὶ γὰρ κακίαν ἐφέξειν, καὶ ἐπ' ἀρετὴν παρορμήσειν. Hoc Stoicorum decretum respexit CICERO De Finibus Lib. III. cap. 20. §. 68. ubi aperte ait, ex illorum sententiâ, Sapientem Rempublicam administraturum, his verbis: «Cum autem ad tuendos, conservandosque homines hominem natum esse videamus: consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit gerere, et administrare Rempublicam.» PLUTARCHUS in libro De Stoicis Repugn. pag. 1033. B. Stoicos reprehendit, quod secundum aliorum scripta aut dicta magis vivant quam secundum sua decreta. Cum enim a Sapiente administrari rempublicam velint, deque ea multa scripserint, ipsos tamen semper in otio esse versatos vitamque ad Epicureorum placita accommodasse. Ceterum Zenonem jam idem statuisse quod Chrysippum, refert SENECA De Otio Sapientis Cap. XXX. pag. 254. sq. Lipsii: «Epicurus ait: Non accedet ad rempublicam Sapiens, nisi quid intervenerit. Zenon ait: Accedet ad rempublicam nisi quid impedierit.» Cf. Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. pag. 184. et 186. Heer. Huc trahi etiam potest locus DION. CHRYSOST. Orat. XLVII. pag. 523. B. quem jam laudavimus supra Part. I. §. III. not. 13.

Ex LAERTIO Lib. VII. segm. 129. discimus Chrysippum in eodem *Libro Primo* asseruisse, ἐρασθήσεσθαι τὸν σοφὸν τῶν νέων, τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν. Unde conjicere quis possit, quæ apud STOBÆUM Lib. II. pag. 118. Heer. de amore Sapientum leguntur, desumta esse ex primo Chrysippi libro Περὶ Βίων. Cf. PLUTARCHUS De Communib. Notitiis pag. 1072. F. et pag. 1073. A. B. Eamdem sententiam Stoicis tribuit CICERO De Finibus Lib. III. cap. 20. his verbis: «Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur,» et Tusc. Disput.

Lib. IV. c. 34. «Stoici sapientem amaturum esse dicunt: et amorem ipsum, conatum amititiæ faciundæ ex pulchritudinis specie, definiunt.» Quo utroque loco consulendus est Jo. DAVISIUS. Add. MENAGIUS ad Diog. Laërt. Lib. VII. segm. 113. pag. 303. b. et JUST. LIPSIUS Manuduct. ad Stoic. Philosoph. Lib. III. diss. 16. (Opp. T. IV. pag. 513. sqq.).

E *Primo* item *Libro* Περὶ Βίων hæc profert PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1043. C. — ἀλλ' αὐτὸς ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Βίων, « βασιλείαν τε τὸν σοφὸν ἑκουσίως ἀνέχεσθαι, » λέγει, « χρηματιζόμενον ἀπ' αὐτῆς· κἂν αὐτὸς βασιλεύειν μὴ δύνηται, συμβιώσεται » βασιλεῖ, καὶ στρατεύσεται μετὰ βασιλέως, οἷος ἦν Ἰδάνθυρσος ὁ Σκύθης, » ἢ Λεύκων ὁ Ποντικός.» Et mox pag. eâd. D. « ὅτι γὰρ, » φησὶ, « καὶ » στρατεύσεται μετὰ δυναστῶν καὶ βιώσεται, πάλιν ἐπισκεψώμεθα τούτων ἐχό- » μενοι, τινῶν μὲν οὐδὲ ταῦτα ὑπονοούντων, διὰ τοὺς ὁμοίους ὑπολογισμοὺς, » ἡμῶν δὲ καὶ ταῦτα ἀπολιπόντων, διὰ τοὺς παραπλησίους λόγους. » ac tandem: « οὐ μόνον δὲ μετὰ τῶν προκεκοφότων ἐπὶ ποσὸν, καὶ ἐν ἀγωγαῖς καὶ » ἐν ἔθεσι ποιοῖς γεγονότων, οἷον παρὰ Λεύκωνι καὶ Ἰδανθύρσῳ » Eorumdem virorum cum laude meminit etiam Noster in hoc loco Plutarcheo, De Communib. Notitiis pag. 1061. D. Ἆρ' οὖν ὁμοίως ὑγείας ἐπιλιπούσης, αἰσθητηρίου καμόντος, οὐσίας ἀπολλυμένης, ἀφρόντιστός ἐστι, καὶ πρὸς αὐτὸν οὐδὲν ἡγούμενος τούτων ὁ σοφός; Ἢ « νόσων μὲν ἰατροῖς τελεῖ μισθοὺς, » χρημάτων δὲ ἕνεκα πρὸς Λεύκωνα πλεῖ τὸν ἐν Βοσπόρῳ δυνάστην, καὶ πρὸς « Ἰνδάθυρσον ἀποδημεῖ τὸν Σκύθην »; ὥς φησι Χρύσιππος· τῶν δὲ αἰσθήσεών ἐστιν ἃς ἀποβαλὼν, οὐδὲ ζῆν ὑπομένει; — Spectat eodem STRABO Lib. VII. pag. 461. C. Almelov. Tom. II. p. 434. extr. Falconer. Ὅρα δὲ ἃ λέγει Ἡρόδοτος περὶ τοῦ τῶν Σκυθῶν βασιλέως, ἐφ' ὃν ἐστράτευσε Δαρεῖος καὶ τὰ ἐπεσταλμένα παρ' αὐτοῦ. Ὅρα δὲ καὶ ἃ λέγει Χρύσιππος περὶ τῶν τοῦ Βοσπόρου βασιλέων τῶν περὶ Λεύκωνα (199): ubi vid. INTERPRETES.

---

(199) WYTTENBACHIUS V. C. ad Plutarchi Moral. Tom. II. p. 1048.

Loci Herodotei sunt Lib. IV. c. 76. 120. 127. unde sua etiam hausit PLUTARCHUS, Regg. et Imperator. Apophthegm. pag. 174. E. ad quem locum de variâ nominis Ἰδάνθυρσος scripturâ monuit WYTTENBACHIUS T. II. pag. 1048. De Leucone qui plura desiderat is adeat PETR. WESSELINGIUM, ad Diodor. Siculum Lib. XIV. cap. 93. T. I. pag. 713. b. Add. FRID. AUG. WOLFIUS ad Demosth. Leptin. pag. 249. sq. Cum Agathyrso (Herodot. Lib. IV. cap. 10.) eum conjungit DIO CHRYSOSTOMUS De Regno Or. II. pag. 35. D. T. I. pag. 101. Reisk. Sed errore forsitan inductus pro Ἰδάθυρσον eo loco scripsit Ἀγάθυρσον, ut suspicatur WYTTENBACHIUS l. l. — Chrysippea deinde sic refutat PLUTARCHUS, De Stoicis Repugn. pag. 1043. D. E. Καλλισθένει τινὲς ἐγκαλοῦσιν, ὅτι πρὸς Ἀλέξανδρον ἔπλευσεν, ἐλπίζων ἀναστήσειν Ὄλυνθον, ὡς Στάγειρα Ἀριστοτέλης. Ἔφορον δὲ καὶ Ξενοκράτην καὶ Μενέδημον ἐπαινοῦσι παραιτησαμένους τὸν Ἀλέξανδρον· Ὁ δὲ Χρύσιππος ἕνεκα χρηματισμοῦ τὸν σοφὸν ἐπὶ κεφαλὴν ἐς Παντικάπαιον ὠθεῖ καὶ τὴν Σκυθῶν ἐρημίαν. Ὅτι γὰρ ἐργασίας ἕνεκα καὶ χρηματισμοῦ ταῦτα ποιεῖ, καὶ προδεδήλωκε, « τρεῖς, » ὑποθεμένος, « ἁρμόζοντας μάλιστα τῷ σοφῷ χρηματισμοὺς, τὸν ἀπὸ βασιλείας, καὶ τὸν ἀπὸ » φίλων, καὶ τρίτον ἐπὶ τούτοις τὸν ἀπὸ σοφιστείας (200). » Καίτοι πολλαχοῦ μὲν ἀποκναίει ταῦτ' ἐπαινῶν·

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον.
Δήμητρος ἀκτῆς καὶ πόματος ὑδρηχόου;

Et rursus pag. 1047. F. dicit Chrysippum in libris Περὶ Βίων asserere: « τὸν μὲν σοφὸν καὶ βασιλεῦσι συνέσεσθαι, ἕνεκα χρηματισμοῦ, καὶ σο-

---

additis perpaucis postrema hæc sic censet esse legenda: περὶ αὐτοῦ καὶ τῶν τοῦ Βοσπόρου κ. τ. λ.

(200) Ipsum hunc locum tractans plura quæ huc pertinent dedit WYTTENBACHIUS l. l. p. 575.

» φιςεύσειν ἐπ' ἀργυρίῳ, παρ' ὧν μὲν προλαμβάνοντα, πρὸς οὓς δὲ συντιθέμε-» νον τῶν μαθητῶν. » Laudato Euripidis dicto ex incertâ ejus tragœdiâ desumto sæpissime usum esse Chrysippum testatur etiam GELLIUS N. A. Lib. VII. cap. 16. Celeberrimum illud est et multis Veterum memoratum, qui indicati reperiuntur in Editione Musgravianâ Tom. III. pag. 594. Simile est quod ad Timotheum Epist. I. scripsit APOSTOLUS, Cap. VI. v. 8. — ἔχοντες δὲ διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα: ubi INTERPRETES, H. GROTIUS præcipue, multa de hâc sententiâ collegerunt.

Ex *Quarto Libro* hæc etiam habemus apud eumdem PLUTARCHUM De Stoic. Repugn. pag. 1033. D. Αὐτὸς γοῦν Χρύσιππος ἐν τῷ τετάρτῳ Περὶ Βίων, οὐδὲν οἴεται τὸν σχολαςικὸν βίον τοῦ ἡδονικοῦ διαφέρειν· αὐτὰς δὲ παραθήσομαι τὰς λέξεις· « Ὅσοι δὲ ὑπολαμβάνουσι φιλοσό-» φοις ἐπιβάλλειν μάλιςα τὸν σχολαςικὸν βίον ἀπ' ἀρχῆς, οὗτοί μοι δοκοῦσι » διαμαρτάνειν, ὑπονοοῦντες διαγωγῆς τινος ἕνεκεν δεῖν τοῦτο ποιεῖν, ἢ ἄλλου » τινὸς τούτῳ παραπλησίου, καὶ τὸν ὅλον βίον οὕτω πως διελκύσαι· τοῦτο » δ' ἔςιν, ἂν σαφῶς θεωρηθῇ, ἡδέως· οὐ γὰρ δεῖ λανθάνειν τὴν ὑπόνοιαν αὐτῶν, » πολλῶν μὲν σαφῶς τοῦτο λεγόντων, οὐκ ὀλίγων δὲ ἀδηλότερον. » Animadvertendum est hoc loco, Chrysippum ipsum non e præceptis suis vitam instituisse, ut Plutarchus etiam asserit. Licet enim illi placeret sapienti rempublicam esse capessendam, ipse tamen in vitâ otiosâ et scholasticâ consenuit; ut vidimus in primâ hujus Dissertationis parte. Fortasse non sapientem illum se esse existimabat, quem ipse descripserat. D. AUGUSTINUS quidem Contra Acad. Lib. III. cap. 6. ait: « Ergo Chrysippus si interrogetur quis sit sapiens, respondebit eum esse quem ipse descripserit. » Sed PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1048. E. testatur Chrysippum neque se ipsum pronuntiasse virum bonum, neque quemquam ex discipulis vel præceptoribus suis. Nec vita solum Chrysippi ab ejus doctrinâ abhorruit, sed etiam

quod in eodem *Libro Quarto* dixit, *Sapientem otiosum esse nec curiosum et sua tantum negotia tractare*, teste PLUTARCHO De Stoicis Repugn. pag. 1043. A. B. cum iis quæ ab eo scripta esse modo vidimus, congruere non videntur. Ita autem hunc Chrysippi locum profert Plutarchus : — ἐν τῷ τετάρτῳ (sc. Περὶ Βίων βιβλίῳ) λέγει, « τὸν σοφὸν ἀπράγμονά τε εἶναι καὶ ἰδιοπράγμονα, καὶ τὰ αὐτοῦ πράττειν. » ἔςι δὲ ἡ λέξις αὕτη· « Οἶμαι γὰρ ἔγωγε, τὸν φρόνιμον καὶ » ἀπράγμονα εἶναι καὶ ὀλιγοπράγμονα, καὶ τὰ αὐτοῦ πράττειν ὁμοίως (201), » τῆς τε αὐτοπραγίας καὶ ὀλιγοπραγμοσύνης ἀςείων ὄντων. » Quæ quomodo intelligenda sint cognosci potest e præstantissimâ Annotatione WYTTENBACHII ad Plutarch. De Discrim. Adulat. ab Amico pag. 57. D. T. I. pag. 468. Huc vero trahenda esse videntur quæ refert JO. STOBÆUS Sermon. XLIII. pag. 304. lin. 27. Tigur. Χρύσιππος ἐρωτηθεὶς, διὰ τί οὐ πολιτεύσεται, εἶπε· « διότι εἰ μὲν πονηρά τις πολί» τεύηται, τοῖς θεοῖς ἀπαρέσει· εἰ δὲ χρηςὰ, τοῖς πολίταις. »

Alia ex eodem Chrysippi *Libro Quarto* nobis suppeditat PLUTARCHUS De Stoicis Repugn. pag. 1036. D. E. quæ sic habent : « Οὐχ ὡς ἔτυχε δὲ οὐδὲ τοὺς ἐναντίους ὑποδεικτέον λόγους οὐδὲ πρὸς » τὰ ἐναντία πιθανὰ, ἀλλ' εὐλαβουμένους, μὴ καὶ περισπασθέντες ὑπ' αὐ» τῶν, τὰς καταλήψεις ἀφῶσιν, οὐδὲ τῶν λύσεων ἱκανῶς ἂν ἀκοῦσαι δυνάμε» νοι, καταλαμβάνοντές τε εὐαποσείςως· ἐπεὶ καὶ οἱ κατὰ συνήθειαν καταλαμ» βάνοντες καὶ τὰ αἰσθητὰ, καὶ τὰ ἄλλα, ἐκ τῶν αἰσθήσεων ῥᾳδίως προΐενται » ταῦτα, καὶ ὑπὸ τῶν Μεγαρικῶν ἐρωτημάτων περισπώμενοι, καὶ ὑπ' ἄλλων » πλειόνων καὶ δυναμικωτέρων ἐρωτημάτων. » Item in *Quarto* hoc *Libro* de Philosophiæ partitione hæc posuit Chrysippus, teste PLUTARCHO Op. mem. pag. 1035. A. B. Ἀρκέσει παραθέσθαι τὰ ἐν τῷ τε-

(201) WYTTENBACHIUS suspicatur legendum esse ὅμως, quod sane meliorem sensum efficiat.

τάρτῳ Περὶ Βίων ἔχοντα κατὰ λέξιν οὕτω· « Πρῶτον μὲν οὖν δοκεῖ μοι κατὰ » τὰ ὀρθῶς ὑπὸ τῶν ἀρχαίων εἰρημένα, τρία γένη τῶν τοῦ φιλοσόφου θεωρημά- » των εἶναι· τὰ μὲν λογικὰ, τὰ δὲ ἠθικὰ, τὰ δὲ φυσικά· εἶτα τούτων δεῖν τάτ- » τεσθαι πρῶτα μὲν, τὰ λογικὰ, δεύτερα δὲ, τὰ ἠθικὰ, τρίτα δὲ, τὰ φυσικά· » τῶν δὲ φυσικῶν ἔσχατος εἶναι ὁ περὶ τῶν θεῶν λόγος· διὸ καὶ τελετὰς ἠγόρευσαν » τὰς τούτων παραδόσεις. » Sed hac de re copiosius nos jam in superioribus egimus, Part. II. Cap. I. §§. XV. XVI et XVII.

§. CXXXIII.

ΣΥΓΓΡΑΜΜΑ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΡΧΑΙΩΝ ΦΥΣΙΟΛΟΓΩΝ.

Hujus operis meminit DIOGENES LAERTIUS in Vitâ Chrysippi segm. 187. Εἰσὶ δὲ οἱ κατατρέχουσι τοῦ Χρυσίππου (202) ὡς πολλὰ αἰσχρῶς καὶ ἀρρήτως ἀναγεγραφότος. Ἐν μὲν γὰρ τῷ Περὶ τῶν Ἀρχαίων Φυσιολόγων Συγγράμματι αἰσχρῶς τὰ περὶ τὴν Ἥραν καὶ τὸν Δία ἀναπλάττει, λέγων κατὰ τοὺς ἑξακοσίους στίχους ἃ μηδεὶς ἠτυχηκὼς μολύνειν τὸ στόμα, εἴποι ἄν. Αἰσχροτάτην γὰρ (φασὶ) ταύτην ἀναπλάττει ἱστορίαν, εἰ καὶ ἐπαινεῖ ὡς φυσικὴν, χαμαιτύπαις μᾶλλον πρέπουσαν ἢ θεοῖς· μήτε γὰρ παρὰ Πολέμωνι, μήτε παρ' Ὑψικράτει, ἀλλὰ μηδὲ παρ' Ἀντιγόνῳ εἶναι· ὑπ' αὐτοῦ δὲ πεπλάσθαι. Huc spectat quod apud ORIGENEM Contra Celsum Lib. IV. pag. 196. lin. 19. ed. Spencer. legimus: Καὶ τί με δεῖ καταλέγειν τὰς περὶ θεῶν ἀτόπους Ἑλλήνων ἱστορίας, αἰσχύνης αὐτόθεν ἀξίας, καὶ ἀλληγορουμένας; ὅπου γε ὁ Σολεὺς Χρύσιππος, ὁ τὴν Στοὰν τῶν φιλοσόφων πολλοῖς συγγράμμασι συνετοῖς (al. νοητοῖς) κεκοσμηκέναι νομιζόμενος, παρερμηνεύει γραφὴν

---

(202) Notanda est hæc locutio, de qua cf. H. STEPHANI Thes. L. Gr. T. III. col. 1662. C. D. ubi noster ipse locus in exemplis legitur. Add. quæ nuperrime de illâ monuit Cel. CREUZERUS ad Olympiodor. Comment. in Platon. Alcib. Prior. pag. 124.

τὴν ἐν Σάμῳ, ἐν ᾗ (al. οἷς) ἀῤῥητοποιοῦσα ἡ Ἥρα τὸν Δία ἐγέγραπτο. Eamdem rem a Chrysippo in *Amatoriis Epistolis* esse memoratam, perhibetur in Clementin. Homil. V. cap. 18. (Tom. I. pag. 667. Collect. Coteler.) Χρύσιππος δὲ ἐν ταῖς Ἐρωτικαῖς Ἐπιστολαῖς καὶ τῆς ἐν Ἄργει εἰκόνος μέμνηται, πρὸς τὸ τοῦ Διὸς αἰδοίῳ φέρων τῆς Ἥρας τὸ πρόσωπον. Ad quem locum COTELERIUS not. 10 adfert etiam THEOPHILUM ANTIOCHENUM, ad Antolycum Lib. III. p. 118. sq. 122. ubi sic: Χρύσιππος δὲ ὁ πολλὰ φλυαρήσας πῶς οὐχὶ εὑρίσκεται, σημαίνων τὴν Ἥραν στόματι μιαρῷ συγγίνεσθαι τῷ Διΐ; (203) — Apparet igitur ex hoc quoque loco, de eâdem re sæpius in diversis operibus scripsisse Chrysippum, quod supra jam docuimus Part. I. §. VIII. not. 39. — Ad *Amatorias* Chrysippi *Epistolas* quod attinet, illas fuisse easdem existimo quas sub Epicuri nomine scriptas commemorat DIOGENES LAERTIUS Lib. X. segm. 3. Διότιμος δὲ ὁ Στωϊκὸς δυσμενῶς ἔχων πρὸς αὐτὸν (τὸν Ἐπίκουρον), πικρότατα αὐτὸν διαβέβληκεν, ἐπιστολὰς φέρων πεντήκοντα ἀσελγεῖς, ὡς Ἐπικούρου· καὶ τὰ εἰς Χρύσιππον ἀναφερόμενα Ἐπιστόλια, ὡς Ἐπικούρου συντάξας. Nam ex loco supra allato satis apparet obscœnis rebus has epistolas fuisse repletas. Fuisse autem librum De Antiquis Physiologis partem majoris operis Περὶ Βίων, verisimili conjecturâ existimabat G. J. VOSSIUS De Historicis Græcis Lib. I. cap. 17. pag. 112. Solebant enim scriptores Græci operum majorem singulas partes λόγους aut τόμους aut συγγράμματα appellare: cujus rei testem MENAGIUS laudat CASAUBONUM ad Polybium. Idem VOSSIUS l. l. suspicari videtur, auctorem hujus operis non Solensem fuisse Chrysippum, sed ejus cognominem Cnidium, Medicum; de quo diximus supra Part. I. §. XII. Qua in re nos certe non habuerit consentientes.

---

(203) De nefario libidinis genere, stuprum ore exercendi, plura collegit GEBH. ELMENHORST ad Arnobium Adv. Gent. Lib. II. pag. 56. Hamb. 1610. fol. pag. 91. Lugd. Bat. 1651. 4.

§ CXXXIV.

ΠΕΡΙ ΔΟΓΜΑΤΩΝ.

Laudatur a Jo. STOBÆO Eclogg. Lib. II. pag. 242. Heeren. Περὶ γὰρ πάντων τῶν παραδόξων δογμάτων ἐν πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις ὁ Χρύσιππος διελέχθη, καί γε ἐν τῷ Περὶ Δογμάτων, καὶ ἐν ἄλλοις πολλοῖς τῶν κατὰ μέρος συγγραμμάτων. HEERENIUS ad hunc locum eumdem esse hunc librum existimat atque illum qui a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 199. memoratur ita inscriptus: Πιθανὰ λήμματα εἰς τὰ δόγματα, πρὸς Φιλομαθῆ, γʹ.

§. CXXXV.

ΛΟΓΙΚΑ ΖΗΤΟΥΜΕΝΑ.

Monet MENAGIUS ad Diogenem Laërtium pag. 346. citari hoc opus a GALENO in Epilogo libelli qui inscribitur Ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται. Equidem in Basileensi editione, quæ sola mihi ad manus erat, nullam ejusmodi mentionem potui reperire. Quod non mirabar cum postea didicissem a FABRICIO, Bibl. Gr. Tom. V. pag. 436. Harl. opusculum illud a fine mutilum a CHARTERIO tandem in majori ipsius editione esse integratum.

§. CXXXVI.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΚΥΡΙΩΣ ΚΕΧΡΗΣΘΑΙ ΖΗΝΩΝΑ ΤΟΙΣ ΟΝΟΜΑΣΙΝ.

Rationem, cur hoc opus conscripserit Chrysippus, habemus apud CICERONEM De Finibus Lib. III. cap. 2. « Zeno non tam

rerum inventor fuit, quam novorum verborum : » et apud GALENUM De Differentiâ Pulsuum Lib. III. Tom. III. pag. 32. lin. 24. Basil. qui cum Chrysippi exemplum eâdem in re perniciosum esse dixisset, ita pergit : Καὶ Ζήνων δὲ ὁ Κιτιεὺς, ἔτι πρότερον ἐτόλμησε καινοτομεῖν τε καὶ ὑπερβαίνειν τὸ τῶν Ἑλλήνων ἔθος ἐν τοῖς ὀνόμασιν.

Memoratur autem a DIOGENE LAERTIO Lib. VII. segm. 122. ubi dicit ex Stoicorum sententiâ non modo liberos esse Sapientes, verum etiam reges, ejusque rei hanc subjicit rationem : — τῆς βασιλείας οὔσης ἀρχῆς ἀνυπευθύνου, ἥτις περὶ μόνους ἂν τοὺς σοφοὺς σαίη, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ Τοῦ Κυρίως Κεχρῆσθαι Ζήνωνα Τοῖς Ὀνόμασιν· ἐγνωκέναι γάρ φησι δεῖν τὸν ἄρχοντα περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν· μηδένα δὲ τῶν φαύλων ἐπίσασθαι ταῦτα. Ex eodem fonte fluxerunt quæ habet Jo. STOBÆUS Eclogg. Lib. II. cap. 7. pag. 222. Heer. — καὶ μόνον εἶναι τὸν σοφὸν βασιλέα τε καὶ βασιλικὸν, τῶν δὲ φαύλων μηδένα (sc. λέγουσιν οἱ Στωϊκοί)· τὴν γὰρ βασιλείαν ἀρχὴν ἀνυπεύθυνον εἶναι καὶ τὴν ἀνωτάτω καὶ τὴν ἐπὶ πάσαις : quæ quemadmodum intellexerint Stoici, IDEM declarat pag. 206. Ἀσείοις δ' ἔτι καὶ τὴν ἀρχὴν κατανέμουσι ἢ ἐπισασίαν καὶ τὰ ταύτης εἴδη, κ. τ. λ. Κατὰ τοῦτο δὴ καὶ μόνος ὁ σπουδαῖός ἄρχει, καὶ εἰ μὴ πάντως κατ' ἐνέργειαν, κατὰ διάθεσιν δὲ καὶ πάντως· κ. τ. λ. et CICERO Paradox. V. cap. I. §. 33. « Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, ceteras animi labes repellat! tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. » Unde sua etiam desumsisse videtur D. AUGUSTINUS De Civit. Dei Lib. IV. cap. 3. « Bonus, etiamsi serviat, liber est; malus, etiamsi regnet, servus est : nec unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum quot vitiorum; de quibus cum ageret scriptura divina : A quo enim

quis, inquit, devictus est, huic et servus addictus est.» Cf. etiam PLUTARCHUS De Communibus Notit. pag. 1060. B. De toto autem hoc Stoicorum placito plura congessit JUST. LIPSIUS, Manuduct. ad Stoic. Philos. Lib. III. diss. 12 et 13. (Opp. T. IV. pag. 509. sqq.).

§. CXXXVII.

ΑΙ ΠΡΟΣ ΑΡΚΕΣΙΛΑΟΝ ΑΝΤΙΓΡΑΦΑΙ.

MENAGIUS ad Diogenem Laërt. pag. 346. a. « Αἱ πρὸς Ἀρκεσίλαον ἀντιγραφαί] Plutarchus De Contradict. Stoicorum et de Oraculor. Defectu.» Hujus auctoritate confisus, sed immutare aliquid volens quin ipsum Plutarchum inspexisset, a Plutarcho, De Stoicis Repugn. passim hunc librum memorari lepide dixit INTERPRES Stanleji Histor. Philos. P. VII. Chrys. Cap. IV. pag. 653. At neque in libro De Oraculorum Defectu ulla Operis a Chrysippo adversus Arcesilaum scripti mentio occurrit, neque in eo qui est De Stoicis Repugnantiis passim ejusmodi opus laudatur. In hoc enim pag. 1037. A. de dissensione inter Chrysippum et Arcesilaum hæc solummodo dicit PLUTARCHUS: αὐτὸς τοσαῦτα βιβλία γράφων κατὰ τῆς Συνηθείας, οἷς ὅ,τι ἀνεῦρες προσέθηκας, ὑπερβαλέσθαι φιλοτιμούμενος τὸν Ἀρκεσίλαον, οὐδένα τῶν ἐντυγχανόντων ἐπιταράξειν προσεδόκησας; Locus autem, ubi memorantur αἱ πρὸς Ἀρκεσίλαον ἀντιγραφαί, est De Communib. Notitiis pag. 1059. B. Εἶτά τις εἶπεν αὐτῶν, ὡς οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλ' ἐκ προνοίας θεῶν νομίζοι μετ' Ἀρκεσίλαον καὶ πρὸ Καρνεάδου γεγονέναι Χρύσιππον, ὧν ὁ μὲν ὑπῆρξε τῆς εἰς τὴν συνήθειαν ὕβρεως καὶ παρανομίας, ὁ δὲ ἤνθησε μάλιστα τῶν Ἀκαδημιακῶν. Χρύσιππος οὖν ἐν μέσῳ γενόμενος, ταῖς πρὸς Ἀρκεσίλαον ἀντιγραφαῖς καὶ τὴν Καρνεάδου δεινότητα ἐνέφραξε κ. τ. λ. Unde quivis facile intelliget non peculiare hoc fuisse ita inscriptum Chrysippi opus, sed ἀντι-

γραφὰς h. l. de iis omnibus libris esse accipiendas, quibus Arcesilai rationem impugnare conabatur. In Laërtiano Indice semel tantum fit Arcesilai mentio idque in titulo libri Πρὸς τὸ Ἀρκεσιλάου μεθόδιον. Lib. VII. segm. 198.

§. CXXXVIII.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ ΕΠΟΜΕΝΟΥ.

Lamprias in Indice librorum Plutarchi ρμζ (147) meminit operis Περὶ τοῦ πρώτου ἑπομένου, πρὸς Χρύσιππον, h. e. De primâ illatione, contra Chrysippum. Cf. Fabricii Bibl. Gr. T. V. pag. 164. Harl. Unde non temere conjecisse videtur Menagius ad Laërtii Vitam Chrysippi pag. 346. scripsisse etiam Chrysippum Περὶ τοῦ Πρώτου Ἑπομένου.

§. CXXXIX.

ΠΕΡΙ ΜΕΓΕΘΩΝ ΚΑΙ ΠΛΗΘΩΝ.

De hoc argumento scripsisse Chrysippum satis declarare videntur verba Diogenis Laertii Vitâ Chrysippi segm. 183. sq: τέλος δὲ Ἀρκεσιλάῳ καὶ Λακύδῃ, καθά φησι Σωτίων ἐν τῷ ὀγδόῳ, παραγενομένοις (fort. παραγενόμενος) ἐν Ἀκαδημίᾳ συνεφιλοσόφησε· δι' ἣν αἰτίαν καὶ κατὰ τῆς Συνηθείας, καὶ ὑπὲρ αὐτῆς ἐπεχείρησε, καὶ Περὶ Μεγεθῶν καὶ Πληθῶν, τῇ τῶν Ἀκαδημιαϊκῶν συστάσει χρησάμενος.

§. CXL.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΜΕΡΩΝ.

Sola hujus operis mentio reperitur apud PLUTARCHUM De Communib. Notitiis pag. 1081. F. Ἐν δὲ τῷ τρίτῳ καὶ τετάρτῳ καὶ πέμπτῳ Περὶ τῶν Μερῶν, τίθησι (sc. Chrysippus) « τοῦ ἐνεστηκότος » χρόνου τὸ μὲν μέλλον εἶναι, τὸ δὲ παρεληλυθός. » Ὥστε συμβαίνει τὸ ὑπάρχον αὐτῷ τοῦ χρόνου διαιρεῖν εἰς τὰ μὴ ὑπάρχοντα τοῦ ὑπάρχοντος, μᾶλλον δὲ ὅλως τοῦ χρόνου μηδὲν ἀπολιπεῖν ὑπάρχον, εἰ τὸ ἐνεστηκὸς οὐδὲν ἔχει μέρος, ὃ μὴ μέλλον ἐστὶν, ἢ παρῳχημένον. De *Instanti Tempore* quid senserit Chrysippus explicuimus ad librum De Mundo: ubi quæ plura dedimus cum hoc ipso loco sunt conferenda.

§. CXLI.

ΙΤΑΛΙΚΑ.

PLUTARCHUS Parallel. Græc. et Roman. pag. 312. D. Παπίριος Βόλουκερ, γήμας Ἰουλίαν Πούλχραν, ἔσχεν ἓξ θυγατέρας καὶ τοὺς ἴσους ἄῤῥενας· τούτων ὁ πρεσβύτατος Παπίριος Ῥωμανὸς, τῆς ἀδελφῆς ἐρασθεὶς Κανουλίας, ἔγκυον ἐποίησε. Μαθὼν δὲ ὁ πατὴρ, τῇ θυγατρὶ ξίφος ἔπεμψεν· ἡ δὲ ἑαυτὴν ἀνεῖλε· τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ὁ Ῥωμανὸς ἔπραξεν· ὡς Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ Ἰταλικῶν. Dubitare quidem videtur G. J. VOSSIUS, De Histor. Græcis Lib. III. pag. 342. utrum e Nostro an ex alio quodam a Laërtio memoratorum quatuor Chrysipporum hæc sint desumta. Qua de re minime nos ambigendum esse censemus, quandoquidem et ab horum studiis et instituto ejusmodi scriptio alienior erat et Nostrum constat non uni Philosophiæ dedisse operam, sed in omni Historiâ maxime fuisse curiosum librosque in hoc genere conscripsisse. Conf. quæ diximus supra Part. I. §. VI. not. 29.

§. CXLII.

ΟΙ ΚΑΤΑ ΓΕΝΟΣ ΟΡΟΙ.

De Chrysippi libris Περὶ τῶν Ὅρων supra vidimus. Peculiari autem hac inscriptione Opus illius memoratur a GALENO De Hippocratis et Platonis Decretis Lib. IV. Tom. I. pag. 278. lin. 4. Basil. Τὴν τοίνυν ἐπιθυμίαν ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Παθῶν ὁρισάμενος ὄρεξιν ἄλογον, αὐτὴν πάλιν τὴν ὄρεξιν ἐν ἕκτῳ Τῶν Κατὰ Γένος Ὅρων, ὁρμὴν λογικὴν εἶναί φησιν ἐπί τι, ὅσον χρὴ ἦδον αὐτῷ. Οὕτω δὲ αὐτὴν ὁρίζεται κἀν τοῖς Περὶ τῆς Ὁρμῆς· ὥστε τὸν τῆς ἐπιθυμίας ὅρον ἀναπτυσσόμενον γίγνεσθαι τοιοῦτον· Ἐπιθυμία ἐςὶν ὁρμὴ λογικὴ ἐπί τι, ὅσον χρὴ ἦδον αὐτῷ ἄλογος. Hanc repugnantiam deinde suo more reprehendit Galenus.

§. CXLIII.

His tandem addamus alia quædam Chrysippi fragmenta quæ operis, unde depromta sunt, inscriptione omissâ adferuntur. Ac primum quidem apponemus locum de Philoxeni ingluvie, quem servavit ATHENÆUS L. I. p. 4. E. T. I. p. 20. Schweigh. — Ἀπὸ τούτου τοῦ Φιλοξένου καὶ φιλοξένειοί τινες πλακοῦντες ὠνομάσθησαν. Περὶ τούτου Χρύσιππός φησιν· « Ἐγὼ κατέχω (204) τινὰ ὀψοφάγον, ἐπὶ τοσοῦτον ἐκπεπ-
» τωκότα τοῦ μὴ ἐντρέπεσθαι (205) τοὺς πλησίον ἐπὶ τοῖς γινομένοις, ὥστε

---

(204) De rariori hâc significatione verbi κατέχειν monuerunt CASAUBONUS et SCHWEIGHÆUSERUS ad h. l. T. I. p. 69. Add. DIONYSIUS HALICARN. Ant. Rom. Lib. IV. p. 233. 2. Sylburg. κατέχειν λόγους, et ex Novo Testamento LUC. C. VIII. v. 15. PAULUS I. Corinth. Cap. XV. v. 2.

(205) Explicans hanc locutionem de Pleonasmo negativæ particulæ post negandi verba attulit nonnulla SCHWEIGHÆUSERUS l. l. quibus nos alia

» φανερῶς ἐν τοῖς βαλανείοις τήν τε χεῖρα συνεθίζειν πρὸς τὰ θερμὰ, καθιέντα » εἰς ὕδωρ θερμὸν, καὶ τὸ στόμα ἀναγαργαριζόμενον θερμῷ, ὅπως δηλονότι ἐν » τοῖς θερμοῖς δυσκίνητος ᾖ. Ἔφασαν γὰρ αὐτὸν καὶ τοὺς ὀψοποιοῦντας ὑποποι- » εῖσθαι, ἵνα θερμότατα παρατιθῶσι, καὶ μόνος καταναλίσκῃ αὐτὸς, τῶν λοιπῶν » συνακολουθεῖν μὴ δυναμένων. »

JO STOBÆUS Sermon. III. pag. 42. lin. 30. Tigur. Χρύσιππος ὁ Στωϊκὸς ἔφη, « τὴν διάνοιαν εἶναι λόγου πηγήν. » Quam sententiam ad Opus Περὶ Ψυχῆς esse referendam apparet ex GALENI loco, De Hippocr. et Plat. Decr. Lib. II. lin. 57. Basil. supra allato §. LXXXIII. pag. 186. — IDEM Serm. VII. pag. 87. extr. Ἔλεγεν ὁ Χρύσιππος, « ἀλγεῖν μὲν τὸν σοφὸν, μὴ βασανίζεσθαι δέ· μὴ γὰρ ἐνδιδόναι τῇ ψυχῇ· καὶ δεῖ- » σθαι μὲν, μὴ προσδέχεσθαι δέ. »

THEMISTIUS Orat. VIII. pag. 101. D. Harduin. Χρύσιππος ἄχρι τῶν ῥημάτων ἔοικεν ἀνδρίζεσθαι, ταὐτὸν δύνασθαι φάσκων ἀνδρὶ σπουδαίῳ μίαν ἡμέραν, μᾶλλον ἢ καὶ μίαν ὥραν, πολλοῖς ἐνιαυτοῖς·

THEODORETUS Therapeut. Sermon. VI. pag. 86. lin. 27. Heidelb. Sylb. Δημόκριτος δὲ, εἰ μή τι ἠπάτημαι, καὶ Χρύσιππος, ὁ μὲν δοῦλον, ὁ δὲ ἡμίδουλον ἐπινοεῖ τὸ κάλλιςον τῶν ἀνθρωπίνων ἐπιδεῖξαι. — lin. 47.

---

quædam ex nostrâ lectione adjiciamus. HERODOTUS Lib. I. cap. 183. *ἀπαγορεύοντα μὴ κινέειν τὸν ἀνδρίαντα.* III. 128. *Δαρεῖος ἀπαγορεύει ὑμῖν μὴ δορυφορέειν Ὀροίτεα.* PHILOSTRATUS Vit. Apollon. Lib. I. cap. 26. *ἀπαγορεῦσαι μὴ συμφοιτᾶν.* Lib. VI. cap. 16. THUCYDIDES III. 6. III. 41. VII. 60. VIII. 1. XENOPHON Memorabil. I. 2. 33. Sed ad loci ab Athenæo prolati similitudinem proxime accedit Philostrateus, Vit. Apollon. III. 40 : *οὐ γὰρ ἂν διέφυγον τὸ μὴ μανῆναι.* Monuerunt de hoc usu aliaque exempla attulerunt L. F. HEINDORFIUS ad Platonis Lys. p. 205. A. ad Parmenidem p. 147. A. ad Sophist. p. 235. B. Cel. BOISSONADUS ad Philostrati Heroica p. 611. et INTERPRETES ad Gregorium Corinth. De Dial. L. Gr. p. 103. sq. Schæf. Conf. J. G. REUSSMANN. ad Devarii Libr. De Particulis L. Gr. p. 290.

καὶ ταῦτα ὁ Κυνικὸς κατ' αὐτῶν τοῦ Πυθίου καὶ Δημοκρίτου καὶ Χρυσίππου κατηγόρησεν· εἰκότως ἀγανακτῶν, ὅτι τοῦ ἡμετέρου νοῦ τὴν ἐλευθερίαν ἐξανδραποδίσαντες φύσιν τῇ τῆς εἱμαρμένης καὶ πεπρωμένης ἀνάγκῃ παρέδοσαν. Quæ hæc excipiunt, iis jam usi sumus supra Part. III. cap. III. §. XC. — p. 87. l. 23. καὶ Χρύσιππος δὲ ὁ Στωϊκὸς, μηδὲν διαφέρειν εἶπε τοῦ εἱμαρμένου τὸ κατηναγκασμένον· εἶναι δὲ τὴν εἱμαρμένην, κίνησιν ἀΐδιον, συνεχῆ καὶ τεταγμένην. Ubi variæ exhibentur eâ de re sententiæ cum Zenonis Stoicorumque, tum aliorum.

Galenus De Foetuum Formatione Tom. I. pag. 217. ed. Basil. cum dixisset omnes corporis animalis partes simul formari et augeri, hæc addit, lin. 13. τί ποτ' οὖν ἔδοξε Χρυσίππῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς φιλοσόφοις Στωϊκοῖς τε καὶ Περιπατητικοῖς ἀποφήνασθαι περὶ καρδίας, ὡς πρώτη τε φύεται τῶν τοῦ ζώου μορίων, ὑπ' αὐτῆς τε τἄλλα γίγνοιτο; καὶ ὡς τῷ πρώτως διαπλασθέντι καὶ φλεβῶν καὶ νεύρων, ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ἀρχήν; Idem Op. laud. pag. 215. lin. 47. Καλοῦμεν τὴν ψυχὴν ταύτην (h. e. ὑφ' ἧς τὸ κύημα διοικεῖται), ὅταν μὴ περὶ τούτου προκείμενον ᾖ σκοπεῖν, τῷ κοινῷ πάσης οὐσίας προσρήματι, φύσιν ὀνομάζοντες, ὃ κἂν ταῖς ἀκριβέσι σκέψεσιν οἱ περὶ Χρύσιππον ἐφύλαξαν, οὐχ ὡς Ἀριστοτέλης τε καὶ Πλάτων ἀποστάντες ὠνόμασαν, ἀμφότεροι μὲν ψυχὴν, ἀλλ' ὁ μὲν Ἀριστοτέλης τὸ θρεπτικὸν αὐτῆς προσθεὶς, ὁ δὲ Πλάτων τὸ ἐπιθυμητικόν.

Libanii Epist. Lat. Lib. II. ep. 21. pag. 759. b. Wolfii. « Abstulit fortuna, quod sponte dederat; virtus tibi reddet : veritas offeret, quæ invidorum malignitas tenebris involvere tentavit. Ut ergo Chrysippum dicere solitum Aristoni discipulo legimus, fortunæ et contemnendæ blanditiæ, et non curandæ sunt minæ, si omni virtutis clypeo protegere te possis. » Fuit autem Aristo (sc. Chius) Zenonis Citiensis discipulus, et Libanius, Chrysippi discipulum eum appellans, Sectam magis quam magistrum indicasse videtur; ut recte judicavit G. Wernsdorfius ad Hi-

merii Orat. pag. 124. ed. Harl. Conf. J. A. Fabricii Bibl. Gr. T. III. pag. 540. sqq.

Hieronymus Adv. Jovinian. Lib. I. fin. Tom. IV. col. 191. ed. Martinay. « Ridicule Chrysippus ducendam uxorem sapienti præcipit, ne Jovem Gamelium et Genethlium violet. Isto enim modo apud Latinos ducenda uxor non erit, quia Jovem non habent Nuptialem. » — Idem Adv. Pelagianos Tom. IV. col. 514. extr. « Zeno et Chrysippus statuunt posse hominem perturbationibus omnino carere; Peripatetici, difficile esse nec fieri hoc posse. »

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

F.

G.

H.

I.

T.



CORRIGENDA.

Præf. pag. VIII. not. 1. lin. 2. *pro* Miscellanæ *leg.* Miscellaneæ.
pag. 14. not. 5. lin. 3. *pro* gentilia *leg.* gentilitia.
p. 16. n. 10. l. 8. *pro* conjunctio *leg.* conjuncti.
p. 19. l. 7. *pro* colligisse *leg.* collegisse.
p. 27. not. l. 17. *pro* A. « Philosopho *leg.* « A Philosopho.
p. 35. l. 7. *post* exerceret, *excidit* eum.
p. 41. l. 7. *pro* Χρύψιππος *leg.* Κρύψιππος.
p. 62. l. ult. *pro* Illâ *leg.* Illa.
p. 63. not. 42. l. 3. *pro* Στωᾶς *leg.* Στοᾶς.
— — — l. 4. *pro* αἰθητὰ *leg.* αἰσθητὰ.
p. 65. lin. 5. *pro* ἀπλᾶ *leg.* ἁπλᾶ.
p. 71. not. 73. l. 4. *pro* ὁρμησει *leg.* ὁρμάσει.
p. 77. n. 91. l. ult. *pro* θίον *leg.* θεόν.
p. 88. n. 125. l. 7. *pro* ξῦλα *leg.* ξύλα.
— — n. 126. l. 3. *pro* ξῦλον *leg.* ξύλον.
p. 92. n. 140. l. 3. *pro* κόσμου *leg.* κόσμον.
p. 99. n. 164. vs. 1. *pro* αἰτίοωνται *leg.* αἰτιόωνται.
p. 125. l. 9. *pro* ἐξυβριζε *leg.* ἐξύβριζε.
p. 139. l. 7. *pro* ἀπλοῦς *leg.* ἁπλοῦς.
p. 144. §. LXX. l. 3. *pro* ἐκδοδεῖσιν *leg.* ἐκδοθεῖσιν.
p. 152. in fin. et sq. male apposuimus fragmentum quod commodius deinde p. 170. sq. ad Libros Περὶ Κόσμου retulimus.
p. 153. l. 2. *pro* ἦτε *leg.* ἥ τε.
p. 157. l. 15. *pro* εἶναι *leg.* εἶναι.
p. 166. init. *pro* §. LXXVII. *leg.* §. LXXVIII.
p. 168. l. 2. *pro* eos *leg.* nos.
— — l. 7. *pro* δ' ὁ *leg.* δ' οὖ.
p. 169. l. ult. *pro* ἐν *leg.* μὲν.
p. 170. l. *pro* ἕκασα *leg.* ἕκαστα.
p. 179. l. 9. *pro* putabunt *leg.* putabant.
— — l. 19. *pro* τῶ *leg.* τῷ.
p. 182. l. 7. *post* de *excidit* re.
p. 195. l. 23. *pro* φαινει *leg.* φαίνει.
p. 206. l. antepen. *pro* ostendimus *leg.* ostendemus.
p. 209. l. 19. *pro* προσαγερεύουσι *leg.* προσαγορεύουσι.
p. 230. l. 2. *pro* Deo *leg.* De.
p. 242. l. 13. *pro* εὐρυένκα *leg.* εὐρύοπα.
p. 244. l. 24. *pro* πειραθη *leg.* πειραθῇ.
p. 246. §. XCVII. l. 5. *pro* commemorarat *leg.* commemorat.
p. 250. l. 1. *pro* Τριοζήνιος *leg.* Τροιζήνιος.
p. 257. l. 18. *post* conscriptos *comma ponendum* et *post* memorat *delendum.*
p. 270. l. 15. *post* Ad *signum distinctionis delendum.*

CORRIGENDA.

p. 288. l. 8. *pro* πλειανάζουσαι *leg.* πλεονάζουσαι.
p. 321. not. l. 1. *pro* Stephon. *leg.* Stephan.
p. 330. n. 193. vs. 4. *pro* Ῥίπτειν *leg.* Ῥιπτεῖν.
p. 333. §. CXXV. l. 9. *pro* præcipuæ *leg.* præcipue.
p. 334. §. CXXVI. l. 3. *pro* πούς *leg.* τούς.
p. 335. l. 3. *pro* σοφῶ *leg.* σοφῷ.

Quæ mihi præterea notaveram typographi menda, cum leviora sint quam ut legentes turbare possint, ea omittenda esse satius duxi.

Reliquum est, ut in fine hujus Commentationis moneam Lectores Benevolos, me hoc ipso tempore illud cum maxime agere, ut cum in Stoicorum tum in Chrysippi potissimum Philosophiam penitus me insinuem et quæ nunc omissa fortasse a me sint, ex omni Scriptorum genere conquiram : idque eo consilio, ut posthac sive supplementum hujus Opusculi addam sive etiam, aliis resecandis, aliis augendis aut melius dijudicandis, totum illud refingam atque sic emendatius et limatius eruditorum judicio denuo subjiciam.

XI.

ANTONII JOSEPHI NIHOUL

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM MEDICAM.

ANTONII JOSEPHI NIHOUL

EX S[cti] GERMANI, IN PROVINCIA NAMURCENSI,

MEDICINÆ IN ACADEMIA LOVANIENSI
CANDIDATI

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE MEDICORUM PROPOSITAM:

Quæritur *functionis hepatis expositio; et quidem primo ex propriâ suâ constructione; deinde ex relatione suâ cum aliis corporis humani partibus, datâ simul explicatione utilitatis in œconomia animali illius quidem productionis, quam bilem vocant, quamque multi adhuc, qui medicam artem tractant, inimicissimam generis humani materiem insequuntur.*

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT VIII. IDUS OCTOBR. MDCCCXXI.

I.



Duo viscera sunt, a quibus fere omne morborum chronicorum genus oritur, pulmo, a quo tabes, hepar, a quo innumerabiles lentique morbi.

Boerhaave Prælect. academic., cnm not. Haller.
Amstelodami, 1742. Tom. 5, p. 186.

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM MEDICAM.

PROOEMIUM.

Antequam scribendi susciperem onus, totam quæstionem quasi analytice dissolvi in suas partes: hinc nata est veluti ossea compages quæ carnibus suis erat vestienda. Quo ritu factum est ut, tuto pede, ab uno ad aliud incederem argumentum, neque per tenebras progrederer. Verebar quam maxime ne tale conscriberem opus, in quo nec pes nec caput uni redderetur formæ. Quod ut averterem, ad celeb. Gaubii exemplar (1), diu, antequam scriberem, meditabar, uti omnia ritè ordinarentur. Jd consecutum me fuisse non præsumo; sed

(1) Institut. Pathol. medicinal. Præfat. Joh. Dav. Hahnii. pag. VIII.

satis fuero felix, si patula omninò ordinandæ materiei vitia non admiserim. Dicent fortassis aliqui longius presecutum me esse visceris anatomiam. Nonnulli, ex commilitonibus meis, diligentiâ indefessâ et sapientiâ non minus conspicui quam consilio, idipsum notavere mihi, anatomemque fere resecâram paucis contentus, dum illius iterum necessitatem penitissime agnovi. Petitur enim ut, ex viceris anatomià, illius in oeconomiâ animali utilitates enucleentur. Exinde reddens incudi opus meum, anatomiam dedi profuse, ita tamen ut physiologica anatomicis remiscens, utile dulci conjungerem. Rem ipsam, Marheriano ductus exemplo, non digessi in capita, paragraphos, sectiones; ne quid orationis filum interrumperet. Sic, quodam modo, bonum Homerum imitatus sum qui, ex verbis Horatii,

« Semper ad eventum festinat; et in medias res non secus ac notas
« auditorem rapit; et quæ desperat tractata nitescere posse relinquit.

Non negabo multa ad statum pathologicum pertinere; verum ideo adducuntur, quod ea quæ, in statu physiologico, vix aut ne vix quidem sunt conspicua, in apricum constituant.

DISSERTATIO DE HEPATE,

EJUSQUE FUNCTIONIBUS.

In cavi abdominalis sede supremâ dextrâ reconditum hæret viscus ingens, impar, asymmetricum, pondere suo, cæterorum facile princeps viscerum, quod ab hypochondrio inde dextro in epigastrium et non raro usque in hypochondrium sinistrum producitur, bili, notissimâ utilitate, secernendæ, excernendæ, et partim, in appensâ sibi vesiculâ, ad tempus, conservandæ destinatum. Hoc latini *jecur,* græci vero dixerunt ηπαρ. Totum implet hypochondrium dextrum, hincque parte suâ sinistrâ gracilescens, in epigastricam regionem suprâ ventriculum, infra septum transversum, extenditur : quandoque in hypochondrium usque sinistrum exporrigitur : lienisque corpori attiguum adnatumque repertum est (1). Ex his situs intelligitur et primaria visceris nostri utilitas. Non est tamen situs ille in dextrâ sede ita constans et fixus ut nulli unquam, hâc in re, naturæ lusus fuerint observati. Stollius (2) exemplum reliquit in quo viscera tum pectoris, tum abdominis in situ mutata erant, ut hepar in sinistrâ parte reperiretur et reli-

(1) Hepar lieni adnatum vidit unus e meis in hâc universitate commilitonibus.

(2) Rat. Medend. Tom. I, pag. 181. *Lugd. Batav.* 1786.

qua. Inordinati illius naturæ lusus duo casus cel. Portal oblati sunt (1). Tandem consimilia narrant Troschel, Haller, Gaubius, De Haen, Bichat, Diaria medica, cæt.

Figura Hepatis summopere irregularis est, ideoque difficilis dictu et non ante intelligenda rite, quam partium vicinarum ratio habeatur : quà septum respicit, convexum est; quà autem colo renique dextro attiguum est, concavum novimus illud. Porro sexto duntaxat anno, stabiles nanciscitur formas (2).

Color plerumque rubri saturatioris est, et pondus in adulto communiter ad tres libras æstimatur.

Densitate autem suâ uni reni secundum, specificam aquæ gravitatem superat. Superius concavâ diaphragmatis fornice, quasi modulo suo, susceptum est atque definitum, inferius vero extra basim pectoris vix dependet sanum.

Pro descriptionis anatomicæ commodo consuevit distribui in *faciem superiorem*, *inferiorem* et *ambitum*.

Hepatis facies superior undique gibba, ita sursum in lævâ parte, in medio sursum retrorsumque, et ad dextra extrorsum inflexa est ut, quaqua versus, diaphragma habeat impositum, a quo ligamenti suspensorii nomine duplicatum acquirit peritonæum. Hæc peritonæi appendix in parte convexâ, et umbilicalis venæ fossa in parte concavâ, hepatis lobum majorem dextrum, a minori sinistro separant.

Hepatis facies inferior nonnihil sima plusculis sulcis, valleculis, eminentiolis jugiter inæqualis est, lobis quandoque errati-

(1) Anatom. médic. Tom. V, pag. 101. *Paris*, 1803.
(2) Dict. des scienc. méd. art. Foie.

cis (1) conspicua, aut fossulis quibusdam longioribus, quasi fissuris, nullo certo numero aut loco circumscribendis (2). Verum a lævis ad dextra potissimum obtutibus hærent sæquentia.

1°. Levissime excavata e lobo sinistro vallecula, quâ extenso infra ventriculo infulcitur.

2°. Sulcus longitudinalis, aut venæ umbilicalis dictus, qui recta procedens retrorsum, totam extensionem ab anterioribus ad posteriora faciei inferioris emetitur. Ponte sæpius, in parte præprimis anticâ mediâ, protectus ab uno in alterum lobum conjecto, antrorsum venam umbilicalem, postrorsum autem ductum venosum recipit hospitio qui, post ortum, in funiculos indurantur fibrosos et obcæcantur. Sic abolito venæ umbilicalis numere, nomine ligamenti umbilicalis fruebatur antiquitus (3) hæc vena.

3°. Sulcus transversus, sive sulcus venæ portarum. Ipse ille est sulcus qui, principio in dextro lobo graciliori, exitu vero sinistrorsum latescente, sinum venæ portarum excipit, arteriam hepaticam, circumludentia hisce vasis nervea filamenta, lymphatica vasa, atque providam illam, quâ uniuntur arctissime, telam cellularem densam firmamque. Sulcus transversus umbilicalem secat ad angulos rectos, minus profundus, minus longus, sed officio suo evidenter præpollens, à dextris ad sinistra extensus, trienti hepatis medio inscriptus est, æquali fere ab antico et postico margine distantiâ, nunquam hepatico ponte contectus (4).

(1) Hall. Element. physiol. Tom. VI, pag. 472. *Lugd. Batav.* 1764.
(2) Verheyen. Lib. I, pag. 89. *Bruxellis*, 1726.
(3) *Idem. Ibid.* pag. 90.
(4) Hall. Elem. phys. Tom. VI, pag. 469. *Lugd. Batav.* 1764.

4°. Sulcus venæ cavæ inferioris qui, postico hepatis convexo margini proximus, obliquus ascendit dextrorsum, sæpe multa visceris carne aut peritonæi propagine, veluti injecto ponte, contectus, ut in tubum circinetur, pro venæ cavæ transitu.

5°. Binæ extantiæ quas πύλασ Græci, latini autem portas vocaverunt, a viarum angustarum similitudine quas colles utrinque circumstant : una *anterior* est, altera que *posterior*. Illa lata, gracilis, vix conspicua, medium umbilicalis venæ sulcum a vesiculæ fellis alveo antice discriminat : Hæc (Lobulus, spigelii lobus (1)) obtuse conica, papillaris, duplici à majore lobo enata radice, sursum extrorsumque, facto tubere, desinit in marginem convexum.

6°. A dextris portæ anterioris fossa ovata, parce excavata, peritonæo nuda, cellulari autem telâ obducta, quæ accumbentem vesiculam fellis excipit.

7°. Binæ impressiones quibus antice colo in arcum inflexo, postice reni dextro capsulæque respondet atrabilariæ.

Ambitus Hepatis utcumque quadrilaterus est, variâ in variis suæ extensionis tractibus crassitudine, peritonæoque contectus ubique, si partem posticam exceperis.

Anterius convexus est, tenuissimus, in cultri modum acutus, duplici emarginatus in loco, videlicet initio sulci umbilicalis, et infimâ parte alvei cystidis felleæ.

Retrorsum crassissimus est, ad dextra præsertim; et utroque suo fine dextro et sinistro, plicati peritonæi beneficio aut, liga-

(1) Non bene tamen a spigelio quasi inventore denominatus. Est enim illius, apud Hippocratem, de anatome, memoria.

mentis triangularibus dictis septo transverso revincitur, inter quæ seroso suo involucro caret moles hepatica. Verum et pars media centro phrenico agglutinatur, cellulosâ intercedente copiosâ firmissimâque, cui perperam anatomici multi ligamenti coronarii tribuere nomen (1). Hæc media pars exitu sulci venæ umbilicalis et venæ cavæ insignis est, obviosque præbet venarum hepaticarum truncos.

Dextrorsum nil notabile hepatis ambitus refert. Antrorsum tenuis, retrorsum crassus est ut, cum parte posticâ coeuns, insigne illud tuber procreent quod, sub costis spuriis dextris, antrum hypochondriacum claudit.

Sinistrorsum marginem tenuem convexumque monstrat aut appendicem, linguæ facie, quæ ad Lienem ipsum educitur non raro aut et huic adnascitur, uti supra diximus.

Intimam hepatis structuram, quâ elementis abundat anatomicis, sat obscuram esse lites anatomicorum confirmant. Acinos hepatis quos nemo negat, glandulosos aut cavos esse tuebatur Malpighius : cujus doctrinæ Verheynus (2), laus anatomica Lovaniensis, adhæsit. Econtrà vasculorum glomeres Ruyschius esse defendebat; hancque suam sententiam, arte suâ quâ excelluit inter omnes, ita stabilivit vir industrius, ut maximam partem anatomicorum et physiologorum traxerit in suam partem. « In hepatibus, inquit summus Boerhaavius (3) » per venam portarum exquisitè repletis, reperit nihil in » acinis nisi penicillos ex millenis exilissimis vasculis factos » quæ mutuo accubitu calami faciem exprimunt, in quem

(1) Boyer. Traité d'anatom. Tom. IV, pag. 390. *Paris*, 1809.
(2) *Idem.* Tom. I, pag. 91.
(3) Prælect. Academ. cum notis Hall. Tom. III, pag. 136.

» numerosarum setarum fasciculus insereretur. Atque ipsos » acinos, in aquâ calente concutiendo resolutos, in tales pe- » nicillos dissilire vidit, additque in iis ipsis penicillis et » venæ portarum et cavæ et arteriæ hepaticæ et ductuum bi- » lariorum ultima et minutissima stamina reperiri. » Huic sententiæ refragantur Bichat (1), Cloquet (2), dictionnarium scientiarum medicarum (3). Sed nonne ideo, quod a Ruyschianâ felicitate eorum tentamina exciderunt? Nolim negare. Certissimâ autem experimentorum fide cognoscimus (quod sententiam Ruyschii non mediocriter confirmat) esse communicationem inter minimas radiculas ductus hepatici et ramulos arteriosos venæ portarum ; inter ramulos ductus hepatici et ramulos arteriæ hepaticæ; inter ramulos hujus arteriæ et fines venæ portarum; inter ramulos ductus hepatici et venas hepaticas venamque cavam (4), ita ut diversissima hæc vasa tale mutuum inter se foveant commercium ut, hâc de causâ, de genuinâ et unicâ bilis scatebrâ dubium incautis possint relinquere. Est quoque vasis lymphaticis cum ductu hepatico suum commercium : nam aquâ, aere, lacte in ductum hunc injecto, vasa lymphatica replentur, et ligatis cum duodeno ductibus bilariis, eadem vascula, auctore Marhero (5), intumescunt, nodosaque apparent et geniculata (6). Hinc pronum est colligere vasis potissimum, ductibus hisque sociis nervis hæpar ædificari. Quamobrem, ut accuratam, pro viribus, sufficiamus visceris hujusce notionem, de his singulatim, postquam de membranis quibus involvitur, agemus.

(1) Anat. Descrip. Tom. V, pag. 94. *Paris*, 1803.
(2) Anat. Descrip. Tom. II, pag. 1033. *Paris*, 1816.
(3) Article Foie.
(4) Marher. Prælect. physiolog. Tom. II, pag. 462. *Lovanii*, 1778.
(5) Prælect. physiol. Tom. II, pag. 463.
(6) Verheyen. Tom. I, pag. 99. Tab. XII, fig. 4.

Membrana hepatis extima communis est peritonæi propago, quod a concavâ diaphragmatis fornice abscedens, tribus imprimis locis, duplicatum jecur advenit. Inde fissum in hoc viscus expanditur in membranam translucidam, tenuem, levigatam, perpetique udam balneo abdominali. Eadem ad hepar ubique propemodum firmatur, si excipias exculptos e sede visceris inferiori sulcos, venæ umbilicalis, venæ portarum, et cavæ, folliculi fellei foveolam et intervalla inter secedentes ab invicem ligamentorum hepatis laminas. Verum in cunctis aliis punctis substratæ tunicæ cellulosæ glutinatur. Ab hepate discedens omentum gastro hepaticum format, hiatum penetrat Winslowianum, et ad cavitatem epiploicam gignendam non mediocriter inservit; sed hæc, sub expositione peritonæi, felicius lucidiusque declarantur (1).

Subjacet membrana cellulosa, patens latius, et eo quocumque penetrans, quo membrana exterior nequit pertingere. In ipsas visceris carnes abrepta cum ramis ramulisque venæ portarum, arteriæ, ductus hepatici, nervisque, quos, capsulæ Glissonii (2) nomine, invaginat, profundè immergitur. Alia vagina est in fœtu pro venæ umbilicalis diramationibus (3). Apparet ergo duplicem hujus membranæ esse portionem, exteriorem alteram quâ viscus involvit, interiorem vero aliam quâ vasis, ductibus, nervisque, ut diximus, ita circumponitur ut aliquid conferens ad capsulam Glissonii, ab hâc tamen discrepare videatur Laennec (4) et Bichat (5). Quidquid sit de

(1) Vid. Bichat. Anat. descrip., par M. Roux. Tom. V, pag. 310.

(2) Boyer. Anat. Tom. IV, pag. 412.

(3) Diction. des Scienc. méd. art. Foie.

(4) Journal. de Médec. mois de Ventôse et Germin. an II.

(5) Anat. descript. Tom. V, pag. 98.

hujus capsulæ origine, nil in eâ musculosi est, ut ipsi Glissonio (1), Boerhaavio aliisque placuit, quo commodius sanguinis per ramos venæ portarum arteriosos euntis motum explicarent.

Venæ quoque hepaticæ, ab hâc membranâ vaginam consequuntur, cujus ope firmiter hepatis carnibus adhærent, ut sectæ orificium rotundum sustineant.

Amplum igitur hoc viscus numerosa vasa nactum est, tum sanguinea, tum lymphatica, nervos et apparatum excretorium, de quibus agemus in ordine. Sed a venâ portarum, ut quæ magis celebrata est in parandæ bilis officinâ, ducimus exordium.

Vena portarum (2) φλὲψ πύλῶν, à Galeno ejusque asseclis arbori adsimilabatur quæ, petitis ab imâ carnis hepaticæ substantiâ radiculis, truncum egressa adipiscitur in sulco hepatis transverso receptum, qui fissus illico in ramos, deinde ramulos et ramusculos, ad viscera chylopoetica late propagatur. Alii postea, retrogrado processu, eamdem hanc arborem ita construxerunt, ut a visceribus oriunda ramis suis per hepar distribueretur. Binas in hâc venâ, rimatur arbores industrius et indefessus Bichat (3), quarum altera venæ portarum abdominali veterum (4), altera autem venæ portarum

(1) Glissonio ut inventori adscribitur, quanquam Joh. Walæo et Pequeto fuerit ante nota.

(2) Male vena portæ Adam. Kulmo dicta, eo quod ab utrâque portâ susceperit denominationem, φλὲψ πύλῶν dicta græcis, vena portarum latinis nuncupata.

(3) Anat. descript. Tom. V, pag. 79. 1803.

(4) Winslow. Expos. anatom. C. H. e gallico latine versa. Tom. III, p. 123 *Francofurti*, 1753. Plenk. Prim. lin. anat. pag. 223. *Lovanii*, 1719.

hepaticæ coïncidit. Binæ hæ arbores truncis suis uniuntur in fissurâ hepatis transversâ et hinc per viscera, illinc per abditissimos hepatis anfractus emissis ramis, apparatum peculiarem vasculosum, in œconomiâ animali unicum, constituunt, quem, sub nomine systematis abdominalis nigri sanguinis, præeunte Bichat (1), aptissime hodiedum indigitant galli; hoc ipso, ea sanguinis copia quæ per abdomen mota est, ad hepar adducitur, deinque cavam infunditur. Pars quippe venæ portarum abdominalis a venis *splenicâ* et *meseraicâ superiori*, illarumque diramationibus conflata cognoscitur.

Vena autem splenica, è liene plurimis ramis enata, trunco mox facto, excurrit transversa dextrorsum infra sodalem arteriam, atque e regione scapi vertebralis, mesentericæ superiori conjungitur. Sic incedens suscipit, in viâ suâ, venas gastricas breves, gastro-epiploïcas dextram et sinistram, duodenales, pancreaticas, coronariam stomachicam, et parvam mesentericam. Ultimis a finibus arteriæ sociæ, mesenterica parva trahit initia, residuumque a parte lævâ coli transversi, a colo descendente et recto sanguinem refert; rectaque sursum abrepta, sese infra Pancreas insinuat, et splenicæ ad angulum ferè rectum adjungit.

Vena mesenterica superior, pulcherrimo, intra mesenterium, oritur reticulo quod arteriæ comitis lusus æmulatur. Concavitate arcus sui colicas dextras et convexitate confluentes ab intestinis gracilibus venulas excipit : atque post modum, sublata sursum, retro corpus pancreaticum pancreaticas, et ante tertiam portionem duodeni, duodenales acquirit diramationes; tandemque ad angulum obtusum, splenicam influit, ut am-

(1) Anatom. générale. Tom. I, pag. 396. *Paris*, 1818.

plexu mutuo aut potius confluxu, truncum venæ portarum ingenerent. Nonnulli tamen ramuli, seorsim truncum venæ portarum petunt huicque inseruntur (1).

Truncus igitur venæ portarum è copulatis inter sese venis splenicâ et mesentericâ superiori sobolescit, et a columnâ vertebrali unde sumit exordium ad fissuram hepatis transversam eductus, quatuor circiter emetitur uncias. Ubi ad extremum sulci transversi dextrum perreptavit, protinus ibidem, ad angulum ita obtusum ut parum a recto differat, finditur in duos ramos, quorum sinister longior graciliorque est, et quorum uterque suo respective lobo prospicit. Iidem vero ad invicem secedentes expansionem aliquam, ad discessus locum, faciunt quæ nomine *sinus venæ portarum* celebrata fuit; quam cum circumnatâ carne crederent investitam, cordi maxime analogum esse affirmârunt, et cor ornatius quam verius dixerunt esse abdominis (2). Hisce hyperbolis Glissonianus error porrexerat ansam. Quo, ut diximus, capsulam nomine ejusdem auctoris celebrem, musculosæ participem esse fabricæ tenebatur (3). Rami venæ portarum hepaticæ per omnem visceris substantiam capsulâ Glissonii stipati propagantur sæpius divisi atque subdivisi ut, inaudito in œconomiâ animali exemplo (4), sanguinem nigrum, more arteriarum, ferant pro secretione. Verum unde sanguis ille, amisso sane recepto a corde impetu, et nullo alio provisus impulsionis organo, motum suum debet præstolari? Hallerus (5) et alii, quo rem illam facilius appla-

(1) Bichat. Anatom. descript. Tom. V, pag. 84.

(2) Boerh. Prælect. acad. cum not. Hall. Tom. III, pag. 115—189. *Amstelodami*, 1742.

(3) Vid. Lenhossek. Phys. medicinal. Tom. III, pag. 112. *Pestin*, 1816.

(4) Bichat. Anat. génér. Tom. I, pag. 402.

(5) Primæ lin. physiol. pag. 264. *Lovanii*, 1758.

narent, singulare robur venæ portarum conciliarunt et sibi vidisse visi sunt illius membranas ipsâ aortâ esse duriores; quas tamen non vidit attentissimus Bichat a cæterarum venarum fabricâ multum abludere (1).

Sanguis per circulatorium venæ portarum apparatum, acceptâ a systemate capillari, unde oritur impulsione (2) promovetur vi urgente à tergo. Sed non negligenda respirationis actio, sub quâ alternas diaphragmatis et musculorum abdominalium vires experitur ; viscerum cavorum dilatationes et constrictiones successivæ; juges intestinorum gracilium locomotiones et alia motus recipiendi promptuaria; quibus tamen non tantum tribuendum est privilegium, quantum Boerhaavius ipsis iisdem largiebatur (3), quasi, sine his adminiculis, sanguis venosus abdominalis angustias hepatis arteriosas superare non posset: aperto quippe vivi animalis abdomine, sanguis utique ad hepar defertur, et sauciato erumpit e vase; verum minus expedite procedit et ante pigrari incepit quam circulatio generalis læsa langueat (4); non minus Boerhaavii sententiam infirmant morbi summe dyspnoïci in quibus, deficiente fere respirationis negotio, nulla in systemate venæ portarum stasis idcirco detegitur. Verum sunt-ne tantæ illæ difficultates quas motui sanguinis venosi hepar objicit? Non videtur. Est enim viscus constantis voluminis (5) quod præterfluenti liquido eo minores ponit resistentias quod illius vasa, præsertim venæ hepaticæ, perculiari vagina carnibus hepaticis suspendantur, ne

(1) Anatom. génér. Tom. I, pag. 399.
(2) Anat. descript. de Bichat, par M. Roux. 1803.
(3) Prælect. acad. cum not. Hall. Tom. III, pag. 183.
(4) Bichat. Anat. génér. Tom. I, pag. 403.
(5) Lenhossek. Physiol. med. Tom. III, pag. 113.

facile diametrum immutent, et repagula vectis liquoribus objiciant. Libentissime præterea, inter causas propellentes nigrum abdominis cruorem, suscipimus biodynamicam visceris actionem, quâ bilem præparat non modo, sed humorum quoque suorum motui invigilat (1).

Arteria hepatica lienali major in fœtu, minor autem in adulto (2), trunci cœliaci ramus est insignis et dexterior, qui antrorsum dextrorsum emergens, ante venam portarum, infraque spigelii lobum, ad pylorum usque procedit transversus, et datâ pyloricâ et gastro-epiploicâ dextrâ, porro tendit hepar, in cujus sulco transverso in duos, hosque notabiles ramos, dehiscit, dextrum sinistrumque. Dexter sursum dextrorsumque assurgens, ductum hepaticum decussat eundo, citra quem cysticam edit. Hæc cystæ felleæ adit cervicem et in partem infimam hujusce conceptaculi parietum spargitur serpentino ludens flexu inter tunicas serosam et mucosam : ast, sub vesiculam, ramulum quoque ablegat qui et huic et jecori propagines exhibet, et ipsis bilariis ductibus providet (3). Emissâ arteriâ cystica, ramus hepaticæ dexter in fissuram hepatis transversam immergitur, sese venæ portarum associat, quâcum capsulam subit Glissonii et omne perambulat hepar. Ramus sinister oblique sursum et introrsum tendens, in sulcum quoque transversum sese insinuat, atque in lobum sinistrum lobulumque dispergitur divisus et subdivisus, atque ramis venæ por-

(1) Lenhossek. Physiol. med. Tom. III, pag. 113.

(2) Cloquet. Anat. descript. (§ 2404 et aliis.). Quod suâ significatione non caret. Lien enim, cum suis vasis, evolutionem sequitur apparatûs excretorii hepatis; arteria autem hepatica cum mole hepatis in ratione perpetuâ est. In hoc redibimus argumentum.

(3) Hall. Prim. lin. physiol. pag. 263.

tarum, dextri ad instar, perpetuus comes. Præter caeliacam, non valde raro, magnum, dextrum ramum generat mesenterica superior, retro pancreas hepar adrepentem, qui pro ramo dextro hepaticæ est (1). Apud Multos, coronaria stomachica soboles cœliacæ prima, ramum sæpe perinsignem ad hepar ablegat (2). Hæc dispositio constans esse videtur Hallero (3). Minores et vix memorandæ quas diaphragmaticæ, mammariæ, emulgentes, capsulares, ad hocce viscus emittunt.

Verum tamen, quum vena portarum sanguinem cum arteriâ ad hepar deferat, superest ut alia vena auferendi suscipiat munus. Ergo extremi venæ portarum et arteriæ hepaticæ rami ultimum inosculantur in alias venas, hepaticarum nomine, quæ totidem *cavæ abdominalis* sunt propagines : hæc aortâ dexterior, secundum scapum vertebralem ascendit et retro hepar, in dicato sibi sulco, qui in canalem quandoque ponte, ut diximus, conjecto mutatus est, hospitatur; tumque supra hepar foramen amplum centri phrenici pertransit, et pericardio amplexa, mox in auriculam dextram dilatatur. In eo brevi, per hepar, transitu, vena cava angustior est, simulque ibi loci recipit venas hepaticas. Errat enim Boerhaavius (4) notante egregio ejus commentatore Marhero (5), dum has venas ad venam sine pari scribit abire.

Venæ hepaticæ ab imâ jecinoris substantiâ suas trahunt origines valvulis exiguis instructæ (6), in quâ capsulâ fibrosâ

(1) Hall. Prim. lin. physiol. pag 263.
(2) Cloquet. Traité d'anat. descript. § 2397.
(3) Prim. lin. physiol. Pag. 264.
(4) Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 181.
(5) Prælect. Tom. II, pag. 479.
(6) Lenhossek. Physiol. med. Tom. III, pag. 114.

3.

organi provisæ cernuntur ubique atque circumamictæ. Ex his aliæ parvæ et inconstantes seorsim in venam cavam pertingunt; aliæ mediæ dictæ a lobulo profectæ, numero binæ vel tres, in cavam aperiuntur inter venas hepaticas dextras et sinistras. Sinistræ a lobo sinistro, in quem millenis diramationibus diffunduntur natales ducunt, atque ex eo emergunt ad eam ambitus partem posticam quâ liberum aut peritonæo circumfuso nudum existit hepar, exiguâ a ligamento sinistro distantiâ. Cavam infunduntur, dum hæc ipsa foramen diaphragmatis dextrum subit. Venæ hepaticæ dextræ a lobo dextro hepatis natæ, ad mediam circiter sedis ejus inferioris partem erumpunt euntque transverse sinistrorsum et cavæ inosculantur multo humilius quam sinistræ. Exiguæ etiam et parvi momenti venulæ superficiem hepatis perreptantes ad venam azygam et phrenicam et renalem porriguntur (1). Venæ hepaticæ residuum a bile secernendâ et nutriendo hepate sanguinem universali circulo reddunt per venam cavam : quod injectionum anatomicarum argumento felicissime demontratur (2).

Nervos quidem hepar multos possidet, sed exigui admodum voluminis, corporis hepatici habitâ ratione. Hinc, contestantibus Hallero (3), Marheroque (4), obtusi sensus illud viscus est, inflammatumque, vulneratum, exulceratum modice dolet. Alios nervus vagus (5) subministrat, alios nervus dia-

(1) Hall. Prim. lin. physiol. Pag. 266.

(2) Marh. Prælect. Tom. II, pag. 459.

(3) Prim. lin. phys. p. 266.

(4) Marh. Præl. Tom. II, pag. 468.

(5) Pneumo-gastricus Chaussier, octav. par auct., decim. par Plenkii, sympathicus medius Winslowii.

phragmaticus (1), aliosque tandem plexus hepaticus elargitur abundissime.

Nervus vagus ab encephalo retro corpora olivaria, et prope restiformia exortus, per foramina, lacera cranii postica neotericis (2) dicta, in collum, thoracem et abdomen egreditur. In abdomen quidem propagatur per funiculos duos œsophageos (3), quibus stomacho prospicit potissimum : ibidemque varie expansus plexiformiter, sæpius gangliis in viciniâ natis jacentibusque nervosis permiscetur et intricatur : ita plexus hepaticus plurima ab utroque funiculo tum dextro tum sinistro filamenta consequitur, quorum alia bilis folliculum petunt, alia vero venæ portarum socia cum hâc ipsâ, fibrosâ Glissonii capsulâ obnubente, hepatis pererrant anfractus.

Nervus diaphragmaticus a parte infimâ plexus cervicalis ortus thoracemque ingressus ad latus et juxta longitudinem pericardii cui lateraliter agglutinatur, descendit, tandemque se pauxillum retrorsum in diaphragma inserit, prætermissis ramulis qui cum plexu solari et filamentis stomachicis nervi vagi subeunt connubia. Quidam illius inde rami ad hepar ablegantur.

Plexus hepaticus, a quo potissimum suos hosque perplures nervos habet hepar, cœliaci plexus a solari oriundi (4) appendix est insignior et quidem plexu stomachico major. Scissu-

(1) Phrenicus Plenkii.

(2) Non enim de anticis ejusmodi foraminibus ullum apud veteres verbum conspicio: quia membranâ fibrosâ, in viventibus, clausa, nullo emisso receptove nervo aut vase conspicua sunt.

(3) Cloquet. Anat. descript. Pag. 626.

(4) *Idem*. Pag. 705.

ram hepatis abeuns ille versus arteriam hepaticam et venam portarum, vaginæ instar reticulatæ, amplectitur atque ramos horum vasorum per totam visceris substantiam comitatur (1). Verum, ubi supra pylorum venit, in duas portiones diffinditur (2), et portio inferior arteriae gastro-epiploicæ dextræ socia, ventriculo, duodeno, pancreatique providet. Superior autem inferiori longe notabilior sparsa hùc et illuc corpora gangliformia exhibet gracillima, vesiculæ fellis cervicem ansâ irretit nerveâ, quibusdam etiam ramulis parietibus hujusce receptaculi permissis. Circumcirca arteriam pyloricam plexum secundarium instituit, hincque cum filamentis superioribus plexus stomachici commercium alit. Quædam propagines ductum choledochum, usque in duodenalem intestini portionem comitantur : at longe plures, millenis divisionibus et subdivisionibus, penetralia ingrediuntur hepatis, ramis arteriæ hepaticæ et venæ portarum assiduæ, ut dixi, atque radicibus ductus hepatici. In fœtu nonnulli ex hâc plexus hepatici portione surgentes surculi, cum venâ umbilicali, ad placentam ascendunt. Sed et ganglion semilunare dextrum, quâ parte convexum est, filamenta emittit quæ, recto tramite, sub lobulo adrepentia, hepar adveniunt.

Nullum aliud viscus pluribus nervis a gangliorum systemate(3)

(1) Winslow. Exposit. anat. C. H. Tom. III. *Francofurti* et *Lipsiæ*, p. 226. an. 1753.

(2) Cloquet. Anat. descript. pag. 706.

(3) Bichat et Cloquet, in eximiis suis de anatomiâ scriptis, magnum sympathicum aut nervum intercostalem magnum cum gangliis a nervis cerebrinis, sub nomine designant *systematis nervosi gangliorum* aut *vitæ organicæ* (Bichat, anat. génér. Tom. 1, p. 220 et sq. Cloquet, anat. descript. pag. 679). Nervosum illud systema gangliorum, cum summâ omnino probabilitate, vegetativis actionibus præficitur, ut quemadmodum nervi cerebrini *vitæ animali*, ita etiam nervi gangliorum *vitae organicæ* præsint. Quippe

gaudet acceptis quam hepar, quibus etiam cum liene et pancreate, cumque ventriculo et duodeno in nexum ponitur dynamicum (1). Videntur Boerhaavio (2) nervi hepatici capsulam musculosam, quam comitantur, animare, et liquidum diluens in hepate adfundere. Hæc non indigent refutatione quæ Marherus ad nauseam, ut ipse dicit(3), coactus fuit repetere. Vasa lymphatica hepatis dudum visa Follopio, Asellio, Highmoro, Rudbeckio, Bartholino, aliis (4) frequentissima sunt. Hæc etiam scrupolosius traditurus sum, ut quæ ad rem meam faciunt maxime dum, præ reliquis visceribus, lymphaticis vasis hepar abundat. Porro non tam operose, quam nostro Verheyen (5) videbatur, in hepate humano observantur et considerantur. Injectus etenim mercurius, lenique dein pressione ductus e truncis in

utrumque hoc nervorum systema distinctissimum est; neque sympathicus magnus existit revera : funiculus enim quem exhibet, filamentis texitur quibus inter se centra hæc nervosa communionem alunt. (BICHAT, opér. cit. pag. 222. Considérations sur la vie et la mort, 1818, p. 50). Origo nervi sympathici magni a filo sexti paris medullæ oblongatæ et a duobus filis quinti paris jam suspecta Winslowio fuit (*Tract. de nerv.* 357, 353, 359, 360). Sic enim loquitur : « Semper in eâ versatus sum opinione, quod id quod » tanquam prima radix et tamquam species trunci a nervo intercostali » dicto, descendentis consideratum fuit, non nisi ramus ejusdem ascen- » dens sit qui in cranium intrans in fila divideretur, seseque, mediantibus » hisce filis, duobus paribus indicatis arcte associaret. » Eadem omnino scribit, prælaudato opere, BICHAT; et si WINSLOWIUS quodlibet ganglion uti centrum nervosum haberet, perfecte sibi consonarent.

(1) LENHOSSEK. Physiol. medic. Tom. III, pag. 115.

(2) PRÆLEC. Acad. cum. not. HALL. Tom. III, pag. 148.

(3) PRÆLEC. physiol. Tom. II, pag. 469.

(4) H. BOERH. Prælect. acad. cum not. HAL. Tom. III, pag. 177 ad marg. — CHAUSSIER. Table synoptique des lymphatiques.

(5) C. H. Anat. Tom. I, pag. 97.

ramos elabitur (1). Sic ut sufficiat non raro unum injecisse truncum, uti totum visceris systema absorbens turgeat impense, dummodo nulla vasi, quod non est infrequens, injiciendo crena fiat; insigni cæterum argumento aut nullas hic dari valvulas, aut ita parum multiplices et laxas ut præterfluenti metallo nullum fere obicem ponant. Dum ex voto successit injectio, hepar conspectum eminus argenteâ bracteâ obductum esse credideris (2) : in his describendis, celeberrimum Bichat subsequar e vestigio, qui ea vasa nitide pulcherrimoque pertractat ordine.

Vasa lymphatica hepatis in *sublimia* distribuuntur et *profunda*.

Sublimia superficiem hepatis gibbam aut simam perreptant.

Sublimia faciei simæ aut convexæ hepatis distribuuntur porro in ea quæ ad lobum dextrum et in ea quæ ad lobum sinistrum pertinent.

Quæ ad lobum dextrum pertinent, in quatuor ordinantur fasciculos (3).

Primus fasciculus iis vasculis conflatur quæ inter ligamenti suspensorii laminas oriuntur. Hæc in duos aut tres truncos collecta, retro appendicem ensiformem, spatium triangulare septi transversi pertranseunt in thoracem. Ibidem duas tresve mediastini glandulas aut ganglia (4) permeant. Divi-

(1) Bichat. Anat. descript. Tom. IV, pag. 459.
(2) *Idem. ibid.* pag. 460.
(3) Ita etiam Cloquet. Anat. descript. § 2706.
(4) Cloquet. *Ibid.*

duntur iterum et receptis in societatem itineris quibusdam a mediastino et pericardio lymphaticis, per nonnullas itidem alias glandulas aut ganglia colludunt, ut tandem in ductum thoracicum finiantur, prope illum locum quo, flexum quemdam inferiora versus instituens, venæ subclaviæ sinistræ inseritur (1) ille ductus.

Secundus fasciculus frequenti radicularum numero ad ambitum dextramque ejusdem lobi partem natus, inter laminas ligamenti lateralis dextri incedit, et in duos protinus vasculorum abit ordines. Alia superiora diaphragma transgrediuntur, quod inter et pleuram, versus sinisteriora repunt divisa sæpius et divisa; demumque recollecta incurvantur deorsum et cum aortâ (2) descendente, descendunt iterum in abdomen, tandemque in ganglia magnam arteriam inter et venam cavam jacentia propagantur hisque delitescunt. Alia inferiora septum transversum inter et costas asternales quibus alligatur meant, hasque tamdiu legunt donec articulationes costo-vertebrales (3) appellant: inibi intercostalibus lymphaticis uniuntur, quibuscum nonnullis gangliis agglomerantur, et dein in ductum thoracicum properant.

Tertius fasciculus cujus initia per medium lobum dextrum disperguntur, partem posticam hepatis adrepit, partimque superius descriptis associatur. Ex his nonnulli, quibus construitur truncis, in pectus inter œsophagum et aortam adscendunt, atque in ductum thoracicum sarcinam suam immediate ponunt.

(1) Cod. Physiol. Lovaniensis. § 325.

(2) Φλέψ αὀρτὴ Aristoteli, arteria magna, sanguinis distributor Blancardo. Vid. Chaussier. Table synoptique des artères.

(3) Cloquet. Anat. descript. § 2706.

Quartus fasciculus a parte anticâ ejusdem lobi dextri derivatur; cujus alia vascula inter ligamenti suspensorii laminas ascendunt, ut primi fasciculi surculis conjungantur : alia vero descendunt in scissuram jecinoris, profundis uniuntur vasculis et quibusdam gangliis pyloro assidentibus dirimuntur. Quædam marginem visceris acutum legunt, dextra versus, atque secundi fasciculi vasculis immiscentur.

Lymphatica sublimia quæ faciem superiorem lobi sinistri perreptant, tres series constituere videntur.

Prima series ea duntaxat vascula complectitur quæ ligamento suspensorio proxima, inter illius laminas sese insinuant, et vasculis primi fasciculi dexterioris lobi insternuntur.

Secundæ seriei vascula ab omni germinantia lobi sinistri superficie, ligamentum laterale sinistrum convergunt, illicque in superiora distinguuntur et inferiora. Superiora sinistrorsum incedunt infra concavam septi transversi fornicem, et sese ad ventriculi antrum, cum splenicis lymphaticis immiscent; inferiora dextrorsum abrepta stomachi posteriora, ad arcum illius minorem, petunt, infra Spigelii lobum, et trajectis nonnullis gangliis, tandem stomachicis conjugantur et aliis hepaticis vasculis lymphæ vehendæ destinatis.

Tertiæ demum seriei vascula a parte posticâ lobi sinistri deducta, cardiam versus descendunt et in ganglia pergunt curvaturæ minoris ventriculi.

Vasa lymphatica sublimia superficiei inferioris hepatis dissepiuntur et in ea quæ ad lobum dextrum pertinent, et in ea quæ ad lobum sinistrum spectant.

Lobi dextri vascula tres describunt series. Prima ea complectitur quæ dextrorsum cystam felleam inter et ambitum hepatis emergunt. Numero valent (1), et postmodum euntia sinistrorsum, iis gangliis, quæ venam cavam et aortam circumdant, adunantur.

Secunda illa exhibet quæ e totâ vesiculæ superficie pullulantia, hujus receptaculi cervicem in truncos unita amplectuntur, et in ganglia retro duodenum latentia exspatiantur.

Tertia denique series nonnulla possidet quæ eâ in parte e lobo dextro exsurgunt quæ inter vesiculam jacet et sulcum horizontalem. Unicum truncum conjuncta creant qui in vesiculam expanditur, absorbentibus hujusce conceptaculi agglutinantur, horumque terminantur ad normam (2).

Quæ e lobo sinistro nascuntur inferius vascula, nil insigne referunt, testante Bichat (3). Ab omni quidem lobo sinistro progerminantia, supraque descriptis et profundis ocissime intersparsa, eodem funguntur exitu.

Vasa lymphatica hepatis profunda ab omni carnis hepaticæ particulâ nascuntur. Numero sublimibus longe præpollent (4). Sanguinea vasa ductusque bilarios perpetuo comitantur, plexiformiter hinc inde intricata, atque cum his ad scissuram hepatis deducuntur, ubi emergunt et ubi, circa portas, Hallero referente (5), semper et facile conspici possunt. Ipsa, circum-

(1) Cloquet. Anat descript. § 2707.
(2) Bichat. Anat. descript. Tom. IV, pag. 463.
(3) Opere citat. Tom. IV, pag. 463.
(4) *Idem. ibid.*
(5) Prim. lin. phys. Pag. 266.

circa lobulum, celluloso intercedente copioso, conjunguntur affatim, sese inter laminas omenti gastro-hepatici insinuant, ganglia arcus minoris ventriculi assequuntur, aut ea quæ arteriam cœlicam multiplici suo irretiunt amplexu; alia retro ventriculum, ante pancreas et duodenum, horum viscerum absorbentibus socia fiunt; alia tandem venam portarum, quocumque ierit, consequuntur, lymphaticis vasis intestinalibus et splenicis conjugantur, et porro ductus thoracici corroborant initia (1).

Verum et ab extimâ jecinoris superficie multi ramuli describuntur lymphatici, fine non satis noto (2), quorum perplurimi in substantiam organi immerguntur, atque vasis lymphaticis profundis adsociantur. Scatent præprimis in superficie intestinali aut inferiori. Omnia absorbentia sublimia etiam cum profundis, multiplici suâ sobole, commercium fovent (3).

Intelligitur quot vasis tum sanguineis, tum lymphaticis, tum etiam nervis provisum sit hepar, manifesto hujusce visceris privilegii, in œconomiâ animali, indicio.

Nunc ad structuram hepatis internam transimus; quanquam idipsum, per transennam, jam salutaverimus a principio, ut ostenderemus quantum sit necesse prius agere de vasis et nervis quam de intimâ hepatis fabricâ agatur. Sunt enim hæc, ut dixi, elementa quibus extruitur potissimum hepar ex omnium confesso (4). Neque negligendum est profecto

(1) Cloquet. Anat. descript. § 2708.

(2) Haller. Prim. lin. phys. pag. 267.

(3) Bichat. Anat. descript. Tom. IV, pag. 463.

(4) *Id.* Tom. V, pag. 78. — Marher. Phys. Tom. II. pag. 463.

cellulosum (1) illud quod, provido suo vinculo, hæc elementa inter sese revincit, atque ima hepatis usque educitur penitissime.

Rimatum intime hepar colorem præ se fert utcumque fulvum aut ex nigrescenti-flavescentem. Secante instrumento divisum, faciem monstrat millenis poris osculisve pertusam; quod vasorum sectione solutorum hiatus parant spectaculum. Punctula quoque, hinc inde sparsa flavescentia, conspiciuntur quæ poris bilariis videntur impacta. Varii, ut ex antecedentibus copiose colligitur, vasorum ordines hepatis substantiam perambulant. Horum porro talis est, in viscere, decursus ut venæ portarum, arteriæ et ductus hepatici rami horizontaliter, venarum autem hepaticarum surculi sursum, ad marginem posticum convergendo, incedant. Præterea venæ portarum rami sub sectione, collabuntur, ob minorem cum hepaticis carnibus adhæsionem et nexum; dum venæ hepaticæ sectionis suæ lumen rotundum conservant, quia intimius visceri adnatæ sunt, membranæ fibrosæ beneficio.

Si dilaceretur hepar, adspectum habet eminentiolis, arenæ formâ et scrobiculis inæqualem, acinosque illos hepatis abunde profert qui tantas, inter anatomicos viros, lites suscitarunt, nescio an unquam dirimendas, si, ut volunt Bichat, Cloquet, et dictionnarium Sc. M., nihil Ruyschianæ demonstrent injectiones. Ipsi enim rem illam revocant in dubium, quanquam experimentorum fide certet Boerhaavius, ut ex dictis intelligitur. Bichat (2) in glandulis admittit textum peculiarem qui totius glandulæ basis sit et fundamentum et quo, in eisdem,

(1) Bichat. anatom. descript. Tom. V. pag. 92.

(2) Anat. génér. Tom. II, pag. 602 et suiv.

tot occurrunt discrimina texturæ, fabricæ, functionis, non secus ac, in musculis, tomentum quoddam invenitur musculi ipsius stamina præbens (1): qui textus, licet experimentis non fuerit demonstratus, huic tamen sententiæ libentissime adstipulor, ut quæ ratione et analogiâ commendatur: neque minus cum Ruyschio, Boerhaavio, Hallero, Marhero, physiologiâ Lovaniensi et Lenhossek (2), hepar conglomeratam glandulam esse tueor. Veri enim videtur mihi simile, post Lieutaudium (3), acinos hepatis, glomeres illos vasculosos, proprio visceris glanduloso textu recipi, contineri, firmarique et ordinari. Quomodo enim tot vasa consisterent, et aliarum partium prelo resisterent, si nulla hæc firma materiatio, ut sic loquar, roboraret in sede? Portalio magis placet ambigere quam hâc de re ferre sententiam (4).

* *

Viscus, de quo sermonem habemus, quatuor ligamentis in suo situ confirmatur, ligamento scilicet suspensorio, ligamentis lateralibus et ligamento coronario. Ligamentum suspensorium peritonæi duplicati soboles, falcis facie, ab umbilico ad hepar adscendit; cujus ad marginem anteriorem in duplicem dividitur paginam; alia venæ umbilicali circumvoluta, aut ligamento tereti (5) ab eâ induratâ, sulcum ingreditur horizontalem; alia replicata ad diaphragma usque efflorescit. Ligamentum protegendæ venæ umbilicali in fœtu utilissimum (6), præcavendoque aptum in adulto, ne pondus

(1) Cloquet. Anat. descript.
(2) Physiol. medic. Tom. III, pag. 106.
(3) Vid. Portal. Anat. médic. Tom. V, pag. 278.
(4) Anat. médic. Tom. V, pag. 278.
(5) Lenhossek. physiol. medic. pag. 107.
(6) Boyer. Anat. Tom. IV, pag. 389.

hepaticum aut ventriculo aut diaphragmati nimis incumbat (1). Verum hæc ultima cum suo sale sumenda sunt : nam non nisi mediocriter hepati sustinendo idoneum esse liquet : imo usus ex nomine non præstat, auctore Cel. Boyer (2). Ligamenta lateralia aut triangularia ita sita sunt, ut unum a dextris, alterum ad sinistris jecur diaphragmati suspendat : aliquando ab utroquo latere bina sunt, et aliquando contra sic exigua ut vix possint conspici. Peritonæo duplicato noscuntur esse composita, et dum in uno alterove latere fit decubitus, hepar impediunt ne vicinis partibus fiat, suâ sarcinâ, molestum. Ligamentum tandem coronarium, genuinum visceris hujusce vinculum (3), partem supernam jecoris sibi vindicat duplici conflatum, ut præcedentia, peritonæi laminâ a septo transverso abscedentis. Ambæ, quibus exsurgit, paginæ celluso intercedente copioso conjunguntur cui multi anatomici præpostere ligamenti coronarii nomen tribuere (4). Sed etiam aliis visceribus parietibusque abdominalibus membranâ peritonæo alligatur quæ aut ligamenti facie, aut omenti nomine, a parte transit ad partem. Vena insuper cava, quà profunde in substantiam hepatis suas ablegat emissarias, haud inanem ad validiorem ejus connexionem conferre symbolam Verheynio nostro videbatur (5). Hisce nexibus hepar cum stabilitate firmatur in corpore, ut multa tamen supersit mobilitas et a septo transverso cujus motui obsecundatur varie agitari et deprimi possit (6). Unde diaphragmati in inspiratione des-

(1) Verheyen. Tom. I, pag 90.
(2) Loc. citato.
(3) Dict. des scienc. méd. Art. Foje.
(4) Boyer. Anat. Tom. IV, pag. 390.
(5) Anat. corp. hum. Tom. I, pag. 90.
(6) Haller. Prim. lin. phys. Pag. 261.

cendenti cedit versus inferiora, idem in expiratione ascendens insequitur (1); pro vario corporis situ, proque diversâ decubitus ratione, potissimum in hanc illamve partem gravitare potest : repleto ventriculo cui partim innititur, sursum pellitur, vacuo facto subsidet et secum trahens diaphragma distensionis sensum, famis comitem, parere creditur Clar. Prof. Boyer (2) falsissime : nam in febrilibus morbis, jejuni diu ægrotantes, sine hujusce sensationis querelâ, suum ferunt jejunium. Dum lateri dextro decumbimus innixi, costis spuriis in antrum arcuate flexis, quasi incunabulo suo, recipitur, dum sinistro, ventriculi extremum minus, et duodenum premit. Quid? resupino corpore, accusatur aortam et venam cavam comprimere, et sic incubum, græcorum ephialten progenerare? Error sæpius explosus : vena enim cava peculiari sibi sulco, e visceris carnibus exculpto, recipitur, ut dixi; et aliunde, in alio situ, jacentem sæpe incubus occupat victimam (3).

Superest describendus excretionis apparatus, cujus partes ordine considerabimus, ductum hepaticum, vesiculam fellis, ductum cysticum et cheledochum. Rejicimus enim ductus hepati-cysticos quos in bove Verheynus invenit, et quos etiam in homine stabilire nititur, dum dicit : « Cum enim meatus » illi in majoribus animalibus ita manifesti sint, quis eos, in » homine etiam, existere ambiget (4)? » Boerhaavio ipsi meatus eidem placuerunt (5), ut infra dicam, ubi ea duntaxat salutabo quæ bilis ad iter pertinent. Commentitios hos, vereque fictitios ductus, ars injiciendi, e finibus anatomiæ disturbavit.

(1) Boyer. Anat. Tom. IV, pag. 391. Verheyen. Oper. cit. Tom. I, pag. 90.
(2) *Idem.* pag. 391.
(3) Dict. des scienc. méd. Art. Foie.
(4) Anat. corp. hum. pag. 96.
(5) Institut. med. § CCCXLVIII.

« Ego quidem sæpe in hepate humano expertus sum, inquit » præclarus Hallerus (1), neque unquam vidi, alia viâ, quam » per ductum cysticum, bilem ex hepate, in vesiculam ve» nisse. . . . . vidi venulas, vidi cellulosa fila, omnia ista » flavissima ut facile pro biliariis canalibus habuissem, si pla» cuisset mihi imponi (2). » Hos quoque Clar. Marherus firmissimis explodit argumentis (3). Quibus non immemoror, ne sæpissime et egregie actum agere videar. Est enim unanimis de horum ductuum absentiâ consensus. Redeamus ad apparatum excretorium.

Ductus insignis, membranaceus, unicus emergit ex hepate, hepatici ductus nomine, et post, iter breve, alii ductui à bilis folliculo aut vesiculâ venienti et continuato jungitur cystico dicto; ex utriusque hujus ductus anastomosi ductus choledochus oritur, merito cum jure hepati-cysticus dicendus ut, qui et ab hepate ipso, et a cystide bilem suscipit et duodenum infundit.

Ductus hepaticus minimis et frequentissimis radiculis ab hepaticis exoritur acinis, quæ in ramos abeunt sensim sensimque majores perpetuosque venæ portarum et arteriæ hepaticæ comites, quos etiam capsula Glissoniana circumdat; in duos truncos confluunt, cuique lobo suum dextro et sinistro, qui per sulcum hepatis transversum, sub inferiori sede, egrediuntur, moxque alius ad alium venæ portarum ramis agglutinati convergunt; tandem ad angulum rectum coeunt in meatum unicum qui descendens oblique introrsum inter paginas

(1) Element. phys. Tom. VI, pag. 540.
(2) *Idem.* pag. 541.
(3) Tom. II, pag. 475 et suiv.

omenti gastro-hepatici, atque multâ obnuptus tela cellulari adiposâ, cysticum ductum appellit a vesiculâ continuatum, longitudine sesqui circiter pollicis, diametro lineæ unius cum dimidiâ (1).

Est autem vesicula receptaculum membranaceum pyriforme, ovoïdeum, cervice sursum, retrorsum sinistrorsumque repandâ, fundo anterius, inferius dexteriusque prominulo, bili recipiendæ atque pro tempore conservandæ destinatum. Hæc inclinatio notabilis est, præsertim ubi erecto insistimus trunco aut dum lateri dextro decumbimus innixi. Huic corpus, fundum et cervicem assignant anatomici.

Corpus peculiari sibi excavato e facie jecinoris inferiore alveo, de quo jam egimus, ita recipitur ut magna omnino vesiculæ portio et fere dimidia in hepate recondatur (2). Superius, sub majori minorive extensione, multâ cellulositate lamellosâ corpori suspenditur hepatico, nec non surculis vasculosis qui forsan, pro ductibus hepati-cysticis, decipi hâc in re cupientibus fucum fecerunt: sed qui summo Hallero non ita, ut vidimus, imposuerunt. Inferius biliosi folliculi corpus liberum, levigatum, vestitumque est peritonæo, et pyloro, duodeni initio, arcuique coli dextro attiguum est.

Fundus obtuso fine cæcoque et rotundo terminat infra vesiculam : in fœtu intra marginem hepatis continetur, dum in adulto sat insigniter eminet (3).

Collum aut cervix desuper maxime augustatum, flexu facto sursum, in canalem exit cysticum.

(1) Cloquet. Anat. descrip. § 2782.
(2) Boerhaav. Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 150.
(3) Hall. Prim. lin. phys. Pag. 270.

Superficies interna vesiculæ, suffusâ bile, plerumque viridescit, et in plurimas rugas eminet plicasque spirarum in modum arcuatas, quæ etiam in ductu cystico conspicuæ (1) et in vivo homine molles, alternæ, faciunt ut motus bilis neque ex vesiculâ, neque in vesiculam facillimus sit, bilisque in utrâque viâ moras cogatur agere (2). Præsertim autem, ex sententiâ Cloquet (3), extantiæ hæ valvulares cervici cystidis felleæ assident, tres, quatuor, sex et septem numero, destinatæ remorando bilis itineri.

Vesiculæ septem tunicas Marherus assignat (4) et physiologia Lovaniensis quatuor (5). Sed nemo repugnabit, si tres duntaxat admittamus et referamus. Tertia enim tunica, vulgari nomine, nervea cellulosa est, inquit codex scholæ Lovaniensis. Tres igitur nobis sunt tunicæ folliculi biliosi : 1° tunica serosa extima non universalis, sed ea solum parte vesiculam obducens, quâ ultra hepatis substantiam emergit : hæc cum paginâ superiori omenti gastro-hepatici continuatur (6) : 2° tunica cellularis, densa, pulcherrimo vasorum tum lymphaticorum tum sanguineorum reptatu insignis, inter serosam et mucosam tunicam vice fungens vinculi. Hæc etiam freno suo cellulari, vesiculam carnibus revincit hepatis. 3°. Tandem mucosa tunica vesiculam intus amiciens, plicasque et rugas exhibens, quas supra proposui, in vivo albicans, in mortuo exsudante bile viridescens. Alii in eâ poros muciferos volunt (7), alii

(1) Hall. Prim. lin. phys. Pag. 270.
(2) Boerhaav. Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 153.
(3) Anat. descript. § 2784.
(4) Prælect. in Boerh. Tom. II, pag. 469.
(5) § 299.
(6) Cloquet. Anat. descript. § 2786
(7) Haller. Prim. lin. physiol. pag. 260.

econtra rejiciunt (1). Quidquid sit, est tamen intus multis papulis fungiformibus provisa. Nil in parietibus vesiculæ esse musculosi jam dudum apud physiologos et anatomicos recepta sententia est. Errat Verheynus noster, dum duplicis ordinis fibras musculari tunicæ inesse prædicat (2). Surdus quippe admotis stimulis folliculus bilarius, omni carne destitutus sit oportet.

Sicut plurium vesicularum ita et nullius exempla proferuntur. Sic enim Hallerus : « Legas etiam passim homines vesicula » destitutos fuisse. . . . . . vesiculæ plures erant, ad sex in » homine veræ vesicæ loco, quæ nulla aderat. In aliis homi» nibus vesiculâ felleâ carentibus ductus choledochus certe » major (3). »

Marjolin (4) deficientis vesiculæ etiam perhibet exemplum. Lemery (5), loco vesiculæ, plura se vidisse receptacula profert, quæ e ductibus bilariis conflata videbantur, et, per multos canaliculos, bilem duodeno infundebant.

Chirurgus quidam hujus urbis secandorum cadaverum peritus vesiculam deficientem, sub anatome jecoris, penitissime agnovit : sed ductus choledochus erat longe major.

Boyer (6) negat deesse unquam vesiculam. « Cette poche, » (inquit) existe constamment dans l'homme. Si quelquefois on » a cru observer le contraire, cela vient sans doute de ce qu'elle

(1) Bichat. Anat. descript. Tom. V, pag. 103. Cloquet. § 2788.
(2) Anat. C. Hum. Tom. I, pag. 93.
(3) Element. physiol. Tom. VI, pag. 521.
(4) Manuel d'anatomie.
(5) Histoire de l'académie. 1701. pag. 54.
(6) Anatomie. Tom. IV, pag. 413.

» était très-petite, de ce qu'elle était plongée dans la substance » du foie, ou de ce qu'elle avait été consumée par quelque maladie. » Hujus tanti viri sententiæ quem, nescio quâ peculiari veneratione prosequor, ob simplices de anatomià libros, adstipulari non possum : tot enim sunt animalia in quibus, absente vesiculâ, biliosus latex nihilominus præparatur ut appareat inde evidenter hepar solum generandæ bili sufficere; et si fides est dissectionibus, et præceptis Halleri (1), satis est naturæ, dum in ductu choledocho diverticulum et lacum aliquem bili recipiendæ paraverit. Quod confirmatur ex eo quod homines, in quibus cystis fellea desiderabatur aut ductum hepaticum aut illius ramos, aut ductum choledochum obtulerint, hinc inde majorem, expansum, aut utriculi ventris informam, dilatatum.

Arteriæ cystidis felleæ sunt arteriæ hepaticæ rami, et venæ ejusdem conceptaculi in venam portarum sese evacuant : nervi a plexu hepatico oriuntur et vasa absorbentia hepaticis intermiscentur.

Ductus cysticus a reflexo in seipsum et coarctato vesiculæ collo continuus, sinistrorsum inde ad ductum hepaticum migrat; assecutum hunc ad angulum rectum, legit exiguo itinere, et influit tandem sesqui pollicem longus (2). Interne rugis et plicis, ut innui superius, insignis est, et calcare (3) munito fine in choledochum exit cum hepatico. Sinistrorsum arteriæ cysticæ, retrorsum autem orificio Winslowiano respondet, per quod flatus immissus totum omentum perambulat (4).

(1) Element. phys. Tom. VI, pag. 520.
(2) Boyer. Anat. Tom. IV, pag. 418.
(3) *Idem. ibid.*
(4) Plenk. Prim. lin. Anat. pag. 180.

Ductus choledochus vere hepati-cysticus, ut dixi, a mutua ductus hepatici et ductus cystici inosculatione sobolescit; sed magis hepatico quam cystico continuus esse videtur (1). Tres circiter ad tres cum dimidiâ emetitur uncias, inter utramque serpens paginam omenti gastro hepatici, venâ portarum anterius inferiusque arteriâ hepaticâ, et telâ irretitus cellulari gangliisque et vasis lymphaticis. Ita natus retro pancreatis caput, et secundam duodeni portionem descendit, pancreatico ductui aut anastomosi jungitur aut huic duntaxat, celluloso intercedente, agglutinatur, intestinoque deinceps ita inseritur ut inter illius tunicam carneam et mucosam, unciali circiter longitudine, obliquus incedat et tandem, prope tertiam, duodeni flexuram, orificio intus hiet patente, prominulo, pisi facie (2) oblongo, rotundato plicaque membranaceâ munito (3).

Ductus bilis excretorii binis lamellis constant distinctis, alia exteriori, fibris albicantibus, longitudinalibus, compactis, aliaque interiori mucosâ, tenuissimâ, villosâ. Quatuor Marherus (4) enumerat. Verum patet ex illius verbis ad duas commodissime posse reduci; nihil que in eis esse carnei experimenta fecerunt fidem, cum ad stimulos vix irritabiles visi sint, nisi forsan ad venena chemica contraherentur (5). De sensibilitate minus dubium est: egregie quippe dolent, quotiescumque calculus per eorum meatum transprimitur.

Datâ jecinoris historiâ potissimum anatomicâ, specialius jam illius physiologiam et fata ordiemur.

(1) Cloquet. Traité d'anat. descript. § 2791.
(2) Boyer. Anat. Tom. IV, pag. 419.
(3) Cloquet. Opér. cit. § 2791.
(4) Prælect. in Her. Boerhaav. Tom. II, pag. 461.
(5) *Idem. ibid.* pag. 462.

Quamvis coætaneæ sint omnes corporis nostri partes (1), tamen videtur hepar nasci primum cum corde et cerebro (2). « Est autem, inquit Hallerus, primum viscerum secretoriorum, » quod in fœtu nondum confirmato distinguitur, magnumque » quo tempore pulmo vix ullus apparet. » Præprimisque pars ejusdem sinistra, rivulo umbilicali uberius inundata et excitata, grandescit felicius ita ut, medio graviditatis tempore, cum lobo dextro volumine dimicet, post ortum palmam longe concessura. Lætius quam cæteræ partes abdominis vegetat usque ad quintum sextumve mensem (3) : septimo mense medium implet abdomen quod eo viscere fœtum turget insigniter : hinc extra basim pectoris prœminet in fœtu; non solum quidem, quâ amplius sed etiam quatenus, patente in majorem ambitum basi thoracis, magis planum est, prope deletâ fornice, diaphragma; in fœtu maturo quinque ad sex uncias ponderat, octavo a natalibus mense tres tantum aut quatuor : in adulto tres libras adæquat pondere. Cæterum figura hepatis accuratior in fœtu, eminentiæ magis extantes, fissuræ altiores : carnes molles, spongiosæ, cruore prægnantes. Parietibus abdominis antice respondet, indeque injuriis magis obnoxium in partu qui trunco fit prævio : postice superficiem contegit ven triculi anteriorem. Præterea meretur attendi singularis illa vena quâ alluitur, et quæ a matre ad prolem serpentino aut potius tortuoso, per funem umbilicalem incedens itinere descendit, nomine *umbilicalis venæ* celebris. Hæc capillaribus initiis a placentæ imis penetralibus ducit exordium, iterum per tenellum hepar in fines abitura capillares, venæ portarum simillima (4) nisi quod hujusce truncus sit brevior, ut notissi-

(1) Richerand. Elém. phys. Tom. II, pag. 439. *Paris*, 1820.
(2) Bichat. Anat. génér. Tom. I, pag. 405.
(3) Portal. Anat. médic. Tom. V, pag. 288.
(4) Bichat. Anat. descript. Tom. V, pag. 419.

mum est. Sic nata vena umbilicalis et ludens descriptis spiris et arcubus inter duas arterias incedit media (1) quarum pulsatione vicinâ sanguinis venosi motus non nihil promoveri videtur. Ubi ad umbilicum venit, brevissimo itinere, mota sursum sinistrorsumque ad hepatis fissuram suo nomine umbilicalem dictam appellit, duplicato recepta peritonæo : ad cujus fissuræ mediam partem hepatico etiam ponte quandoque contectæ (2), in duos notabiles ramos videtur diffindi : unus lumine majori, per sulcum transversum ad lobum sinistrum abreptus, canalis communicationis esse apparet quo vena umbilicalis cum vena portarum alit commercium (3) sine eo quod aut huic aut illi, exclusâ alterâ, videatur famulari. Hic ramus plures per hepar surculos ablegat, qui, in homine nato, jure quasi hæreditatis, ad vænam portarum pertinent, quando indurata vena umbilicalis nullum jam defert sanguinem; alter ramus trunco venæ umbilicalis magis continuus in fœtu tantummodo pervius, in homine nato excæcatus, ductus venosi aut canalis venosi denominatione, ad extremum posterius sulci horizontalis educitur, et in cavam abdominalem valvuloso hiat orificio (4) aut in venam aliquam hepaticam (5) inseritur. Aliam etiam vidit Bichat valvulam eâ sede quâ hæc vena in duos distribuitur ramos quos modo descripsimus. Licet Marherus valvulosam esse neget (6). Porro antequam sulcum transversum attingat vena umbilicalis et dividatur, quindecim ad viginti ramos

(1) Marh. Prælect. in Her. Boerhaav. Tom. IV, pag. 184.
(2) *Idem*. Op. cit. pag. 184.
(3) Bichat. *Ibid.* pag. 418.
(4) *Idem*. Pag. 419.
(5) Marh. Op. cit. pag. 185.
(6) *Ibidem*.

notabiles largitur qui tum lobo dextro, tum lobo sinistro dirimuntur (1).

Quæri licet quare sanguis venæ umbilicalis, pro majori quidem parte, per hepar trajiciatur. Cui resolvendæ quæstioni nil mihi aptius esse videtur quam methodus exclusionis dicta, quâ frequenter, in prælectionibus suis, utitur doctissimus, in hâc universitate, physiologiæ professor. Sanguis nempe derivatur generatim ad partes, vel nutriendi scopo, vel secretionis necessitate, vel tandem immutationis recipiendæ gratiâ. Priora duo vix mihi defendi posse videntur. Non enim 1° nutriendi fine, rivus umbilicalis hepar advenit. Sufficit enim nutriendo hepati sanguis arteriæ hepaticæ quæ, ut dicemus, eo major est quo a conceptione observatur maturius (2) : sed illud forsan in me torquebunt quod superius enunciavi, felicius grandescere lobum sinistrum qui sanguine venæ umbilicalis copiosius alluitur. Verum quis adeo cæcutiat ut inde fieri non cognoverit majorem, in parte inundatâ, excitationem quâ et materiem nutrititiam appetat ardentius et lætius ebibat? Pulmones in fœtu, deficiente venosâ diluvie, misere jacent collapsi. Verum postquam nigri sanguinis uberrimum experti sunt affluxum, quam feliciter vegetant et quam brevi mutantur ab ipsis! An nutriuntur venoso illo sanguine? Nemo dixerit : unde ut suus honos et munus arteriæ hepaticæ conservetur, Hyacinth. Gavard et aliorum sententiam admittere me non posse candidus confiteor. Dicit ille : « la grosseur de la veine » ombilicale, la manière dont elle se ramifie et son oblitération » après la naissance, servent à expliquer les phénomènes du dé-

(1) Bichat. Anat. descript. Tom. V, pag. 418.

(2) Anat. descript. de Bichat, par M. Roux. Tom. V, pag. 112.

»veloppement du foie (1).» Quare horum potius phænomenorum causa a majori arteriæ hepaticæ evolutione non deducitur? Non 2° secretionis causâ, sanguis venæ umbilicalis, pro majori copiâ, permeat hepar : nam præterquam, unico in œconomiâ animali exemplo, sanguis venosus inservit secretioni (2), satis superque est sanguis venæ portarum in ordine ad secretionem bilis quæ aut nulla celebratur ante quartum quintumve mensem (3) aut fere nulla (4). Mihi igitur videtur manere 3° sanguinem venæ umbilicalis hepar accedere ideo ut mutationem acquirat in gratiam cordis ad quod proxime defertur, et in gratiam totius corporis ad quod a corde propellitur latissime. Hepar enim, præsertim in fœtu, pulmonum fungi officio auctores sunt multi, quatenus carbonium sanguinis rapit et phlogiston (5). Redibimus in hæc. Infert jam sagacissimus lector multa adesse discrimina inter fœtus hepar et adulti. Sed nondum discriminum finis. Alia, in fatis hepaticis obvenientia singulariter ea illustrant quæ bilis scatebram spectant dignoscendam. Hæc eadem disquiremus sollicite.

Exiguus apparatus est excretorius apud fœtum relative ad tantam visceris hepatici molem, exigua vena portarum, exiguusque lien (6) qui eo ipso in ordine ad generationem bilis sese fabrefactum esse indigitat et, ex summi Boerhaavii verbis, sese datum esse demonstrat ut quemadmodum pulmo cordi, ita et

(1) Traité de splanchnologie suivant la méthode de Desault, pag. 407. *Paris*, 1809.

(2) Bichat. Anat. génér. Tom. I, pag. 251.

(3) Richerand. Elém. de physiol. Tom. II, pag. 441.

(4) Bichat. Traité d'anat. descript., par M. Roux. Tom. V, pag. 108.

(5) Lenhossek. Phys. medicin. Tom. III, pag. 138.—Richerand. Elém. de physiol. Tom. II, pag. 446 et alii.

(6) Anat. descript. de Bichat, par M. Roux. Tom. V, pag. 111.

ipse inserviat hepati (1). Methodo etiam sic dictâ exclusionis pulcherrime demonstratur in hoc viscere sanguinem immutari in gratiam hepatis (2). Diceres cum grandi hepate amplum esse necessario apparatum totum præparantem et secernentem bilis. Abest tamen. Dicam clare, non ornate forsan : apparatus excretorius in fœtu est ad pumilum ejus corpus ut apparatus excretorius in homine nato est ad corpus adultum. Abest longissime ut eadem valeat proportio pro mole jecinoris in fœtu et adultis, idque ex dictis abunde colligitur. Unde apud adultos apparatus excretorius in multo majori ratione est cum hepaticâ massâ quam apud fœtum. Vena portarum Lienque cum suâ arteriâ evolutionem sequentes apparatus excretorii, in fœtu, servatâ proportione, multo sunt minores. Prono inde alveolo fluit lienem et venam portarum cum apparatu excretorio evidenter connecti qui, ditiore majoreque facto bilis proventu, et ipsi majores fiunt. Peti forsan posset, ad quid tanta visceris cholepoetici moles in fœtu cum tam exiguo apparatu excretionis et proinde cum tam parcâ secretione ? Ominor hepar sic in fœtu esse evolutum ob officium quod præstat sanguini venæ umbilicalis (3).

Arteria hepatica rationem sequitur evolutionis hepatici corporis, et ideo in fœtu respective magna est, in adultiori autem homine minor, ita ut, in omnibus hepati majori major, minorique minor accedat evidentissimo suæ destinationis argumento (4). Quod jam perspexerat industrius Hallerus, dicens hanc esse arteriam, majorem in juniore homine cœliacæ

(1) Prælect. acad. cum not. HALL. Tom. III, pag. 190.
(2) Sic etiam censet ROUX. op. cit. pag. 112.
(3) BICHAT. Anat. descript., par M. ROUX. Tom. V, pag. 108.
(4) *Idem. Ibid.*, pag. 112.

ramum (1): verum, ex hâc notione suâ summam illam probabilitatem non eruit quæ ad certitudinem fere ascendit de vero genuinoque fonte bilis. Hoc enim attentissime meditato, sæpiusque perpenso, in propatulo ponitur, quod Boerhaavius profert hæsitando. « Videtur, inquit, arteria hepatica ita jecori esse data » ut bronchialis pulmoni, nempe ut nutriat solidam fabricam » hepatis (2). » Unde, comparatâ etiam arteriâ hepaticâ cum ductu excretorio bilis, evidenter apparet hanc non ideo esse natam ut ad hepar deferat primordia bilis, sed ut alimoniam visceri exhibeat. Dubium obmovent quæ dixi supra, communicationem dari inter ultimos fines arteriæ hepaticæ et ductuum biliferorum initia : verum an mediate an immediate communicant? Marherus ignorat (3). Liquor in ductum hepaticum injectus etiam in telam cellulosam hepatis exsudat? An ideo tela cellulosa bilem secernit? Absurdissimum. Non repugno tamen ab arteriæ hepaticæ ramulis humorem aliquem tenuem aquosum secerni, et ductus hepatici radicibus tradi qui bilem facile lentescentem diluat, huicque præbeat vehiculum (4).

In systemate autem venæ portarum cum sibi adjuncto liene, in ordine ad generationem bilis, tantam intueor aptitudinem mediorum ad finem, talem illius luminis cum ductuum biliferorum diametro congruentiam, tale ab ipsâ vecti sanguinis ingenium, qui phlogisticis abundat (5) in bile etiam scatentibus (6), tamque demum consimiles illius cum apparatu excre-

(1) Elém. phys. Tom. VI, pag. 473.
(2) Prælect. acad. cum not Hall. Tom. III, pag. 176.
(3) Prælect. in H. Boerhaav. Tom. II, pag. 463.
(4) *Idem.*, pag. 468.
(5) Lenhossek. Phys. medicin. Tom. III, pag. 136.
(6) *Idem. ibid.*, pag. 128.

torio vicissitudines ut temperare memetipsum non possim a pronuntiando singularem illam venam, hancque unice, bilis præparationi esse præpositam. Econtra arteria hepatica insignis, ut diximus, cœliacæ propago ita visceris moli respondet, ut ipsi manifeste impositum videatur munus nutriendi. Ex dictis, ut in eadem postea non revertar, tenendum esse mihi videtur bilem a systemate venæ portarum scaturire : quam sententiam, post Halleri tempora, commune dogma physiologorum, si probis haud novis, at novâ probarum concatenatione, fatis scilicet hepaticis, adstruxi. Video equidem Bichat (1) plura aggerantem argumenta quibus dubiam reddi putat opinionem receptam, facile solvenda negotio, quæ non fecerunt ut Richerand (2) Roux (4) cæterique longe plurimi a veterum mente recederent. Cel. Broussais tot egregiis in medicinam collatis beneficiis notus, quandoque vero rerum novarum magis cupidus et tenax, arteriam hepaticam bilis præponit officinæ (5), exploso jamdudum artis statoribus errore.

Porro umbilicali clauso rivulo, totum pervertitur hepar, volumen minuitur, compages contrahitur, densatur et color in minus rubellum degenerat. Lobus quidem sinister dextro lobo, in fœtu, æquiparandus, quin et grandior (6), in gracilem appendicem macrescit lingulæ simillimam. Apparatus excretorius, vena portarum, et lien eo felicius evolvuntur, quo ardentius parandæ bilis fervet opus.

(1) Anat. génér. Tom. I, pag. 406.
(2) Nouveaux élém. de physiol. Tom. I, pag. 239.
(3) Bichat. Anat. descript., par M. Roux. Tom. V, pag. 112.
(4) Traité de splanchnologie suivant la méth. de Desault, pag. 402 et 404.
(5) Mémoires de la société médicale d'émulation. Tom. VII, pag. 27.
(6) Bichat. Opus cit., par M. Roux. Tom. V, pag. 107.

Adeptâ tandem ætate, hepar consistit, aeturum in œconomiâ animali insignes vere partes quibus mentem exercet, corpus agitat, morbos complicat affectibusque nostris et indoli suum quasi stigma inurit.

In senio senescit idem viscus et nisi atrophiâ vitietur, mollescit frequentissime, flaccescit variasque subit metamorphoses.

Et hæc sunt quidem fata hepatis, dignissimi longe organi, si illius, tum in vitâ animali, tum in vitâ orgnicâ (1) expendamus ulterius privilegia. In vitâ quidem animali, dum ab agente primum aut reagente cerebro, ejus intenditur vis et energia, animum ipsum evidenter immutat, cunctisque mentis operationibus logicis alium typum imprimit; in vitâ organicâ, vicinas partes non modo, sed etiam remotissimas suo tentat influxu et propriâ labe vitiat creberrime, aut ab iis perniciosas experitur noxas. Quorum phænomenorum, συμπαθείας cujusdam sequelarum causa modusque, etiamsi perobscuri, observationes tamen sunt evidentissimæ (2).

Homines temperiei biliosæ in quâ potius hepar grande, succorum bilariorum insigne superpondium et vasorum robur (3)

(1) Hanc vitæ divisionem Cl. Bichat concordes, admittimus quæ antiquis philosophis et poetis, sacris scriptoribus et asceticis accepta fuit:

Aliudque cupido
Mens aliud suadet
Ovid.

Ἔςι σῶμα ψυχικὸν, καὶ ἔςι σῶμα πνευματικόν.
Est corpus animale, et est corpus spiritale.
Div. Paulus.

(2) Patholog. Lovan. de motu humorum irregulariter directo. Macbridius. Tom. I, pag. 32.—Richerand. Elém. physiol. Tom. I, pag. 70.

(3) *Idem. ibid.* Tom. II, pag. 530.

agnoverunt quam salini principii in sanguine abundantiam (1), indolis sunt constantis, immobilis, animi ardui, præcipitis, sublimia anhelantis, pericula capescentis, atque conterentis; ambitionis inusti incendio, jus et nefas abrumpunt de facili, nilque non movent ut gloriâ satientur et hominum plausibus. « Pleins de courage, d'audace et d'activité (inquit eloquen- » tissimus Richerand), tous se sont signalés par de grandes » vertus ou par de grands crimes, ont été l'effroi ou l'admi- » ration de l'univers. Tels étoient Alexandre, Jules-César, » Brutus, Mahomet, Charles XII, le czar Pierre, Cromwell, » Sixte V, le Cardinal de Richelieu (2). » Buonaparte paulo-post innuit, solerte tamen et ambigue, ut prudentia postulabat (3), dum ille toti fere Europæ dominaretur. Nemo quippe philosophus non, in hoc tyranno, fidum biliosi temperamenti exemplar intuebatur; vir ingenio, superbiâ, audaciâ non raro cæcâ, temeritate et dolo præcellens.

Hujus modi homines, si receptivitate gaudeant summâ, levissima de causâ, iras concipiunt et furores, adversariosque obruunt injuriis. Tales suos finxerat heroas epici carminis laus divinus Homerus, Achillea, Agamemnona cæterosque. Sic Achilles (4) iratus Agamemnonem increpat.

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο, κ. τ. λ.

Vino gravate canis oculos habens, cor vero cervi, etc.

Verum non in mente solum et indole insolitum quid in biliosis obtinet; sed etiam in formis exterioribus duris, rudio-

(1) Marher. prælect. in H. Boerhaav. Tom. II, pag. 272.
(2) Oper. cit. Tom. II, pag. 528.
(3) *Ibid.*, pag. 529.
(4) Iliad. lib. I, v. 224.

ribus, pulsu forti, renitente, frequenti, venis extantibus, capillis nigris, torosis, firmisque carnibus, cute luridâ spectandum est discrimen. Quos accipe hippocratico penicillo expressos felicius; « Ubi regio nuda est, inquit cous senex (1), naturâ munita, aspera, quæque et afrigore hyberno prematur et a sole
» æstivo exuratur, ibi duros et robustos, et articulis probe
» disjunctis, vegetosque et hirsutos reperias homines, et in
» quibus a natura laboris tolerantia et vigilantia insit, quique
» mores habeant pertinaces, ad iram proclives et contumaces,
» magisque feritate participantes quam mansuetudine. Insuper
» ad artes etiam acutiores et plus solertes et ad res bellicas
» gerendas aptiores. »

Hæc quidem cum optimâ sanitate consistunt. Verum si ad temperamentum cholericum, visceris alicujus chylopoetici vitium obstructionis (2) accedat et imprimis hepatis, mirum est quantum inde functio visque hepatica intendatur; abnormiter potentia nervosa suum contribuit pensum, et vitæ actiones plus minus irregulariter procedunt. Anxietas universalis mentem caligine, nescio quâ, suffundit, quæ profundissimas tamen meditationes, sublimia concepta et ingenii non præpedit impetum: Phantasia quasi funebre obvelatur peplo, et si quid adhuc parturit, mœroris editum plerumque præse gerit notam. Quis in his homines non agnovit temperiei melancholicæ? in quâ non terræ superpondium in sanguine (3),

(1) De aeribus, aquis, locis. Tom. I, pag. 361. *Lugd. Batav.*, 1665.

Ὅκου δ' ἐστὶν ἡ χώρη ψιλή τε καὶ ἄνυδρος καὶ τρηχείη, κ. λ.

(2) Per hepatis obstructionem intelligenda venit, ex D^ris^ Broussais sententiâ, phlogosis hujusce organi chronica quâ potissimum lymphatica vasa exercentur conf. *Histoire des phlegmasies chroniques*. Tom. I, p. 418. *Paris*, 1816.

(3) Marh. Prælect. in Boerh. Tom. II, pag. 272. — Gaub. Path. medic. § 284, 285, 354.

sed cholepoetici systematis, cum peculiari facultatis sentiendi modo (1), actionis augmentum admittendum est, a conditione morbosâ dependens, ut dixi, utque etiam colligo ex cl. Richerand elementis physiologiæ (2). Melancholici non facile fidunt hominibus, quos injustos, perfidos, sibi adversarios, fraudeque plenos esse lugent et palam condemnant. Hisce conceptionibus inhærent diu; quæcumque fiunt, quæcumque dicuntur, quæcumque solum putant significari considerant, meditantur, versant et omni perscrutantur sollicitudine, ne forsan sibi subdole telum fuerit clam immissum. Tardo quidem, sed profundissimo sunt ingenio et imaginatione pollent fortissimâ. Le Tasse, Pascal, J. J. Rousseau, Gilbert, Zimmermann, Molière, pariter et hujus temperamenti exempla sunt et rei literariæ ornamenta sempiterna. Levissima res quæ mille alios homines non movet, melancholicum pessime afficit; quia odiosum ideis etiam levissimis adnexum, non obiter dimittit, sed profundissime volvit et revolvit. Hinc illæ tristitiæ taciturnæ, diuturnæ, illud vitæ tædium quibus misere cruciantur, mala timentes semper, vix expectantes bona. Unde dicit Hippocrates (3) « Si metus et tristitia longo tempore perseverent, » melancholicum est signum. » Neminem de sua sorte credunt esse sollicitum, neminem sibi benevolum, neminem vere amicum. Imo vero multi adversum se insurgunt et sibi immaniter infremunt : « Les rois et les peuples se sont réunis contre le » fils d'un pauvre horloger, » inquit philosophus Genevensis de

(1) Broussais. Phleg. chroniq. Tom. I, pag. 418.—Bichat. Traité de la vie et de la mort, pag. 44.

(2) Opus cit. Tom. II, pag. 532.

(3) Sect. VI, aph. 23. *ἠν φόϐος καὶ δυσθυμιη πολὺν χρονον διατελὲη μελαγχόλικον τὸ τοιοῦτον.*

se ipso. Sic etiam, infelix Gilbert, morti proximus, suos dolores, crudeliaque fata lugebat, dum nullum sibi condolere persuasum haberet.

Au banquet de la vie infortuné convive,
J'apparus un jour, et je meurs;
Je meurs, et sur la tombe où lentement j'arrive,
Nul ne viendra verser des pleurs.

Certum est melancholicos sibi relictos continuo tristari, ut modo monui : subinde tamen ita faceti et lepidi sunt ut non solum ipsi in cachinnos solvantur et effundantur; verum etiam aliis quibuscumque vel morosissimis risum excutiant : sic præstantissimus Molière, vir tristi et melancholico temperamento, totam urbem in risus, lætitiam et hilaritatem concitabat, si quando prodiret in scenam (1). Ratio est quod ridiculum ideæ inhærens etiam optime omnium perspiciant.

Hippocrates aliique medici græci hypochondriasim, maniam comitialem morbum, mentis emotiones, apoplexiam ipsam ab inimicâ frequenter bilis aut atræbilis operatione deducebant. Quod etsi defendere non velim semper obtinere, abest longe ut negem hypochondriasim (2) imprimis et maniam, a læso hepate, sæpe generari.

Hallerus in homine ad maniam usque hypochondriaco hepar invenit prægrande, appendice suâ sinistrâ ad lienem eductum, vesiculam, nullà fere bile, calculo autem ingente prægnantem.

(1) Marh. Op. cit. Tom. II, pag. 440.

(2) Hypochrondriasis aphlogosi chronicâ viscerum abdominalium dependet. Broussais. Oper cit. Tom. I, pag. 419. Ab affecto ventriculo, Rega de sympathiâ, Pag. 122.

« A l'ouverture des cadavres des hypochondriaques, inquit » Robert Thomas (1), ordinairement on rencontre quelqu'un » des viscères abdominaux, particulièrement le foie et la rate, » considérablement augmenté de volume dans certains cas. »

Sed et præterea multi e recentibus auctores pluribus observationibus prope evicerunt vitiis apparatus cholepoetici non raro maniam suscitari.

Doctor Hebréard (2) juveni, ob corruptelam gangrænosam, brachium vidit abscindi. Quid? suppuratio prospere auspicata primum, sistitur de repente. Mancus infelix maniâ corripitur et in commune delirantium nosocomium deducitur furens, ibique quinto ab ingressu suo mense, diem obit supremum. Aperto cadavere, abscessus jecoris in conspectum veniebat. Alium idiotismi casum perhibet ab insano hepate unice oriundum.

Retentam in vesiculâ bilem aut duodeno copiosus infusam multorum malorum ream facit Max. Stoll (3) quatenus, stimulo suo, abnormes in œconomiâ animali exciet motus.

Morgagni (4) Fredericus Hoffmann, Weilbrecht calculos Felleos apoplexiæ generandæ aptissimos esse judicabant.

Portal (5) in nonnullis morbis hepatis, inter solemnia recenset symptomata, stuporem et coma.

(1) Traduction de Cloquet. Tom. I, pag. 565.
(2) Mémoires de la société de médecine. 28 Thermid. an XII.
(3) Vid. passim. medend. rationem ejus auctoris.
(4) De sedibus et causis morborum.
(5) Recherches et observations sur les maladies du foie.

Verum ulterius influxum hepatis in cerebrum confirmabo Finkii et summi Boerhaavii verbis.

« Exempla etiam sunt, inquit Finke, historicâ fide compro » bata, quod homines propter præsentiam materiei biliosæ, » citra febrem identidem deliraverint : uti hoc evenit Ferne- » lio insigni gallorum et medico et philosopho (1). »

« Lædit bilis atra organum sentiens, imaginans et impetum faciens, dicit Boerhaavius (2). »

Idem ille nexus, quo fit ut hepar cerebrum commovere aut et suâ labe vitiare possit, in causâ est quoque cur cerebrum vicissim tam crebro jecur afficiat.

Vehementibus animi pathematis totum perverti hepatis officium, bilem parari copiosius, aut in sanguinem regurgitare, hepatitidem vel febres accendi pertinacissimas nemo est qui ignoret. Infesti potissimum sunt hepati ira, timor, mœror; tristissimæ hujus veritatis non solum quotidianâ experientiâ edocemur, verum etiam pleni sunt auctorum libri exemplis icteri ab iracundiis mœstitiisve oriundi.

A cel. Morgagni (3) exemplum sacerdotis juvenis refertur qui paulo post quamdam animi perturbationem, regio morbo correptus, decubuit cum dolore ad regionem stomachi, et vomitu, cui, tertio exeunte die, febris magna accessit, cum delirio et convulsionibus vehementissimis ; quibus cessantibus æger in soporem delapsus, quarto transacto die obiit.

(1) De morb. bilios. anomal., pag. 166. *Mosant. Wesphal.*, 1780.

(2) De morb. nervos., pag. 438.

(3) De sedibus et causis morb. Epist. XXXVII, art. 2.

Idem (1) exemplum alius juvenis tradit qui magno terrore perculsus, mox delirus, tum convulsivis agitationibus tantis correptus, vix ut retineri posset multorum manibus, intra horas a delirii initio 24 extinctus est.

Consimile quid in Diario complementario dictionarii scientiarum medicarum perhibetur (2). Militi ardore pleno Juvenili colaphus impingitur publice. Furit, et stricto constitit gladio ulturus injuriam. Verum adstantium impeditus vi, frustra molitur in prædam irruere; corripit icterus inultum, febris multa, delirium, et tandem convulsivis motibus expirat agitatus.

Boerhaavius mercatoris observatum reliquit, qui, post acceptum navis suæ naufragium, ictero generali prehensus e vivis exemptus est.

Viginti sex annorum juvenis ab irato demissus hero, egenus oberrat, tristis, cogitabundus et mœrori immersus gravissimo. Non multo post plura, quibus icterus adjungitur, mala incusat. A tergo sequuntur pavores, taciturnitas, mite delirium, et mors. Secat cadaver Cl. Stoll (3), varia retegit in hepate morbosa, subjungitque quod nos stabilire nitimur : « Mira facul- » tas mœroris (aliorumque animi pathematum) est functiones » ventriculi, intestinorum ac hepatis conturbandi. »

Capitis autem afflictionibus physicis accedere abscessus hepatis notissimum est ; neque tamen illud, teste Morgagno (4),

(1) De sedibus et causis morb. Epist. XXXVII, art. 4.
(2) Journal comp. du dict. des scien. méd. Tom. VII, pag. 227.
(3) Ratio medendi. Tom. III, pag. 247. *Lugd. Batav.*, 1786.
(4) De sedibus et causis morbor. Epist. 50 et 51. *Lovanii*, 1766.

ita obvium est, ut placet auctoribus. Sed quomodo phænomenon hoc, in œconomiâ, paratur? An hoc ipsum à materiei purulentæ metastasi cum Marchet (1) deducemus? An vero, cum Richerand (2) simultaneam sub lapsu, cerebri commotionem et hepatis invocabimus? Quid illa metastasis est? Quid absurdius? Quippe levissimis etiam capitis vulneribus, in quibus materiei purulentæ defectus erat, hujusmodi abscessus hepatis excitati sunt. Simultaneam cerebri et hepatis a commoione injuriam non negabimus quidem omnino; verum hanc generalem esse causam cur, post afflictum caput, hepar afficiatur penitissime negamus. Enimvero læditur interdum ita caput ut subsequens in hepate abscessus, a commotâ hujusce visceris mole nequaquam possit derivari « Nihil frequentius (3) in praxi occurrit, inquit noster Rega (4) » quam capitis afflictionibus supervenire hepatis abscessus; » quorum exemplis auctorum libri pleni sunt, apud Paræum, » Ballonium, Pigræum, et alios plures, qui mentionem faciunt » abscessuum hepatis a levioribus etiam capitis vulneribus » ortorum. » Similia ab auctoribus celeberrimis narrantur. Ab apoplexiâ Morgagni, Andouillé, Chambon, a Fungis duræ meningis Wenzel et Kaufmann hepar viderunt a statu naturalì degener (5): quorum phænomenorum repetenda ratio est a mutuo consensu quo sympathica commercia fovent inter se, hepar et encephalum. Hac de re Rega (6) Stoll (7) et omnes

(1) Vid. Rega. de sympath., pag. 52. *Harlemi*, 1721.

(2) Nosog. chirurg. Tom. II, pag. 237 et seq. *Paris*, 1815.

(3) Non ita frequenter, ut, post Morgagnum, dixi superius.

(4) De sympath., pag. 52.

(5) Journ. compl. du dict. des scienc. méd. Tom. VII, pag. 229.

(6) Op. cit. pag. 53.

(7) Rat. medend. Tom. II, pag. 277.

fere recentiores conveniunt, neque quis alius valet contradicere, nisi qui vult in mediâ observationum luce cæcutire. Quo mihi sympathico vinculo natura videtur præprimis consuluisse encephalo, dum, affecto secundarie, per sympathiam, hepate, a nobilissimo organo revellitur potentissime, ut sic in sanitate et morbo natura pariter invigilet homini.

Quæ cum ita sint et tantis in vita animali gaudeat hepar privilegiis, quis non suspicabitur vehementer viscus illud, cujus lobus sinister adeo quidem per epigastricam regionem extenditur, præcipuam sistere sedem vividarum sensationum et constrictionum quæ percipiuntur ibidem, dum strenua subitaneaque mentem commovet impressio (1)?

Hepar insanum aures tinnitu, oculos caligine, nares hæmorrhagiis, linguam vexat amaritie, totum habitum externum colore flavo aut lurido facit insignem, et perspirationis claudit fontem, notante non ita pridem ad lectos ægrorum professore meo clinices, et Baglivo (2); « quibus lien, inquit, » aut jecur scirrho vel aliâ de causâ obstructum est, ii difficul- » ter sudant in morbis, » vulgi quoque sententia est, ab insano hepate nonnulla efflorescere exanthemata. Silent hâc de re auctores e quorum delibavi fontibus.

Cum præstantissimis etiam vitæ organicæ visceribus sympathicos, hosque spectandos quam maxime, nexus habet, cum ventriculo, intestinis, liene et cæteris partibus in abdomine contentis. Nec mirum, si hisce organis ita consentiat quibus fere omnibus, in opere digestionis, assidue cooperatur et quibuscum tot vasis, tot surculis nerveis à solari emergentibus plexu,

(1) Journ. compl. du dict. des scienc. méd. Tom. VII, pag. 228.
(2) Opera omnia., pag, 357. *Antverpiæ*, 1715.

et membranâ communi ab uno ad alterum efflorescenti, in dynamicum etiam ponitur connexum. Bilis profusionibus, excitatis nauseis et vomitibus, tensionibus hypochondriorum, horum se dolere dolorem significat.

Cum ventriculo et duodeno hepar consentit evidentissime. Inflammatis enim visceribus illis, et in convulsivos motus abreptis, hepar manifeste compatiens suum præcipitat pensum, bilis paratur generosius et choledochi ductus irritato in intestinum patente orificio, ad vesiculam propagatur irritatio (1) : hinc etiam convellitur folliculus biliosus, bilisque copiose intestinum illabitur, quæ deinde, inquit doctissimus Rega (2), spasmodicâ ejusdem intestini contractione in ventriculum sublata vomitu rejicitur. Hepatis cum reliquo canalis digestivi tractu sympathiam in propatulo constituunt febris biliosa, cholera morbus (3) colicique dolores (4).

Lienis cum hepate celeberrima conspiratio est. « Magni lie-
» nis magna est cum jecore sympathia, ait Baglivus (5), jure societatis et vicinitatis. » Sicuti enim inter se communicatio est officiorum, ut probavi superius, sic et vitiorum, « ita ut
» horum viscerum alterutro obstructo, dicit Boerhaavius (6)
» eadem mala patiatur alterum. Inde factum est ut hunc mor-
» bum τῶν ὑποχονδρίων vocarent viteres, non unius ὑποχονδρίου sive
» solius hepatis. »

(1) Bichat. Anat. génér. Tom. II, pag. 633.
(2) De sympathia., pag. 124.
(3) Dr Da Silva thesi inaug. pag. 12 et 13. *Lovanii*, 1821.
(4) Hofmann. In notis ad poterium., pag. 35.
(5) Op. cit., pag. 372.
(6) Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 187.

Connexionem hepatis sympathicam cum utero, renibus et viis urinariis manifestant vomitus et tensiones hypochondriorum, dum has partes dolor excruciat. Hystericas, exempli causâ, mulieres sæpius vomitibus torqueri videmus materiei viridis quos, exhibitis emeticis et catharticis, frustra omnino tentaremus avertere : quin econtra, quo plura ministráveris ejusmodi auxilia, eo copiosior sequetur bilis proventus (1). Quia, stimulato choledochi osculo, per sympathiam passivam (2), vesicula ipsa irritatur, prodigaliterque bilem exprimit, non secus ac, dum palpebrarum custodiam fefellit pulvisculus atque subditus ductuum lacrymalium orificia vellicavit, glandula lacrymalis diluviem fundit, quâ corpus peregrinum abripi atque elui possit.

Prosequimur alias sympathias quæ multo magis sunt obscuræ. Bianchi (3) pulmonum et hepatis consensum duplici confirmat historiâ, alia e Boneto, alia vero e Vernero depromptâ. « Quemdam ex hepatis tumore laborare existimabam, inquit » candidissime Vernerus; cumque dolor quotidie augeretur, » et duraret longius, hepar ipsum in pus conversum esse » arbitrabar. Post cadaveris autem apertionem inveni hepar » pene illæsum : totam vero thoracis cavitatem pure plenissimam, ita ut de pulmonibus vix exigua portiuncula conspiceretur. » Willis (4) irritatæ, concepto calculo, vesiculæ asthma tribuit lethiferum; spasmosab eâdem causâ natos Tissotus (5) assignat. Porro hepar morbosum quemadmodum

(1) Sydenham. Dissert. epistol. Tom. I. *Genev.*, 1769.

(2) Vid. Bichat. Anat. génér. Tom. II, pag. 633.

(3) Histor. hepat. Tom. I, pag. 454.

(4) Sepulcret. Tom. I, pag. 545 et 552.

(5) Traité des nerfs, etc. Tom. II, part. II, pag. 102. *Paris*, 1780.

cætera abdominis viscera, licet intersit nulla functionum communio, membranas serosas tamen influxu suo tentat et vario hydropi præbet occasionem (1). Consensum hepatis cum textu celluloso, natum œdema patefacit quandoque : hujusque rei observatum Bichat reliquit (2). « J'ai soigné à la salle Saint-
» Charles, inquit, un homme qui, par l'effet d'une forte ter-
» reur, éprouva un resserrement subit à l'épigastre : une teinte
» jaunâtre, indice de l'affection du foie par l'émotion, se ré-
» pandit, peu d'heures après, sur le visage. Le soir, il avait
» un œdème remarquable dans les membres inférieurs, œdème
» produit sans doute sympathiquement par l'influence du foie
» sur le tissu cellulaire. » Sed et hujus asserti fidem quoque facit sequens Hollerii tractus (3). « Mirum forte quod nos bis,
» terve observavimus, dolores cruris aut suræ intolerabiles,
» qui neque fotu neque litu neque cataplasmatis cesserunt.
» Mortuis vero ægris, crura novaculis incidimus, et pus album,
» pallidum, ac leve erupit, spatiis inanibus musculorum dif-
» fusum, et majori venâ conclusum, atque ut notaretur locus
» unde pus hujus modi veniret, aperto ventre, vomicosum
» jecur et putridum inventum est, et taliter affecti procul
» dubio moriuntur. » Quis tandem non novit vagos illos dolores qui, male affecto hepate, totam maceriem pectoris exercent, ad claviculas, collum et secundum omoplatas oberrant, fido harum partium compassionis testimonio. « Unum, ait Ballo-
» nius (4), animadvertere oportet, quod et therapeiam et diagno-
» sim imprimis facit; omnibus jecorariis, id est, quibus grandius
» est hepar, tumentius et calidius, cum febribus magnis prehen-

(1) Bichat. Anat. génér. Tom. II, pag. 568.
(2) Id opus. Tom. I, pag. 121.
(3) Comm. ad libr 2, coac. Hip. f. 348. Vid. etiam Baglivi, pag. 217.
(4) Lib. I. consilio 75, fol. 407.

» duntur, maxima ex parte, tempore urgentis febris, dolores in » claviculis et secundum omoplatas sentiri satis vehementes. » Tot tamque multiplices consensus quibus et cum cerebro ipso et cum cæteris partibus hepar commercia alit, insignem visceris in vitâ tum animali, tum vegetativâ, ut dixi, dignitatem indigitant; mihique species hæreseos est clar. Marheri (1) dictum; « Hepar, E. g., ad vitam absolute necessarium non est. » Necessaria tamen est ejus visceris actio ad vitam stabilem; » quia, etsi vitiata aut abolita hepatis actione vita non protinus cesset, tamen diu perdurare non potest et hoc de omnium naturalium viscerum actione valet. » Viscera quippe naturalia aut vitæ organicæ vix unquam ita vitiantur ut eorum omnimode symbola aboleatur. Facit in his asymmetria formæ, ut non harmoniâ eorum partes functioni concurrant peragendæ; hinc portio sana aut minus læsa functionem adhuc utcumque prosequitur, dum aliæ partes morbo detentæ resides quiescunt. Id, pro pulmonibus, est evidentissimum, ut ad lectos sæpe monet professor clinices, et ut contemplationes testantur cadaverum: sed et pro hepate est certissimum. « Qu'un » engorgement léger, inquit Bichat (2), occupe l'un des côtés » du foie, de la rate, du pancréas; la portion saine supplée, » et la fonction n'est pas troublée. » Nescimus quousque hepar deberet vitiari ut omnem suam actionem et influxum abrumperet. Sed properemus ad alias res.

Dixi superius sanguinem venæ umbilicalis probabiliter ad hepar deferri ut ibidem mutationem acquirat in gratiam cordis et universi corporis. Verum restat expendere quænam sit

(1) Prælect. in H. Boerhaav. T. I, pag. 3, de actionibus homini propriis.
(2) Recherch. physiol. sur la vie et la mort, pag 24, mode d'action dans les deux vies. *Paris*, 1818.

immutationis illius ratio. Quâ de re multa sunt auctorum dissidia : audiamus primum celeb. Richerand. « Le sang artériel » inquit (1), qui coule dans la veine ombilicale, s'est rapproché du sang veineux, s'est chargé d'hydrogène et de carbone, et a perdu en partie ses qualités vivifiantes en parcourant les vaisseaux de la mère, et les routes tortueuses » du placenta. Il se dépouille de ces principes et se révivifie, » en quelque sorte, en traversant le foie, qui, à cette époque » de la vie, remplit les fonctions dont les poumons doivent » être chargés après la naissance. Aussi le foie forme-t-il avec » le cerveau la plus grande partie du poids d'un enfant qui » vient de naître.......... Il acquiert cette grosseur, en s'appro- » priant l'hydrogène et le carbone du sang ombilical. » Talis est quoque sententia Gavard (2). Verum observavit Baudeloque, idipsumque sæpius narravit Bichat (3) sanguinem venæ umbilicalis ad lætam sanguinis arteriosi purpuram accedere, sanguine venæ portarum, cui statim remiscetur, magis rubescens. In caviâ cobayâ (le cochon d'Inde) fecit experimentum ipse Bichat (4) vixque ullum, trans pellucidos funis umbilicalis parietes discrimen invenit inter arteriarum et venæ umbilicalis sanguinem, videturque ipsi sanguinem hepar penetrantem, ibidem a rubro in nigrum converti (5), cum ulterius ubicumque sit uniformis, saturate obscuri coloris, experimentis Halleri (6) et Autenrieth (7). An ponit principium phlogisticum

(1) Nouv. élém. de physiol. Tom. II, pag. 446.
(2) Traité de splanchn. suivant la méthode de DESAULT, pag. 421.
(3) Anat. génér. Tom. I, pag. 414.
(4) *Ibid.*
(5) *Ibid.*
(6) Elem. physiol. Tom. VIII, pag. 255.
(7) Dissert. sistens experim. circa calorem fœtus et sanguinem ipsius instituta. *Tubingæ*, 1799.

et carbonium quo imbuitur aut oxygenium dumtaxat in parte dimittit? res est ardua; illudque me fallere candidus confiteor. Quid ergo? an nulla jam immutatio? imo sane quam maxima. Sanguis enim venæ umbilicalis sanguini venæ portarum intime permiscetur (1), cum eo per omnem hepatis substantiam corrivatur, atque ibi primum, dum vitalem hepatis experitur energiam, humoribus fœtus inquilinis amico jungitur connubio, et magis magisque promotus ad eorumdem accedit indolem, ut ad cor transeuns, brevissimâ viâ, illud non ita extraneo sollicitet stimulo. « Omnis certe elaboratio liquidorum » humanorum, inquit Boerhaavius (2), ad duas has actiones » reducitur, contractilem vim solidi, et admissionem liquidi, » jam prius nostri. Hanc in venis experiuntur humores, illam » in arteriis. » Hinc confirmatur illud clar. Roux (3) : « Dans le » fœtus, le foie n'est si considérable que par rapport aux usages » qu'il remplit à l'égard du sang de la veine ombilicale, et non par » la sécrétion de la bile, qui, pendant le séjour de l'enfant dans » le sein de sa mère, est presque nulle en comparaison de ce » qu'elle doit être après la naissance. » Hallerus (4) non aliam rimatur rationem cur sanguis venæ umbilicalis præterfluat hepar, nisi ut illius impetus infringatur antequam cor dextrum accedat. Verum ad quid, amabo, sufflaminatio motus lentissimi jam facti per tot ambages, flexiones et inflexiones venæ umbilicalis?

Bilem in hepate secerni notissimum est, et ex definitione ipsâ visceris intelligitur; unicoque, in animali œconomiâ exem-

(1) Bichat. Op. cit. Tom. I, pag. 114.
(2) Prælect. acad. cum notis Haller. Tom. III, pag. 193.
(3) Bichat. Anat. descript., par M. Roux. Tom. V, pag. 108.
(4) Elem. physiol. Tom. VI, pag. 618.

plo, ut superius innui, secretio illa e venoso sanguine præparatur, ita ut ab extremis finibus venæ portarum in radices ductus hepatici præterlabatur latex biliosus; hinc duodenum versus itineris sui capit exordium. Per ramos ductus hepatici convergentes, in ductum hunc traducitur, et sub chylificationis opere copiosius inoffensoque defluxu, portionem tubi intestinalis duodenalem, cum bilis cysticæ columnâ, influit (1). Sub abstinentiâ porro, intestinum partim illabitur, partim vero, nato ad collapsum duodenum obstaculo, prementique a tergo advenientis liquidi pondere, in vesiculam retro fluit, ut recepta ibidem, spissescat resorptione partis tenuioris, morâque acrior, evectior, amariorque fiat (2). Nonnihil insuper bilis hepaticæ sursum turgescens in ventriculum ascendit, observato constanti in homine, juxta Morgagni (3), non autem ita constanti, experimentis Halleri (4). Hoc est simplicissimum bilis iter. Deseruerunt enim jamdudum physiologi ductus hepati-cysticos Verheyni, de quibus jam dixi, et qui Boerhaavio ipsi placuerunt (5) atque cyst-hepaticos Bianchi (6) quorum ope deduceretur bilis ex hepate in vesiculam immediate (7), vel ex ductu hepatico in vesiculam et ex hâc vicissim in ductum hepaticum (8). Neque aliâ ratione duplicem admittimus bilem, nisi quod ea quæ in cystidem felleam refluxit, *cystica* nuncupetur, ea vero quæ, recto tramite intestinum devenit, *bilis hepaticæ* nomen

(1) Bichat. Anat. génér. Tom. I, pag. 410.

(2) *Idem. ibid.*

(3) *Idem.* Op. cit., pag. 411.

(4) Elemen. physiol. Tom. VI, pag. 606.

(5) Institution. medic. § CCCXLVIII, nº 2. 5.

(6) Vid. Hist. hepat. Tom. II, pag. 940. *Genev.*, 1729.

(7) Boerh. Inst. medic. § CCCXLIX.

(8) Vid. Bianchi. Op. cit. Tom. I, pag. 113.

sortiatur. Credidit summus Boerhaavius (1) propriam bilem vesiculæ ipsius fabricâ secerni, maximeque a folliculis e membranâ internâ emergentibus et per illius superficiem ejus modi fel eructantibus cujus « una pars mille partes aquæ nobili amarore tingeret. » Hunc errorem sicut et præfatos ductus, firmissimis argumentis, Marherus explosit (2). Bilis cystica, tempore concoctionis alimentorum, præsertim insitâ vesiculæ contractili vi emulgetur et exprimitur, quando hoc conceptaculum, stimulantibus choledochi ostium digerendis, per sympathiam passivam, uti jam explicavi, potenter excitatur. Nonnihil diaphragmatis musculorumque abdominalium actio ac distentus ingestis ventriculus contribuere posse perspiciuntur.

Habes primariam hepatis utilitatem quâ bilem præparat ampla officina : Verum tamen tanta visceris moles cum tam exiguâ secretione, tantum hepatis privilegium in dissitas longe partes, in hominum characterem, temperamentum et individuam constitutionem, tot illius cum cerebro sympathici nexus prope evincunt, præter secretionem bilis, alia summi momenti munera huic fuisse imposita. Noverant jam antiquissimi philosophi vim hepatis et energiam in œconomia animali, et illius in animi pathemata potentiam. Perspexerant quam vivide, commoto animo, et ipsum commoveatur. Hinc Plato (3) cupidatum et instinctuum animalium in hoc viscere posuerat domicilium. Alii in hepate tenerrimi amoris erexerunt thronum, et a famulante jecinori liene faciles repetebant cachinnos; quod ita expressit ferreus quidam poeta:

Cor sapit, pulmo loquitur, fel continet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

(1) Prælect. acad. cum not. Hall. Tom. III, pag. 171.
(2) Videsis prælect. in Boerhaav. Tom. II, pag. 474 et seq.
(3) Lenhossek. Physiol. medic. Tom. I, pag. 57.

Quos imitata fictionum avida poetarum gens, sophorum errores leporibus suis ornavit et late propagavit.

Ita Persius (1) significans temperare se non posse a castigandis ridendo hominum moribus ait :

Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.

Anacreon (2) ut sese insinuaret amoris ictum fuisse cuspide, immissi in jecur cupidinis spiculi victimam se fuisse canit.

Τάνυει δὲ καί με τύπτει μεσὸν ἧπαρ,
Cupido arcum tendit, et me ferit medium hepar.

Non cognoverunt minus veteres quantum, læso hepate, sanguificationis, nutritionis, secretionis, et excretionis vitia simul incederent, et omnis processus reproductivus perturbaretur. Unde Hippocrates, Galenus, etc., viarum lactearum ignari hæmatopoesis officium unice concrederant hepati, et hoc sibi finxerant systema (3) « chylum, ex intestinis per venas me-
» sentericas ad hepar rapi; sed id viscus omnium maxime san-
» guineum esse, atque id etiam a colore demonstrari: deinde
» quod in cava vena, non chylus reperiatur, sed perfectus
» sanguis : atque adeo, in hepate chylum in sanguinem mu-
» tari, et ex hepate per cavam venam in universum cor-
» pus distribui, cum hepar omnium venarum communis sit
» origo (4) : » radicatio venarum hepar, dicit Hippocrates. In

(1) Satira I, sub initium.
(2) Ode ad amorem madidum.
(3) Boerhaav. Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 191.
(4) Galen. de Hippoc. et plat. decret. L. VI, c. 4.

eadem sententiâ Cicero (1) fuit, qui non solum philosophicis disciplinis et dicendi gloriâ inter omnes excelluit, sed etiam medicis doctrinis indulsit; « secretus, inquit, a cibo succus, is » quo alimur, permanat ad jecur per quosdam a medio intestino » ad portas jecoris ductus, et directas vias, sic ad venam cavam » et per hanc ad cor confectus jam coactusque perlabitur. » Dicam quid in his videatur subesse veri.

Ad veterum sententiam quodammodo clar. Hartmanni (2) sententia accedit, qua hepar adsimilationi præfectum esse persuasum habet. Cujus opinionis in gratiam gravissima vere militant argumenta. Hepar latissime per animale regnum dominatur, cumque visceribus digestionis iisque solis, per peculiare systema venosum, communionem fovet : insignis illius est moles et longe maxima hoc appellentium copia vasorum tum sanguineorum, tum lymphaticorum; hæc ad solam bilis secretionem ita ordinata fuisse vix potest concipi. Renes cum minori multò volumine, uberrimum urinarum flumen excernunt. Quid? « Ce viscère à lui seul, inquit Bichat (3), égale, » au moins en masse, toutes les autres glandes réunies : or, mettez d'un côté la bile, de l'autre, tous les flüides sécrétés, l'urine, » la salive, le suc pancréatique, la semence, le suc muqueux, etc., » vous verrez que la différence est énorme » Nulla alia glandula tot tantisque gaudet privilegiis, aut tot cum universo corpore nexibus revincitur. Abunde colligitur èx dictis cum majori incremento corporis aut majori adsimilationis vigore majus esse hepas. Sanguis venæ umbilicalis, uti probavi, non aliam ob causam hepaticas subit angustias, nisi ut ibidem primum

(1) De naturâ deorum.

(2) Theoria Morb. § 163, pag. 101 et suiv. *Vindobonæ*, 1814.

(3) Anat. génér. Tom. I, pag. 404.

adsimilationis effectum experiatur. Res magis magisque confirmatur, dum celeberrimorum virorum periculis (1) inclarescit absorbendi virtute gaudere venas mesentericas, sicut et alias venas generatim (2). Aliunde animalium plura uti, v. g. aves vasis lymphaticis penitus carent, in quibus proinde venis mesentericis chyli resorbendi onus incumbit; tandem nihil, ex medicorum omnium confessis et observatis, tam efficaciter nutritionem et vegetationem possumdat, quam morbosæ hepatis conversiones. Unde pronâ fluit conclusione magnas, si non maximas, in adsimilationis processu jecinoris esse partes, quatenus abreptum chyli tenuissimum laticem (3), humoribus nostris inquilinis proximum facit indole, cordi dextro tradendum. Non prætermisimus, agentes de structurâ anatomicâ hepatis, monere nullum aliud viscus tot acceptis a systemate gangliorum propaginibus nerveis lætari. Quâ consideratione forsan motus Lenhossek (4) in hæc verba rapitur. « An im-
» ponderabilis biotici fons præcipuus, quantum id vegetativis
» prospicit functionibus et gangliorum animat systema, hic
» supponi et ipsum hepar *pro vero abdominali cerebro* haberi
» non debet? » Hæc certe nonnihil ornantur.

Alias quidem apud auctores utilitates hepatis invenio collectas; sed quæ aut falsæ aut remotæ, aut frigidissimæ sunt. Bianchi (5) ventriculum ollæ Papinianæ gravissime comparat huicque solidæ molis cooperculum apprimit hepar.

Spectatum admissi risum teneatis amici.
Hor. de arte poet.

(1) Hartmann. Op. cit., pag. 103.
(2) Magendie. Préc. élém. de physiol. Tom. II, pag. 229.
(3) Lenhossek. Phys. medic. Tom. III, pag. 178.
(4) Op. cit. Tom. III, pag. 139.
(5) Hist. hepat. Tom. I, pag. 121.

Restat bilis utilitates expendere, et aliquid de illius lusibus in morbosis adfectibus adjicere.

Est autem bilis secretus in hepate humor, flavus, amarus, plus minus simul viridis aut luridi coloris, ingrati et proprii odoris, viscidus, aquâ parumper gravior, sanguine vero levior (1), perque descriptas vias, in intestinum tenue dimissus ut ibidem inserviat chylificationis operi.

Analysis chemica bilis olim jam multum tentata aque chemicis recentioribus iterum iterumque instituta, minime adhucdum perfecta est; « on analyse, inquit Bichat (2), l'urine, » la salive, la bile, prises indifféremment sur tel ou tel sujet, » et de leur examen résulte la chimie animale, soit; mais ce » n'est pas là la chimie physiologique; c'est, si je puis parler » ainsi, l'anatomie cadavérique des fluides. » Quippe felleus latex substantia est peculiaris, sui, ut aiunt, generis, perque vitalem energiam in corpore generata, neque unquam solis chemicorum periculis rite cognoscenda. Insuper variam omnino esse debere elementorum ad invicem proportionem, vel in eodem individuo, pro variâ ætate, alimentorum genere, constitutione, temperamento, valetudine aut morbo luculenter apparet. Cæterum, factâ bilis analysi chemicâ, invenerunt industrii viri aquam relative copiosam viceque fungentem vehiculi, albumen, oleum principio colorante prægnans natro inhærente, amaro, quo bilis colores vegetabilium cæruleos in virides convertit, natrum purum, phosphoricum, muriaticum, calcariam et ammonium phosphorica, et, juxta quosdam, ferri oxydati

(1) Lenhossek. Op. cit. Tom. III, pag. 124.

(2) Traité de la vie et de la mort, pag. 58.

vestigia et saccharum lactis (1). Quibusnam artificiis hæc bilis elementa a mutuis amplexibus dejiciantur, chemicis viris expediendum relinquo. Ad utilitates bilis memet accingo enarrandas.

Alii Bilem nimiis celebrarunt encomiis, alii econtra nimium depresserunt (2); medium tenuere beati qui utilissimum hunc humorem esse defenderunt, et inconcussis argumentis probaverunt.

Bilis non quatenus sapo animalis duntaxat utilis est, verum etiam qua salibus scatet qui ejusdem acuunt actionem, celebremque faciunt in totâ digestionis officinâ. Hinc pulti intestinali infusa ad chylificationem, duplici potissimum ratione, mihi videtur contribuere, virtute nimirum suâ saponaceâ et stimulandi, quâ pollet, energiâ. « Bilis sapo naturalis est, inquit » Boerhaavius (3) natus ut discerpat ciborum viscida coagula. » Hujus operatione chymus ulterius subigitur, attenuatur, diluitur et, exsudantibus etiam succo enterico et succo pancreatico, ex crudiori quâdam et griseâ massâ, in liquamen convertitur blandum, homogeneum, lactis ipsius æmulum, et aptissimum ut subeat tum intestinorum ampullulas, tum, probabilissime, venarum mesentericarum absorbentia oscula; notum est pictoribus, iisque qui e vestibus maculas abstergunt unguinosas, quanta felleo liquido insit solutiva virtus. Pisces quorum intestinali fistulæ grande hepar fusum est, durissima pabula devorant, alios pisces cum squammis et aristis deglutiunt, feliciterque omnia concoquunt: quod bili imprimis tribuendum: non enim ventriculi calor aut vires diaphragmatis concutientes possunt invocari, ubi menstruis digestionis, ut sic loquar,

(1) Richerand. Élém. de physiol. Tom. I, pag. 239.
(2) Hall. Elem. physiol. Tom. VI, pag. 615.
(3) Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 168.

tota fere concedenda est operatio. Bilis, virtute suà stimulante, appetitum auget, et motum intestinorum peristalticum incitat. Ingens voracitas in iis hominibus est observata in quibus ductus choledochus in ventriculum inventus est insertus, conveniunt que Zoologi eo voraciora esse animalia, quo majori bilis quantitate providentur, econtra, deficiente bilis affluxu, deplorant homines prostratum appetitum, nauseas incusant et cibi fastidia, intestina, ablato habituali stimulo, pigrantur, clauditur plerumque pertinaciter alvus; et variis modis organorum digerentium functio pervertitur, ut tristissima ictericorum exempla confirmant. Nonnullis suspicio fuit, bile affusâ, prima animalitatis principia chylo impertiri (1): quam ego sententiam nunquam impugnavero, cui eruditissimi Boerhaavii verba quam maxime favent. « Chylus *peregrinus hospes,* inquit (2), » ubi ad prima ostiola venarum lactearum adpulit, ita viscidus est ut nunquam posset per exilissimas fistulas resorberi. » Ergo adfunditur bilis quæ subigat chylum, ut dilutus et » fluidus et *nostris humoribus similis* fiat. Efficacissimam vero » oportet esse bilem quæ, extra propriam sedem, neque sincera tantam mutationem sola perficiat. Esse autem maxime » inquilinam per suas causas demonstratur, cum plures vires » vitæ nostræ experiatur quam ullus alius in corpore humano » liquor. . . . . venosam actionem bis experitur bilis, et bis » etiam arteriosam. »

Quærimus tandem an non etiam sua damna bilis habeat.

In sanitate perfectâ, nunquam hunc liquorem esse noxium abunde colligitur ex dictis : quin econtra ita necessarius est illius in totam digestionis officinam influxus ut, hoc deficiente,

(1) Gavard. Splanch., pag. 420.
(2) Prælect. acad. cum notis Hall. Tom. III, pag. 193.

primarum viarum langueat officium, digestio labefactetur et omnis reproductivus processus detrimenta sentiat insignia. Unde non immerito Cl. Hartmann (1). « Ex abnormi bilis se- » cretione ad assimilationis anomaliam concludere liceret. » Quod si vero, quâcumque de causâ, hepatis exaltetur energia, abnormisque fiat, hujusmodi bilis generari potest quæ in lithiasim prona sit non tantum, sed in morbosis adfectibus, illuc delata ubi mali residet fomes morbum ipsum charactere notet bilioso (2). Agendum primum de calculis felleis.

Calculi fellei concrementa sunt quæ in ductibus hepaticis, choledocho aut cystico poro, crebrius vero in cystide fellis, inveniuntur impacta. Nondum per chemicorum experimenta, de eorum naturâ satis constat : neque Clar. Gaubio (3) feliciores, usque perspectum omnino habemus an ab ipsâ bile semper atque unice materiem suam habeant, licet in illius detegun-tur officinâ. Multiplici quoque molis, formæ, colorumque ludunt differentia. A sabuli quippe mole ad ovi gallinacei amplitudinem varia est magnitudo ; figura modo ovata, modo globosa, modoque polygonata; colores fere mutuantur omnes atrum, viridem, lividum, cinereum, flavum et album. Longe abest ut omnibus sit eadem ardendi vis aut imflammabilitas, eadem specifica gravitas, eadem consistentia. Concrementa hæc, in corpore nostro, morbose nata certam bilis a naturali suâ indole degenerationem ponunt. Unde autem illa degeneratio? an a conditione aut excitatione systematis cholepoetici pathologica? Videtur, uti superius insinuavi. Multi enim jam sunt qui forsan (ex doctissimi prof. Baud sententia procedunt longius) negantes penitus omnes morbos humorales absolute sic

(1) Theoria morbi. Pag. 103, § 164.
(2) Vid. Journ. compl. du dict. des scienc. méd. Tom. VII, pag. 231.
(3) Institut. pathol. § 579.

dictos. « Ego quidem ipse, inquit doct[r] medicus Da Silva (1) » omnino persuasum habeo corruptelam humorum, secernen- » tibus dumtaxat organis a statu suo naturali deflexis, proge- » nerari : quippe qui compositiones mere chemicas, in cor- » pore humano vivo et organisato, minime queam concipere. »

Stoll (2), Finke (3), Tissot (4) plurimorum morborum fontes in constitutione physico-chemicâ bilis latere crediderunt, quæ dum in partes deferretur, analogos in loco sui decubitus, suscitaret morbos biliosæ indolis. Eam fuisse stollii mentem sequentibus patet evidentissime. « Humoris biliosi, inquit (5), » varias posse migrationes esse, et ad diversas deferri partes, » ratione probatur, et experientiâ. »

« Ad encephalon delata biliosa materies morbos faciet va- » rios, huic visceri competentes; ad oculos, fauces, thora- » cem, cæt, traducta ibique commorata lusum illum mirifi- » cum biliosæ febris ludet, etc. »

« Quanta morborum familia ab unâ eâdemque materie, » tanquam protoparente oriunda! »

A bile tanquam causâ morbos suos biliosos derivabat: hinc primaria illius cura in eo versabatur ut bilis morbificæ promoveretur evacuatio, sicque ore et ano, ut ipse loquitur, hujusmodi morbos exturbaret, felicissimo sæpe eventu. Verum non ne prosper ille practicus theoretice hallucinabatur effectum habens pro causâ? Nemo fere jam de Stolliano errore mo-

(1) Thes. inaug., pag. 7, § 6 *Lovanii*, 1821.—Vid. etiam G. Frank. De cholera-morbo.

(2) Medendi ratio.

(3) De morbis biliosis anomalis.

(4) Historia epidem. Lausanens.

(5) Rat. medend. Tom. II, pag. 247. *Lugd. Batav.*, 1786.

vet dubium. Vixit cel. Stoll sub tali medicâ constitutione, in quâ, vigente systemate gastrico morboseque excitato, bilis copiosissima scaturiebat, affectusque fere ommes indole biliosâ faciebat insignes. Nulli quippe ignoratur quantum hepas tubo intestinali consentiat, huicque compatiatur. Porro ventriculi intestinorumque læsionem in apricum producit ipse clar. vir, ubi dicit: (1) « nos crudum plerumque amarescentem apparatum in ventriculo bilem vocamus... rarius fors a verâ sic dictâ » bile copiosius collectâ originem trahit, et potius cruda undecumque nata colluvies est, quæ in convenientem sibi corruptionem, ob languentem ventriculi facultatem transmigrat. » Quis crudum illud concipiat, citra *ventriculi labem* aut annexorum (2). Præterea intelligitur e prædictis quantum bilis secretionem possint emetica adaugere et vomitus bilis purissimæ suscitare. Exinde satis etiam colligitur quid sit sentiendum de medicastrorum et vulgi clamoribus quibus bilem incusant tanquam uberrimum malorum fontem, et omnibus modis insequuntur. Ipsi effectus impugnant, causas autem ne quidem suspicantur. Fuit tamen, in causâ Stolliana, emesis utilissima. Quod, quomodo factum fuerit, minime meum est expedire. Consulatur hâc de re thesis inauguralis doct. med. Da Silva de febre biliosâ (3).

(1) Opus cit. Tom. I, pag. 22.
(2) Da Silva thesis inaug., pag. 7, § 6.
(3) § 43 et 44.

XII.

HENRICI JOSEPHI KUMPS

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMAT. ET PHYSICAR. PROPOSITAM.

HENRICI JOSEPHI KUMPS,

EX ISCA SUPERIORI,

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM PROPOSITAM :

Datus sit radius sphæræ, cui singula corpora solida, quorum hedræ sunt polygona duplicis generis (triangula *et* quadrata; triangula *et* pertagona; quadrata *et* pentagona; quadrata *et* hexagona;......) *regularia, anguli solidi æquales vel symmetrici, inscripta sunt. Quærantur valores generales, qui præbent quantitatem, 1° cujusvis ejusmodi corporis acierum; 2° hedrarum; 3° superficierum; 4° soliditatis; 5° radii denique circuli qui circa singulam cujusvis corporis supra inventi hedram circumscribi potest.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT VIII. IDUS OCTOBRIS MDCCCXXI.

PROOEMIUM.

Cum pulcherrimam Quæstionem Mathematicam, quam anno 1821 proposuit Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Academiæ Lovaniensis, tractare statueram; methodis variis perpensis analytice eam aggressus sum, quando quidem ex uberi analyseos fonte, quacunque postulantur, simul quasi profluant.

Stricto quæstionis sensu detentus, quæcunque superflua videri possent, consulto suppressi, ne hæc nostra Dissertatio aut confusa aut nimis longa evaderet. Quocirca plura generalius quamquam demonstrare potuissem, huc eatenus tantum attigi, quatenus ad pro-

positum argumentum proxime pertinere videbantur. Itaque demonstrationes præceptorum Analyseos et Geometriæ, quæ passim occurrunt in libris elementaribus, omisi.

Atque hæc pauca in antecessum monita sufficiant. Quod reliquum est, oro rogoque doctissimos viros, quibus de mea dissertatione erit judicandum, ut benevolo animo eam excipiant et si quæ minus accurate aut parum dilucide hinc inde tractata reperierint, hoc vitium adolescentiæ meæ ignoscant.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM MATHEMATICAM.

PARS PRIOR.

§ I.

Priusquam resolutionem ipsam hujus Quæstionis aggrediar, dicendum mihi est primum, quidnam intelligam *angulos solidos æquales vel symmetricos?* ac deinde examinandum mihi est, quando *ad polygonum regulare construi nequeant anguli solidi æquales vel symmetrici angulis planis duplicis generis constantes?*

Anguli solidos *æquales* in genere intelligo illos, qui iisdem angulis planis, eodem numero et ordine dispositis constant; sint v. g. anguli plani α, β, γ; δ; anguli solidi æquales erunt si habeant $\alpha\beta\gamma\delta$; $\alpha\beta\gamma\delta$; anguli solidi *symmetrici* sunt illi qui iisdem angulis planis, sed ordine inverso, dispositis constant, v. g. anguli solidi $\alpha\beta\gamma\delta$ et $\delta\gamma\beta\alpha$.

Sit, fig. 1, polygonum quodcumque regulare cujus laterum

(Fig. 1.) numerus sit n : Si super latus 1 describatur figura quæcumque regularis, diversa a polygono dato, v. g. triangulum æquilaterum; super latus 2 figura identica polygono n laterum dato; his figuris rite secundum latera communia complicatis, obtinetur angulus solidus A : ut angulus solidus B sit symmetricus cum angulo solido A, describenda est super latus 3 figura illi quæ super latus 1 descripta est identica; ut vero angulus solidus C fiat symmetricus cum B, vel æqualis angulo A, super latus 4 describes figuram identicam illi, quæ descripta super latus 2 concipitur, et in genere sicuti apparet, ut ad angulos planos figuræ n laterum datæ efformentur hoc modo anguli solidi symmetrici vel æquales, cum super latera numeris imparibus 1, 3, 5, ... designata, describendæ sint figuræ identicæ, et super latera numeris paribus 2, 4, 6, ... insignita, describenda etiam sint polygona alterius speciei, cum n^{gono} dato identica; si itaque n sit numerus impar, fieri nequit, ut anguli solidi hoc modo ad n^{gonum} datum efformati sint æquales vel symmetrici; cum enim lateribus contiguis 1 et n^{to} (ultimo) superscribantur figuræ identicæ, angulus ultimus solidus (N^{tus}) efformabitur uno angulo plano n^{goni} dati, cum duobus angulis planis illius speciei figuræ quæ lateri 1 inscribitur, cum reliqui omnes anguli solidi duobus angulis planis speciei n^{goni} et uno illius figuræ speciei quæ lateri 1 inscribitur, constarent.

§ II.

Inde patet, effici non posse, ut anguli solidi æquales vel symmetrici efformentur, si componi singulus debeat e duobus angulis planis figuræ impari laterum numero cum tertio angulo plano cujuscumque figuræ.

§ III.

Quibus præmonitis jam ad investiganda corpora, quæ conditionibus supra prolatis, satisfaciant, accedere licebit.

Sint figuræ adhibendæ $m^{\text{gonæ}}$ et $n^{\text{gonæ}}$ (*i. e.* singula figura prioris speciei habeat numerum m laterum, et posterioris numerum n) sintque M et N numeri figurarum $m^{\text{gon.}}$ et $n^{\text{gon.}}$ in corpore; ad singulum angulum solidum numerus p angulorum planorum m^{gonorum} et numerus q n^{gonorum} adhibeantur, et postremo dicatur E numerus angulorum solidorum totius corporis.

Quoniam in figuris planis numerus angulorum æqualis est numero laterum, in solido integro reperientur prioris speciei anguli plani $\mathrm{M}m$, quorum cum numerus p ad quemvis angulum solidum adhibeatur, erit : $\mathrm{E}=\frac{\mathrm{M}m}{p}$, et eodem plane ratiocinio $\mathrm{E}=\frac{\mathrm{N}n}{q}$; itaque

$$\mathrm{M}=\frac{\mathrm{E}p}{m}\ldots\ldots(1),$$

et

$$\mathrm{N}=\frac{\mathrm{E}q}{n}\ldots\ldots(2).$$

§ IV.

Uti constat e geometriâ elementari, p anguli figuræ $m^{\text{gonæ}}$ faciunt $p\left(\frac{2m-4}{m}\right)$ angulos rectos $\left(\text{quod indicabimus per } p\left(\frac{2m-4}{m}\right)\mathrm{R}\right)$; itidem q anguli figuræ $n^{\text{gonæ}}$ præstant

$q\left(\frac{2n-4}{n}\right)$ R. Ast in omni solido hedris planis incluso summa omnium angulorum, planorum qui ejus hedris insidunt, æqualis est quater tot angulis rectis, quot sunt anguli solidi demptis octo (1); undè

$$Ep\left(\frac{2m-4}{m}\right)R+Eq\left(\frac{2n-4}{n}\right)R=(4E-8)R,$$

seu supprimendo factorem communem R, et denominatores,

$$E\left[np(2m-4)+mq(2n-4)\right]=(4E-8)mn;$$

quo elicitur :

$$E=\frac{4mn}{2mn-np(m-2)-mq(n-2)};$$

designando denominatorem $2mn-np(m-2)-mq(n-2)$ per A, erunt

$$E=\frac{4mn}{A}\;\ldots\ldots\ldots\;(3),$$

et ex æquatione (1)

$$M=\frac{4np}{A}\;\ldots\ldots\ldots\;(4),$$

ex æquatione (2)

$$N=\frac{4mq}{A}\;\ldots\ldots\ldots\;(5).$$

§ V.

Si in his formulis (3), (4), (5), determinentur valors

---

(1) Cnfr. Nov. Comment. Acad. Petrop. tom. IV, pag. 154, ann. 1752-1753.

quantitatum m, n, p et q, obtinebuntur per (3) numerus angulorum solidorum illorum corporum, per (4) numerus $m^{gonorum}$ et per (5) numerus $n^{gonorum}$ quibus illa limitantur. Si pro E, M vel N prodeant numeri fracti aut negativi, polyedrum efformari nequit, uti sponte liquet.

§ VI.

Assumatur ideo $m=3$, $n=4$, *i. e.* hedræ sint *triangula æquilatera* et *quadrata*, et ad quemvis angulum solidum construendum unicus tantum trianguli ungulus planus adhibeatur, sive $p=1$; hinc efficitur

$$A=2.3.4-4-2.3q=20-6q;$$

unde patet, ne quantitates E, M et N fiant negativæ, q non posse superare numerum 3, cum saltem $q=2$ sit (etenim angulus solidus tribus certe constet angulis planis necesse est); itaque $q=2$, vel $q=3$ fieri potest.

Si $q=2$,
erit $A=8$,

$$M=\frac{4.4}{8}=2,$$ Corpus prim.

$$N=\frac{4.3.2}{8}=3,$$

id est hoc modo nascitur corpus duobus triangulis et tribus quadratis terminatum, et cujus anguli solidi numero 6 constant, singuli angulo uno trianguli et duobus quadrati; hoc igitur corpus nihil aliud est quam *prisma triangulare*. Ejus rete exhibetur fig. 5 : in retibus anguli plani iisdem numeris insigniti ad eumdem angulum solidum pertinent.

2.

§ VII.

Hinc apparet, cum duo anguli quadrati tantum ad 180° assurgant, (usi sumus divisione peripheriæ sexagesimali) iis conjungi posse angulum polygoni cujuscumque regularis, ut corpus datis conditionibus satisfaciens oriatur, quod etiam manifestum fit e formulis obtinendis, si $m=4$, $p=2$, $q=1$ statuantur; tum enim nanciscimur

$$A=2.4.n-2.2.n-4.n+8=8.$$
$$E=2n,\ M=n,\ N=2,$$

quæ formulæ valores positivos et integros, quidquid n repræsentet, suppeditant.

In illis igitur corporibus est numerus angulorum solidorum duplex numeri laterum $n$goni, quorum adhibentur duo, cum tot quadrata quot latera habet $n$gonum usurpentur.

§ VIII.

Sit $q=3$; quo in casu, quolibet angulo solido ex uno Corpus secun. trianguli et tribus quadrati angulis linearibus constanti, fiunt Fig. 6. $A=2$, $E=24$, $M=8$, $N=18$. *i. e.* superficies hujus corporis octo triangulis et duodeviginti quadratis constans viginti quatuor angulis solidis prædita est.

§ IX.

Fiat $p=2$, tunc $q=1$ fieri nequit (§ II); quæcumque sit n, eliciuntur :

$$A=16-6q$$

igitur fieri tantum potest $q=2$, quo

$$A=4,\ E=12,\ M=8,\ N=6,\ i.\ e.$$ Corpus 3m. Fig. 7.

hoc corpus pro terminis habet 8 triangula et 6 quadrata, quivis angulus solidus binis trianguli regularis et binis quadrati linearibus componitur.

§ X.

Si $p=3$, est $A=12-6q$, unde tantum $q=1$; quo fiunt

$$A=6,\ E=8,\ M=8,\ N=2;$$ Corpus 4m. Fig. 8.

corpus igitur hocce, 8 triangulis et duobus quadratis terminatum, octo angulis solidis est præditum.

§ XI.

Iterum ultro apparet, quum angulus linearis figuræ cujuscumque regularis sit minor 180°, et tres anguli plani trianguli æquilateri tantum faciant 180°, tribus ejusmodi angulis adsociari posse angulum figuræ cujuscumque, et hoc etiam nostra hac demonstratione comprobatur. Si enim $m=3$, $p=3$, $q=1$ fiant, obtinentur

$$A=6,\ E=2n,\ M=2n,\ N=2.$$

In his igitur corporibus est numerus angulorum solidorum duplex numeri laterum n^{goni}, cujus generis adhibentur duo, præterea tot applicentur triangula, quot duplex numerus laterum n^{goni} unitates complectitur; adeoque numerus angulorum solidorum æqualis est numero triangulorum adhibitorum.

§ XII.

Si $p=4$, obtinetur $A=8-6q$ unde perspicitur tantum $q=1$ esse posse, tunc

$$A=2,\ E=24,\ M=32,\ N=6,\ i.\ e.$$ Corpus 5m. Fig. 9.

limites corporis hujus sunt 32 triangula et 6 quadrata; quivis angulus solidus, quorum insunt 24, quatuor trianguli unoque quadrati linearibus componitur. $p = 5$ fieri nequit; nam quinque illi anguli $= 300^\circ$ ad quos nullus angulus figurarum regularium quæ triangulum sequuntur, accedere potest, dum summa angulorum planorum angulum solidum constituentium superaret 360°, quæ sit repugnantia.

§ XIII.

De *triangulis* et *pentagonis*, sive $m = 3$, $n = 5$.

Fieri nequit corpus quæsitum, si $p = 1$ et $q = 2$, neque si $p = 2$ et $q = 1$ (§ II). Sit itaque $p = 2$, erit $A = 20 - 9q$, ergo assumendo $q = 2$, obtinentur

Corpus 6m. Fig. 10.

$$A = 2, \; E = 30, \; M = 20, \; N = 12;$$

quo elucescit, hoc corpus 20 quadratis et 12 pentagonis regularibus terminatum 30 angulos solidos habere.

§ XIV.

Sit $p = 3$, tunc $A = 15 - 9q$, unde tantum $q = 1$ esse potest, de quo jam § X, mentio facta est.

§ XV.

Fiat $p = 4$, tunc $A = 10 - 9q$, ergo $q = 1$ tantum,

Corpus 7m. Fig. 11.

$$A = 1, \; E = 60, \; M = 80, \; N = 12.$$

Præter hæc corpora, e triangulis et pentagonis fieri nulla alia possunt.

§ XVI.

De *triangulis* et *hexagonis*, sive $m = 3$, $n = 6$.

Si $p=1$, erit $A=30-12q$, ubi $q=2$ tantùm; quo posito, habentur

$$A=6, \ E=12, \ M=4, \ N=4$$ Corpus 8m. Fig. 12.

§ XVII.

Pro $p=2$ esset $A=24-12q$, nullum igitur corpus hoc casu construi potest, nam $q=1$ adversatur § II, et $q=2$ dat $A=o$, $E=\infty$, $M=\infty$, $N=\infty$ quo nascitur sphæra ipsa.

$p=3$ et $q=1$ jam actum est.

§ XVIII.

De *triangulis* et *heptagonis*, sive $m=3$, $n=7$.

Fieri tantum potest $p=3$, $q=1$ de quo jam sermo fuit in § XI.

§ XIX.

De *triangulis* et *octogonis*, sive $m=3$, $n=8$.

Si $p=1$, est $A=40-18q$, ubi fieri tantum potest $q=2$, quó obtinentur:

$$A=4, \ E=24, \ M=8, \ N=6.$$ Corpus 9m. Fig. 13.

fieri etiam potest $p=3$, $q=1$ de quo egimus § XI.

§ XX.

De *triangulis* et *Enneagonis*, sive $m=3$, $n=9$.

Fieri tantum potest $p=3$, $q=1$ de quo § XI, jam sermo fuit.

§ XXI.

De *triangulis* et *decagonis*, sive $m=3$, $n=10$.

Si $p=1$, fit $A=50-24q$ fieri igitur tantum potest $q=2$, quo in casu

Corpus 10m. Fig. 14. $A=2,\ E=60,\ M=20,\ N=12.$

De $p=3$, $q=1$ consulas § XI.

Jamjam actum est de triangulis cum reliquis figuris regularibus, triangulum sequentibus jam acturus sum.

§ XXII.

De solidis terminatis a quadratis et reliquis figuris regularibus quadratum sequentibus.

De *quadratis* et *pentagonis*, sive $m=4$, $n=5$.

Fieri tantum potest illud corpus quod continetur § VII.

§ XXIII.

De *quadratis* et *hexagonis*, sive $m=4$, $n=6$.

Pro $p=1$, est $A=36-16q$, et $q=2$ præstat

Corpus 11m. Fig. 15. $A=4,\ E=24,\ M=6,\ N=8.$

superest corpus pro $p=2$, $q=1$ de quo § VII.

§ XXIV.

De solidis terminatis a pentagonis et reliquis figuris pentagonum sequentibus.

De *pentagonis* et *hexagonis* $m=5$, $n=6$.

Si $p=1$, obtinetur $A=42-20q$. Ergo $q=2$ suppeditat

Corpus 12m. Fig. 16. $A=2,\ E=60,\ M=12,\ N=20.$

§ XXV.

Plura corpora conditionibus datis non satisfaciunt, præter ea quæ continentur formulis §§ VII et XI, quorum tot sunt quot polygona regularia diversa; nam omnia reliqua corpora, quæ efformari possent, vi § II, excluduntur ex eo quod eorum anguli solidi constarent angulis planis quorum summa superaret quatuor rectos.

Ut autem demonstrem, corpora superius inventa esse sphæræ inscriptibilia, sit (fig. 17) ABCDEF hedra quæcumque nostrorum corporum sphæræ inscripta, sintque qui in hac fig. 17 extra figuram rectilineam jacent arcus circulorum maximorum, quos quodvis latus hedræ subtendit; si in hoc polygono sphærico, his arcubus intercluso, ab uno angulo ducantur diagonales AC, AD, AE, polygonum sphæricum his diagonalibus dividetur in tot triangula sphærica, quot habet illud polygonum latera demptis duobus; area vero cujuscumque trianguli sphærici, ut constat, sese habet ad superficiem sphæræ, ut differentia, quæ inter summam ejus angulorum et duos rectos intercedit, ad octo rectos. Hinc si S sphæræ superficiem et R angulum rectum referant, erunt :

$$\text{area triang. sph. } ABC = \frac{\text{ang. sph. }(ABC + ACB + BAC) - 2R}{8R} \times S;$$

$$\text{area } \triangle^{i} \text{ sph. } ACD = \frac{\text{ang. sph. }(ACD + ADC + CAD) - 2R}{8R} \times S;$$

$$\text{. . . . . } ADE = \frac{\text{ang. sph. }(ADE + AED + DAE) - 2R}{8R} \times S;$$

$$\text{. . . . . } AEF = \frac{\text{ang. sph. }(AEF + AFE + EAF) - 2R}{8R} \times S.$$

Summa omnium arearum horum triangulorum constituit

aream polygoni sphærici, quod correspondet hedræ ABCDEF, et summa omnium angulorum sphæricorum æqualis est summæ angulorum polygoni hujus sphærici, qui ultimi anguli omnes sunt æquales, quia hedra est polygonum regulare, adeoque si numerus laterum hedræ sit m, et A angulus sphæricus correspondens angulo hedræ, erit numerus ejusmodi angulorum æqualis m, totiesque erunt ab mA subtrahendi 2R, in quot divisum est polygonum sphæricum triangula; inde habebitur

$$\left.\begin{array}{l}\text{area polygoni sphærici hedræ}\\ m^{\text{gonæ}}\text{ correspondentis}\end{array}\right\} = \frac{mA - (m-2)2R}{8R} \times S.$$

Si A sit angulus sphæricus correspondens angulo plano $n^{\text{gonæ}}$ hedræ, eidem sphæræ inscriptæ, simili ratiocinio erit

$$\left.\begin{array}{l}\text{area polygoni sphærici hedræ}\\ n^{\text{gonæ}}\text{ correspondentis}\end{array}\right\} = \frac{nA' - (n-2)2R}{8R} \times S.$$

Cum in quovis nostrorum corporum dentur M hedræ $m^{\text{gonæ}}$ et N, $n^{\text{gonæ}}$, erit summa superficierum polygonorum sphæricorum, quæ correspondent omnibus hedris corporis cujusvis, æqualis

$$\frac{(mA - (m-2)2R)M + (nA' - (n-2)2R)N}{8R} \times S.$$

Ex § IV obtinentur

$$M = \frac{4np}{2mn - np(m-2) - mq(n-2)},$$

et

$$N = \frac{4mq}{2mn - np(m-2) - mq(n-2)};$$

hisce valoribus fit superior formula

$$\frac{(mA-(m-2)2R)4np+(nA'-(n-2)2R)4mq}{8R[2mn-np(m-2)-mq(n-2)]}\times S\;;$$

quæ hedræ, ut corpora nostra exsurgant, ita in sphæra collocari debent, ut singulus angulus solidus constet p angulis planis m^{gonis} et q n^{gonis}; itaque superior formula præstet superficiem ipsius sphæræ oportet, si corpus quodvis nostrum sit sphæræ inscriptibile; in quovis puncto superficiei sphæræ, ubi angulus solidus corporis hanc tanget, arcus circulorum maximorum, quos acies unius anguli subtendunt p angulos A, et q æquales A' constituent, cumque omnes isti anguli ad idem punctum sphæræ superficiei efficiunt 4 rectos, erit

$$pA+qA'=4R,\ \text{unde}\ A'=\frac{4R-pA}{q};$$

hoc valore substituto in superiori formula pro summa omnium horum polygonorum invenitur, reductionibus factis, quantitas S.

PARS POSTERIOR.

De determinandis quantitatibus acierum, hedrarum, superficierum atque solididatum corporum supra inventorum; atque etiam de radiis circulorum circa hedras circumscribendorum ope radii sphæræ dati expressis.

§ XXVI.

1. Sit ABCDE. . . (fig. 2), hedra quæcumque corporum
Fig. 2. supra determinatorum, si ab angulo primo A ad tertium C ducatur recta diagonalis AC, obtinebitur triangulum ABC isosceles.

2. Sit triangulum planum ABC sphæræ inscriptum, cujus
Fig. 3. anguli designentur literis α, β, γ; latera a', b', c'; sitque $b'=c'$ (fig. 3) : arcus AcB, BaC et AbC circulorum maximorum, quorum chordæ sunt latera trianguli plani, efformant triangulum sphæricum isosceles ABC, cujus anguli literis majusculis A, B, C, et latera minusculis a, b, c, exhibeantur.

3. Supposito sphæræ radio unitati æquali, erunt in fig. 3.

$$\sin \tfrac{1}{2} a = \tfrac{1}{2} a'; \ \sin \tfrac{1}{2} b = \tfrac{1}{2} b' = \sin \tfrac{1}{2} c = \tfrac{1}{2} c';$$

in triangulo sphærico ABC habetur ex formula trigonometriæ sphæricæ usitata

$$\cos\ A = \frac{\cos a - \cos b.\ \cos c}{\sin b.\ \sin c},$$

et in casu nostro

$$\cos\ A = \frac{\cos a - \cos^2 b}{\sin^2 b} \ldots\ldots (6).$$

Ex formula $\cos\ a = \cos^2\frac{1}{2}a - \sin^2\frac{1}{2}a$ obtinetur

$$\cos\ a = 1 - \tfrac{1}{4}a'^2 - \tfrac{1}{4}a'^2 = 1 - \tfrac{1}{2}a'^2$$

et

$$\cos\ b = 1 - \tfrac{1}{2}b'^2.$$

Substitutis his valoribus æquatio (6) in hanc transformatur, observando $\sin^2 b = 1 - \cos^2 b = b'^2 - \frac{b'^4}{4}$,

$$\cos\ A = \frac{4b'^2 - 2a'^2 b'^4}{b'^2(4 - b'^2)}.$$

Sed in triangulo plano isosceli ABC est:

$$a'^2 = 2b'^2 - 2b'^2 \cos\alpha = 2b'^2(1 - \cos\alpha) = 4b'^2 \sin^2\tfrac{1}{2}\alpha;$$

quo valore substituto fiet

$$\cos\ A = \frac{4 - 8\sin^2\frac{1}{2}\alpha - b'^2}{4 - b'^2};$$

sed $\cos\ A = 1 - 2\sin^2\frac{1}{2}A$; ergo

$$1 - 2\sin^2\tfrac{1}{2}A = \frac{4 - 8\sin^2\frac{1}{2}\alpha - b'^2}{4 - b'^2};$$

unde elicitur

$$\sin \tfrac{1}{2} A = \frac{2 \sin \frac{1}{2} \alpha}{\sqrt{4 - b'^2}} = \frac{\sin \frac{1}{2} \alpha}{\sqrt{\frac{4 - b'^2}{4}}};$$

denotando $\sqrt{\frac{4-b'^2}{4}} = \cos \frac{1}{2} b$ (quod sequitur ex art. 3 hujus §, quia $\sin \frac{1}{2} b = \frac{1}{2} b'$), obtinetur

$$\sin \tfrac{1}{2} A = \frac{\sin \frac{1}{2} \alpha}{\cos \frac{1}{2} b},$$

unde

$$\sin \tfrac{1}{2} \alpha = \sin \tfrac{1}{2} A \times \cos \tfrac{1}{2} b. \; . \; . \; . \; . \; (7).$$

§ XXVII.

Litera α exhibet angulum hedræ cujuscumque planum, sed assumere pro angulo m^{goni} lubebit; erit A angulus sphæricus correspondens angulo plano α, et b designabit arcum quem subtendit acies corporis. Si per α' angulus planus n^{goni} desi-gnetur, et per A′ angulus sphæricus huic angulo α' plano correspondens, erit etiam

$$\sin \tfrac{1}{2} \alpha' = \sin \tfrac{1}{2} A' \times \cos \tfrac{1}{2} b. \; . \; . \; . \; . \; (8);$$

his duabus æquationibus (7) et (8) ad invicem collatis, elicitur

$$\sin \tfrac{1}{2} \alpha : \sin \tfrac{1}{2} \alpha' :: \sin \tfrac{1}{2} A : \sin \tfrac{1}{2} A'. \; . \; . \; . \; . \; (9);$$

quisquis sit radius sphæræ, facile perspicitur, proportionem (9) variari non posse, idcirco hunc radium supra posuimus unitati æqualem, ut calculus simplicior evaderet.

§ XXVIII.

Cognitis angulis α et α', ut determinetur igitur superest $\sin \frac{1}{2} A$ vel $\sin \frac{1}{2} A'$, et uno illorum sinu determinato tanquam

functione alterius, suppeditabit proportio (9) sinum vel cosinum alterius.

§ XXIX.

Ut sinus hic determinetur, animadvertendum est, ut in § XXV videmus, cum angulus solidus quivis ope p angulorum linearium m^{gonorum} et q angulorum linearium n^{gonorum} formetur, in puncto ubi angulus solidus tangit sphæram, efformari modo § XXVI, art. 2, exposito, p angulos sphæricos (quorum singulum per A designavimus) et q æquales angulo A′, qui omnes simul sumpti $= 360°$; itaque

$$pA + qA' = 360°,$$

adeoque etiam

$$p\frac{A}{2} + q\frac{A'}{2} = 180°;$$

unde

$$\sin p\frac{A}{2} = \sin q\frac{A'}{2} \ldots\ldots (10).$$

§ XXX.

Invento $\sin\frac{1}{2}A$ vel $\sin\frac{1}{2}A'$ obtinebitur beneficiæ præcedentium formularum (7) et (8)

$$\cos\tfrac{1}{2}b = \frac{\sin\frac{1}{2}\alpha}{\sin\frac{1}{2}A} = \frac{\sin\frac{1}{2}\alpha'}{\sin\frac{1}{2}A'} \ldots\ldots (11);$$

si repræsentetur acies quæcumque per x, et radius sphæræ per R′, erit (uti ex art. 3, § XXVI, patet),

$$x = 2R'\sin\tfrac{1}{2}b \ldots\ldots\ldots (12)$$

§ XXXI.

Cum quæcumque acies duobus lateribus hedrarum simul junctis formetur, erit acierum numerus F æqualis dimidiæ laterum omnium hedrarum copiæ, sive

$$F = \frac{Mm + Nn}{2} \ldots\ldots\ (13)$$

§ XXXII.

Proximum est, ut investigemus formulas pro radiis circulorum circa hedras circumscribendorum.

Fig. 4. Sit (fig. 4), hedra quæcumque nostrorum corporum sphæræ inscriptorum, si per medium hedræ punctum ducatur radius sphæræ, transibit per circuli polum circa hedram describendi, quod punctum sit C, si hoc punctum C ope arcuum circulorum qui sunt maximi in sphæræ superficie ductorum conjungatur cum angulis hujus hedræ, orientur hoc modo in superficie sphæræ tot triangula sphærica isoscelia, quot latera habet hedra, et circa punctum C in superficie sphæræ situm tot etiam anguli sphærici æquales efformabuntur, quot latera habet hedra (dicatur C angulus ejusmodi in puncto C efformatus): his factis in triangulo sphærico ACD rectangulo ad D (quod oritur demittendo ex C in triangulo sphærico ACB perpendiculum ad latus AB), erit:

$$\text{ang. sph. } ACD = \tfrac{1}{2}k, \text{ et arcus } AD = \tfrac{1}{2}\text{arc } AB,$$

$$\sin AC = \frac{\sin AD}{\sin \frac{1}{2}k} = \frac{\sin \frac{1}{2} AB}{\sin \frac{1}{2} k} = \frac{\sin \frac{1}{2} b}{\sin \frac{1}{2} k}.$$

§ XXXIII.

Designetur per η arcus AC, qui obtinetur modo § præce-

denti præscripto, in m^{gona} hedra; per k angulus sphæricus ACB (fig. 4) in m^{gona} hac hedra; per η' arcus AC in n^{gona} hedra, et per k' angulus sphæricus ACB in eodem n^{gono}, erunt

$$\sin \eta = \frac{\sin \frac{1}{2} b}{\sin \frac{1}{2} k} \ldots\ldots (14)$$

$$\sin \eta' = \frac{\sin \frac{1}{2} b}{\sin \frac{1}{2} k'} \ldots\ldots (15)$$

facile intelligitur esse $k = \frac{360^o}{m}$ et $k' = \frac{360^o}{n}$

§ XXXIV.

Si r designaverit radium circuli circa m^{gonum} et r' radium circuli circa n^{gonum} describendi erunt, uti ex fig. 4 patet:

$$r = R' \sin \eta \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots (16)$$

$$r' = R' \sin \eta' \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots\ldots (17)$$

§ XXXV.

Denotante s superficiem m^{goni}, et s' superficiem n^{goni}, cum superficies cujuscumque hedræ æqualis sit producto lateris ejus per dimidium perpendiculum e centro ejus ad latus demissum, toties sumto quot sunt latera in hedra, atque hoc perpendiculum sit pro m^{gono} $\sqrt{r^2 - \frac{1}{4} x^2}$, et pro n^{gono} $\sqrt{r'^2 - \frac{1}{4} x^2}$

erit

$$s = \tfrac{1}{2} m x \sqrt{r^2 - \tfrac{1}{4} x^2} \ldots\ldots\ldots\ldots (18),$$

$$s' = \tfrac{1}{2} n x \sqrt{r'^2 - \tfrac{1}{4} x^2} \ldots\ldots\ldots\ldots (19);$$

si S designet superficiem corporis integram, erit

$$S = Ms + Ns' \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots (20)$$

IV. 4

§ XXXVI.

Cum, soliditate corporis per Z designata, omnes hedræ efforment bases pyramidum rectarum, quarum vertices sunt in centro sphæræ, et unde componitur integrum solidum, atque omnia m^{gona} constituant bases pyramidum æqualium, quarum altitudines sunt $R' \cos \eta$, et omnia n^{gona} etiam sint bases pyramidum æqualium, quarum altitudines sunt $R' \cos \eta'$, erit :

$$Z = \frac{R'}{3} M s \cos \eta + \frac{R'}{3} N s' \cos \eta' \ldots \quad (21)$$

§ XXXVII.

Formulis hisce generalibus inventis restat, ut cujusvis corporum inde a § VI usque ad § XXVI laudatorum acies, hedras, superficies etc. inquiramus ; qua in disquisitione eumdem ordinem servabimus.

Pro corpore primo sunt

$m = 3$, $n = 4$, $\alpha = 60°$, $\alpha' = 90°$, $k = 120°$, $k' = 90°$,
$p = 1$, $q = 2$, $M = 2$, $N = 3$.

Fit itaque proportio (9).

$$\tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{2}} :: \sin \tfrac{1}{2} A : \sin \tfrac{1}{2} A',$$

quæ valet pro omnibus corporibus quorum hedræ sunt triangula et quadrata.

Præstat æquatio (10)

$$\sin \tfrac{1}{2} A = \sin A' = 2 \sin \tfrac{1}{2} A' \cos \tfrac{1}{2} A'$$

quo valore substituto fit proportio præcedens

$$\tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{2}} :: 2 \cos \tfrac{1}{2} A' : 1$$

inde

$$\cos \tfrac{1}{2} A' = \frac{1}{2\sqrt{2}},$$

et

$$\sin \tfrac{1}{2} A' = \tfrac{1}{2} \sqrt{\tfrac{7}{2}};$$

ex æquatione (11)

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \frac{1}{\sqrt{2}} : \tfrac{1}{2} \sqrt{\tfrac{7}{2}} = \frac{2}{\sqrt{7}},$$

et

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \sqrt{\tfrac{3}{7}};$$

suppeditat æquatio (12)

$$x = 2R' \sqrt{\tfrac{3}{7}};$$

ex æquatione (13) deducitur

$$F = \frac{2.3 + 3.4}{2} = 9, \text{ i. e.}$$

corpus novem aciebus præditum est.

In genere si $m = 4$, $p = 2$, $q = 1$ erit pro illis corporibus

$$F = \frac{4n + 2n}{2} = 3n.$$

Ex formula (14)

$$\sin \eta = \sqrt{\tfrac{3}{7}} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \frac{2}{\sqrt{7}}, \ \cos \eta = \sqrt{\tfrac{3}{7}};$$

æquatio (15) dabit

$$\sin \eta' = \sqrt{\tfrac{3}{7}} : \frac{1}{\sqrt{2}} = \sqrt{\tfrac{6}{7}},$$

et

$$\cos \eta' = \frac{1}{\sqrt{7}};$$

secundum æquationem (16)

$$r = \frac{2R'}{\sqrt{7}},$$

et ex æquatione (17)

$$r' = R'\sqrt{\tfrac{6}{7}};$$

juxta æquationem (18)

$$s = \frac{3.2R'\sqrt{3}}{2\sqrt{7}}\sqrt{\left(\frac{4R'^2}{7} - \frac{12R'^2}{4.7}\right)} = \frac{3R'^2\sqrt{3}}{7};$$

æquatione (19) habetur

$$s' = \frac{2.2R'^2\sqrt{3}}{\sqrt{7}}\sqrt{\left(\frac{6R'^2}{7} - \frac{3R'^2}{7}\right)} = \frac{12R'^2}{7};$$

æquatione (20)

$$S = \frac{2.3R'^2\sqrt{3}}{7} + \frac{12.3R'^2}{7} = \frac{6R'^2}{7}(\sqrt{3}+6),$$

tandem æquatione (21)

$$Z = \frac{2.3.R'^3.3}{3.7.\sqrt{7}} + \frac{12.3R'^3}{3.7\sqrt{7}} = \frac{18R'^3}{7\sqrt{7}}.$$

§ XXXVIII.

Pro corpore secundo.

$m=3$, $n=4$, $p=1$, $q=3$, $M=8$, $N=18$; $\alpha=60°$, $\alpha'=90°$, $k=120°$ et $k'=90°$;

itaque

$$\tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{2}} :: \sin\tfrac{1}{2}A : \sin\tfrac{1}{2}A';$$

$$\sin\tfrac{1}{2}A = \sin\tfrac{3}{2}A' = \sin\tfrac{1}{2}A'\cos A' + \sin A'\cos\tfrac{1}{2}A';$$

atqui

$$\cos A' = \cos^2\tfrac{1}{2}A' - \sin^2\tfrac{1}{2}A',$$

et

$$\sin A' = 2\sin\tfrac{1}{2}A'\cos\tfrac{1}{2}A',$$

fiet igitur his substitutis

$$\sin\tfrac{1}{2}A = (3\cos^2\tfrac{1}{2}A' - \sin^2\tfrac{1}{2}A')\sin\tfrac{1}{2}A',$$

unde

$$\tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{2}} :: (3\cos^2\tfrac{1}{2}A' - \sin^2\tfrac{1}{2}A') : 1;$$

inde obtinetur

$$\cos\tfrac{1}{2}A' = \tfrac{1}{2}\sqrt{\frac{1+\sqrt{2}}{\sqrt{2}}},$$

$$\sin\tfrac{1}{2}A' = \sqrt{\frac{3\sqrt{2}-1}{4\sqrt{2}}},$$

$$\cos\tfrac{1}{2}b = \frac{1}{\sqrt{2}} \times \sqrt{\frac{4\sqrt{2}}{3\sqrt{2}-1}} = \sqrt{\frac{4\sqrt{2}}{6\sqrt{2}-2}}.$$

Multiplicando ultimæ hujus fractionis tum numeratorem tum denominatorem per $6\sqrt{2}+2$, ut quantitates denominatoris radicales dispareant, prodit,

$$\cos\tfrac{1}{2}b = \sqrt{\frac{12+2\sqrt{2}}{17}};$$

unde

$$\sin\tfrac{1}{2}b = \sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{17}};$$

$$x = 2R'\sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{17}}$$

$$F = \frac{3.8+4.18}{2} = 48,$$

$$\sin\eta=\sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{17}}:\frac{\sqrt{3}}{2}=2\sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{51}};$$

$$\cos\eta=\sqrt{\frac{31+8\sqrt{2}}{51}};$$

$$\sin\eta'=\sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{17}}:\frac{1}{\sqrt{2}}=\sqrt{\frac{10-4\sqrt{2}}{17}};$$

itaque

$$\cos\eta'=\sqrt{\frac{7+4\sqrt{2}}{17}};$$

$$r=2R'\sqrt{\frac{5-4\sqrt{2}}{51}};$$

$$r'=R'\sqrt{\frac{10-4\sqrt{2}}{17}};$$

$$s=\frac{3.2R'}{2}\sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{17}}.\sqrt{\left[4R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{51}\right)-R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)\right]}$$

$$=3R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17\sqrt{3}}\right)=R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)\sqrt{3}.$$

$$s'=4R'\sqrt{\frac{5-2\sqrt{2}}{17}}.\sqrt{\left[R'^2\left(\frac{10-4\sqrt{2}}{17}\right)-R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)\right]}$$

$$=4R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right);$$

$$S=8R'^2\sqrt{3}\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)+72R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)$$

$$=(8\sqrt{3}+72)R'^2\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right);$$

$$Z=\tfrac{8}{3}R'^3\sqrt{3}\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)\sqrt{\frac{31+8\sqrt{2}}{3.17}}+\tfrac{72}{3}R'^3\left(\frac{5-2\sqrt{2}}{17}\right)\sqrt{\frac{7+4\sqrt{2}}{17}}$$
$$=\frac{R'^3(5-2\sqrt{2})}{17\sqrt{17}}[\tfrac{8}{3}\sqrt{(31+8\sqrt{2})}+24\sqrt{(7+4\sqrt{2})}].$$

§ XXXIX.

Pro corpore tertio sunt

$p=2$, $q=2$, $M=8$, $N=6$, cætera ut in præcedentibus. Itaque

$$\sin A=\sin A'$$

id est ang. $A=(180^\circ-A')$, nam quamvis $\sin A=\sin A'$, fieri nequit ut ang. $A=$ang. A', cum A sit angulus sphæricus correspondens angulo plano trianguli, et A' correspondens angulo plano quadrati; hinc

$$\sin\tfrac{1}{2}A=\cos\tfrac{1}{2}A',$$

adeoque

$$\tfrac{1}{2}:\frac{1}{\sqrt{2}}::\cos\tfrac{1}{2}A':\sin\tfrac{1}{2}A',$$

unde

$$\sin\tfrac{1}{2}A'=\sqrt{\tfrac{2}{3}},$$

$$\cos\tfrac{1}{2}b=\frac{1}{\sqrt{2}}:\sqrt{\tfrac{1}{2}}=\frac{\sqrt{3}}{2};$$

ergo

$$\sin\tfrac{1}{2}b=\tfrac{1}{2},$$

$$x=R,$$

$$F=\frac{3.8+4.2}{2}=16;$$

$$\sin \eta = \tfrac{1}{2} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \frac{1}{\sqrt{3}};$$

$$\cos \eta = \sqrt{\tfrac{2}{3}};$$

$$\sin \eta' = \tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{3}} = \frac{1}{\sqrt{2}} = \cos \eta';$$

$$r = \frac{R'}{\sqrt{3}};$$

$$r' = \frac{R'}{\sqrt{2}};$$

$$s = \frac{3R'}{2}\sqrt{\left(\frac{R'^2}{2} - \frac{R'^2}{4}\right)} = \frac{3R'^2}{4\sqrt{3}} = \frac{R'^2\sqrt{3}}{4};$$

$$s' = 2R'\sqrt{\left(\frac{R'^2}{2} - \frac{R'^2}{4}\right)} = R'^2;$$

$$S = \frac{8R'^2\sqrt{3}}{4} + 6R'^2 = R'^2(2\sqrt{3} + 6);$$

$$Z = \frac{2R'^3\sqrt{3}.\sqrt{2}}{3\sqrt{3}} + \frac{6R'^3}{3\sqrt{2}} = \frac{5R'^3\sqrt{2}}{3}.$$

§ XL.

Pro corpore quarto habentur.

$$p=3,\ q=1,\ M=8,\ N=2;$$

ergo

$$\sin \tfrac{3}{2} A = \sin \tfrac{1}{1} A'$$

et eodem modo ac pro corpore secundo,

$$(3\cos^2 \tfrac{1}{2} A - \sin^2 \tfrac{1}{2} A)\ \sin \tfrac{1}{2} A = \sin \tfrac{1}{2} A';$$

hinc

$$\tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{2}} :: 1 : (3\cos^2 \tfrac{1}{2}A - \sin^2 \tfrac{1}{2}A)$$

unde

$$\cos \tfrac{1}{2} A = \frac{\sqrt{(1+\sqrt{2})}}{2},$$

$$\sin \tfrac{1}{2} A = \frac{\sqrt{(3-\sqrt{2})}}{2},$$

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \tfrac{1}{2} : \frac{\sqrt{(3-\sqrt{2})}}{2} = \frac{1}{\sqrt{(3-\sqrt{2})}} = \sqrt{\frac{3+\sqrt{2}}{7}};$$

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{7}},$$

$$x = 2R' \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{7}};$$

$$F = \frac{2.3n + 2n}{2} = 4u;$$

in genere pro his corporibus (vide § XI), et nostro in casu $F = 16$.

$$\sin \eta = \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{7}} : \frac{\sqrt{3}}{2} = 2\sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{21}},$$

$$\cos \eta = \sqrt{\frac{5+4\sqrt{2}}{21}};$$

$$\sin \eta' = \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{7}} : \frac{1}{\sqrt{2}} = \sqrt{\frac{8-2\sqrt{2}}{7}},$$

$$\cos \eta' = \sqrt{\frac{2\sqrt{2}-1}{21}};$$

$$r = 2R' \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{21}};$$

$$r' = R' \sqrt{\frac{8-2\sqrt{2}}{7}};$$

$$s = 3R' \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{21}} \sqrt{\left(R'^2 \frac{(16-4\sqrt{2})}{21} - R'^2 \frac{(4-\sqrt{2})}{7}\right.}$$

$$= \left.\frac{\sqrt{3}.R'^2(4-\sqrt{2})}{7}\right) ;$$

$$s' = 4R' \sqrt{\frac{4-\sqrt{2}}{7}} \sqrt{\left(2R'^2 \frac{(4-\sqrt{2})}{7} - R'^2 \frac{(4-\sqrt{2})}{7}\right)}$$

$$= 4R'^2\left(\frac{4-\sqrt{2}}{7}\right) ;$$

$$S = \frac{8\sqrt{3}R'^2(4-\sqrt{2})}{7} + 8R'^2\left(\frac{4-\sqrt{2}}{7}\right) = 8R'^2(4-\sqrt{2})\left(\frac{1+\sqrt{2}}{7}\right);$$

$$Z = \frac{8\sqrt{3}R'^3(4-\sqrt{2})\sqrt{(5+4\sqrt{2})}}{7.\sqrt{21}} + \frac{8R'^3(4-\sqrt{2})\sqrt{(2\sqrt{2}-1)}}{7\sqrt{7}}$$

$$= \frac{8R'^3(4-\sqrt{2})}{7\sqrt{7}} [\sqrt{(5+4\sqrt{2})} + \sqrt{(2\sqrt{2}-1)}].$$

§ XLI.

Pro corpore quinto habentur :

$$p=4, \; q=1, \; M=32, \; N=6;$$

itaque

$$\sin 2A = \sin \tfrac{1}{2} A';$$

at

$$\sin 2A = 2 \sin A \cos A$$

$$= 4 \sin \tfrac{1}{2} A \cos \tfrac{1}{2} A (\cos^2 \tfrac{1}{2} A - \sin^2 \tfrac{1}{2} A)$$

$$= 4 \sin \tfrac{1}{2} A \cos \tfrac{1}{2} A (2 \cos^2 \tfrac{1}{2} A - 1),$$

erit igitur

$$\tfrac{1}{2} : \frac{1}{\sqrt{2}} :: 1 : 4 \cos \tfrac{1}{3} A \left(2 \cos^2 \tfrac{1}{3} A - 1\right),$$

unde obtinetur

$$\cos^3 \tfrac{1}{3} A - \tfrac{1}{2} \cos \tfrac{1}{3} A = \frac{1}{4\sqrt{2}};$$

hæc æquatio tertii gradus secundum regulam CARDANI resoluta (1) suppeditat :

$$\cos \tfrac{1}{3} A = \sqrt[3]{\frac{\frac{1}{4\sqrt{2}} + \sqrt{\left(\frac{1}{32} - \frac{1}{54}\right)}}{2}} + \sqrt[3]{\frac{\frac{1}{4\sqrt{3}} - \sqrt{\left(\frac{1}{32} - \frac{1}{54}\right)}}{2}}$$

$$= \sqrt[3]{\left(\frac{1}{8\sqrt{2}} + \sqrt{\frac{11}{3456}}\right)} + \sqrt[3]{\frac{1}{8\sqrt{2}} - \sqrt{\frac{11}{3456}}}\,,$$

ergo

$$\sin \tfrac{1}{3} A = \sqrt{\left[1 - \left(\sqrt[3]{\left(\frac{1}{8\sqrt{2}} + \sqrt{\frac{11}{3456}}\right)} + \sqrt[3]{\left(\frac{1}{8\sqrt{2}} - \sqrt{\frac{11}{3456}}\right)}\right)^2\right]};$$

repræsentabimus valorem hunc pro $\sin \tfrac{1}{3} A$ per v, quippe circa valores quantitatum subsequentium ope æquivalentis $\sin \tfrac{1}{3} A$ reductio nulla institui potest. Quo pacto habetur :

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \frac{1}{2v},$$

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \frac{\sqrt{(4v^2 - 1)}}{2v};$$

$$F = \frac{3.32 + 4.6}{2} = 60;$$

(1) Conf. Euleri Alg. Part. II, § 172, sqq

$$x = \frac{R'}{v}\sqrt{(4v^2 - 1)};$$

$$\sin \eta = \frac{\sqrt{4v^2 - 1}}{2v} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \frac{1}{v}\sqrt{\frac{4v^2 - 1}{3}},$$

$$\cos \eta = \frac{1}{v}\sqrt{\frac{1 - v^2}{3}};$$

$$\sin \eta' = \frac{\sqrt{(4v^2 - 1)}}{2v} : \frac{1}{\sqrt{2}} = \frac{1}{v}\sqrt{\frac{4v^2 - 1}{2}};$$

$$\cos \eta' = \frac{1}{v}\sqrt{\frac{1 - 2v^2}{2}};$$

$$r = \frac{R'}{v}\sqrt{\frac{4v^2 - 1}{3}};$$

$$r' = \frac{R'}{v}\sqrt{\frac{4v^2 - 1}{2}};$$

$$s = \frac{3R'}{2v}\sqrt{(4v^2 - 1)} \times \sqrt{\left[\frac{R'^2(4v^2 - 1}{3v^2} - \frac{R'^2(4v^2 - 1)}{4v^2}\right]}$$

$$= \frac{R'^2}{4v^2}(4v^2 - 1)\sqrt{3};$$

$$s' = \frac{2R'}{v}\sqrt{(4v^2 - 1)} \times \sqrt{\left[\frac{R'^2(4v^2 - 1)}{2v^2} - \frac{R'^2(4v^2 - 1)}{4v^2}\right]}$$

$$= \frac{R'^2(4v^2 - 1)}{v^2}$$

$$S = \frac{32\sqrt{3}R'^2(4v^2 - 1)}{4v^2} + \frac{6R'^2(4v^2 - 1)}{v^2} = \frac{(8\sqrt{3} + 6)}{v^2}(4v^2 - 1)R'^2;$$

$$Z = \frac{8\sqrt{3}R'^3(4v^2-1)\sqrt{(1-v^2)}}{3v^3\sqrt{3}} + \frac{6R'^3(4v^2-1)\sqrt{(1-2v^2)}}{3v^3\sqrt{2}},$$

$$= \frac{R'^3}{v^3}(4v^2-1)\left(\frac{8\sqrt{(1-v^2)}}{3} + \sqrt{(2-4v^2)}\right).$$

§ XLII.

Pro corpore sexto, cujus hedræ sunt triangulares et pentagonæ, habetur

$$m=3,\ n=5,\ \alpha=60^\circ,\ \alpha'=108^\circ,\ k=120^\circ,$$

$$k'=72^\circ,\ M=20,\ N=12,\ p=2 \text{ et } q=2,$$

hic igitur ut pro corpore tertio, obtinetur

$$\sin \tfrac{1}{2} A = \cos \tfrac{1}{2} A'$$

$$\sin \tfrac{1}{2} \alpha' = \sin 54^\circ = \tfrac{1}{4}(1+\sqrt{5}), \text{ (1)}$$

$\sin \tfrac{1}{2} k' =$ medio lateri pentagoni circulo inscripti
$= \tfrac{1}{2}\sqrt{(10-2\sqrt{5})} = \sin 36^\circ = \cos \tfrac{1}{2}\alpha'$;

itaque

$$\tfrac{1}{2} : \tfrac{1}{4}(1+\sqrt{5}) :: \cos \tfrac{1}{2} A' : \sin \tfrac{1}{2} A',$$

unde reductionibus factis

$$\sin \tfrac{1}{2} A' = \sqrt{\frac{6+2\sqrt{5}}{10+2\sqrt{5}}} = \sqrt{\frac{5+\sqrt{5}}{10}},$$

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \sqrt{\frac{1+\sqrt{5}}{4}} : \sqrt{\frac{5+\sqrt{5}}{10}} = \frac{\sqrt{(10+2\sqrt{5})}}{4},$$

igiturque

(1) Conf. pro ejusmodi sinibus etc. tab. Logarithm. auct. VEGA.

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \frac{\sqrt{(6-2\sqrt{5})}}{4};$$

$$x = \frac{R'}{2}\sqrt{(6-2\sqrt{5})}$$

$$F = \frac{20.3+12.5}{2} = 60.$$

$$\sin \eta = \frac{\sqrt{(6-2\sqrt{5})}}{4} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \tfrac{1}{2}\sqrt{\frac{6-2\sqrt{5}}{3}},$$

$$\cos \eta = \tfrac{1}{2}\sqrt{\frac{6+2\sqrt{5}}{3}};$$

$$\sin \eta' = \frac{\sqrt{(6-2\sqrt{5})}}{4} : \frac{\sqrt{(10-2\sqrt{5})}}{4} = \sqrt{\frac{3-\sqrt{5}}{5-\sqrt{5}}} = \sqrt{\frac{5-\sqrt{5}}{10}};$$

$$\cos \eta' = \sqrt{\frac{5+\sqrt{5}}{10}};$$

$$r = \frac{R'}{2}\sqrt{\frac{6-2\sqrt{5}}{3}};$$

$$r' = R'\sqrt{\frac{5-\sqrt{5}}{10}};$$

$$s = \frac{3R'}{2.2}\sqrt{(6-2\sqrt{5})}\sqrt{\left[\frac{R'^2(6-2\sqrt{5})}{12} - \frac{R'^2(6-2\sqrt{5})}{16}\right]}$$

$$= \frac{R'^2}{16}(6-2\sqrt{5})\sqrt{3};$$

$$s' = \frac{5R'\sqrt{(6-2\sqrt{5}}}{4}\sqrt{\left[\frac{R'^2(5-\sqrt{5}}{10} - \frac{R'^2(6-2\sqrt{5})}{16}\right]}$$

$$= \frac{R'^2}{8}\sqrt{5}\sqrt{(10-2\sqrt{5})};$$

$$S = \frac{5R'^2}{4}\sqrt{3}(6-2\sqrt{5}) + \frac{3R'^2}{2}\sqrt{5}\sqrt{(10-2\sqrt{5})};$$

$$Z = \frac{5R'^3(6-2\sqrt{5})\sqrt{(6+2\sqrt{5})}}{4\sqrt{3}.2\sqrt{3}} + \frac{3\sqrt{5}R'^3\sqrt{(10-2\sqrt{5})}\sqrt{(5+\sqrt{5})}}{2.3\sqrt{10}}$$

$$= \frac{5R'^3}{24}\sqrt{(6-2\sqrt{5})^2(6+2\sqrt{5})} + \frac{R'^3}{2\sqrt{2}}\sqrt{(10-2\sqrt{2})(5+\sqrt{5})}$$

$$= \frac{5R'^3}{6}\sqrt{(6-2\sqrt{5})} + R'^3\sqrt{5};$$

observando $\sqrt{(6-2\sqrt{5})} = \sqrt{5-2\sqrt{5}+1} = \sqrt{5}-1$, fiet tandem

$$Z = \frac{R'^3}{6}(11\sqrt{5}-5).$$

§. XLIII.

Pro corpore septimo sunt :

$$p=4,\ q=1,\ M=80,\ N=12;$$

reliqua ut in § præcedenti.

Hic uti pro corpore quinto obtinetur æquatio tertii gradus, nimirum

$$\cos^3 \tfrac{1}{2} A - \tfrac{1}{2}\cos\tfrac{1}{2} A = \frac{\sin\frac{1}{2}\alpha'}{8\sin\frac{1}{2}\alpha} = \frac{1+\sqrt{5}}{4.8} : \tfrac{1}{2}$$

$$= \frac{1+\sqrt{5}}{16}.$$

Hæc iterum secundum regulam CARDANI resoluta præbet :

$$\cos\tfrac{1}{2}A = \sqrt[3]{\frac{\frac{1+\sqrt{5}}{16}+\sqrt{\left(\frac{1+\sqrt{5}}{16}\right)^2-\frac{1}{54}}}{2}} + \sqrt[3]{\frac{\frac{1+\sqrt{5}}{16}+\sqrt{\left(\frac{1+\sqrt{5}}{16}\right)^2-\frac{1}{54}}}{2}}$$

$$=\sqrt[3]{\left(\frac{1+\sqrt{5}}{32}+\sqrt{\frac{34+54\sqrt{2}}{27648}}\right)}+\sqrt[3]{\left(\frac{1+\sqrt{5}}{32}-\sqrt{\frac{34+54\sqrt{2}}{37648}}\right)};$$

qua quantitate per λ designata, erit

$$\sin\tfrac{1}{2}A = \sqrt{(1-\lambda^2)} = v,$$

unde

$$\cos\tfrac{1}{2}b = \frac{1}{2v},$$

$$\sin\tfrac{1}{2}b = \frac{\sqrt{(4v^2-1)}}{2v},$$

$$x = \frac{R'}{v}\sqrt{(4v^2-1)};$$

$$F = \frac{80.3+12.5}{2} = 150;$$

$$\sin\eta = \frac{\sqrt{(4v^2-1)}}{2v} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \frac{1}{v}\sqrt{\frac{4v^2-1}{3}},$$

$$\cos\eta = \frac{1}{v}\sqrt{\frac{1-v^2}{3}};$$

$$\sin\eta' = \frac{\sqrt{(4v^2-1)}}{2v} : \frac{\sqrt{(10-2\sqrt{5})}}{4} = \frac{2}{v}\sqrt{\frac{4v^2-1}{10-2\sqrt{5}}}$$

$$= \frac{2}{v}\sqrt{\frac{20v^2-5+4v^2\sqrt{5}-\sqrt{5}}{40}};$$

$$\cos \eta' = \sqrt{\frac{5 - 10v^2 - 4v^2\sqrt{5} + \sqrt{5}}{10v^2}};$$

$$r = \frac{R'}{v}\sqrt{\frac{4v^2 - 1}{3}};$$

$$r' = \frac{R'}{v}\sqrt{\frac{20v^2 - 5 + 4v^2\sqrt{5} - \sqrt{5}}{10}} = \frac{R'}{v}\sqrt{\frac{(4v^2-1)(5+\sqrt{5})}{10}};$$

$$s = \frac{3R'}{3v}\sqrt{(4v^2-1)}.\sqrt{\left(\frac{R'^2(4v^2-1)}{3v^2} - \frac{R'^2(4v^2-1)}{4v^2}\right)},$$

$$= \frac{R'^2}{4v^2}\sqrt{(4v^2-1)}\sqrt{3}.$$

$$s' = \frac{4R'^2\sqrt{(4v^2-1)}}{2v}\sqrt{\left(\frac{R'^2(20v^2-5+4v^2\sqrt{5}-\sqrt{5})}{10v^2} - \frac{R'^2(4v^2-1)}{4v^2}\right)}$$

$$= \frac{5R'^2(4v^2-1)}{2v^2\sqrt{20}}\sqrt{(5+2\sqrt{5})} = \sqrt{5}\,\frac{R'^2}{4v^2}(4v^2-1)\sqrt{(5+2\sqrt{5})};$$

$$S = \frac{80R'^2\sqrt{3}}{4v^2}(4v^2-1) + \frac{12R\sqrt{5}}{4v^2}(4v^2-1)\sqrt{(5+2\sqrt{5})}$$

$$= [20\sqrt{3} + 3\sqrt{5}.\sqrt{(5+2\sqrt{5})}](4v^2-1)\frac{R'^2}{v^2};$$

$$Z = \frac{80R'^3\sqrt{3}}{12v^3\sqrt{3}}(4v^2-1)\sqrt{(1-v^2)}$$

$$+ \frac{12R'^3\sqrt{5}}{12v^3}(4v^2-1)\sqrt{(5+2\sqrt{5})}\sqrt{\frac{5-10v^2-4v^2\sqrt{5}+\sqrt{5}}{10}}$$

§ XLIV.

Pro corpore octavo, quod triangulis et hexagonis terminatur, est

$m=3, n=6, p=1, q=2, M=4, N=4, \alpha'=120° k'=60°$:

itaque

$$\sin \tfrac{1}{2} \alpha' = \frac{\sqrt{3}}{2}, \text{ et } \sin \tfrac{1}{2} k' = \tfrac{1}{2},$$

habetur

$$\sin \tfrac{1}{2} A = \sin A' = 2 \sin \tfrac{1}{2} A' \cos \tfrac{1}{2} A',$$

vel

$$\tfrac{1}{2} : \frac{\sqrt{3}}{2} :: 2 \cos \tfrac{1}{2} A' : 1$$

unde

$$\cos \tfrac{1}{2} A' = \frac{1}{2\sqrt{3}},$$

$$\text{et } \sin \tfrac{1}{2} A' = \tfrac{1}{2} \sqrt{\frac{11}{3}};$$

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \frac{\sqrt{3}}{2} : \tfrac{1}{2} \sqrt{\frac{11}{3}} = \frac{3}{\sqrt{11}},$$

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \sqrt{\frac{2}{11}};$$

$$x = 2R' \sqrt{\frac{2}{11}},$$

$$F = \frac{4.3 + 4.6}{2} = 18,$$

$$\sin \eta = \sqrt{\frac{2}{11}} : \frac{\sqrt{3}}{2} = 2 \sqrt{\frac{2}{33}},$$

$$\cos \eta = \frac{5}{\sqrt{33}},$$

$$\sin \eta' = \sqrt{\tfrac{2}{11}} : \tfrac{\sqrt{3}}{2} = 2\sqrt{\tfrac{2}{11}},$$

$$\cos \eta' = \sqrt{\tfrac{3}{11}}$$

$$r = 2R \sqrt{\tfrac{2}{33}}$$

$$r' = 2R' \sqrt{\tfrac{2}{11}} = x$$

$$s = 3R' \sqrt{\tfrac{2}{11}} \cdot \sqrt{\left(\frac{8R'^2}{33} - \frac{6R'^2}{33}\right)} = \frac{2R'^2\sqrt{3}}{11},$$

$$s' = 3.2R' \sqrt{\tfrac{2}{11}} \cdot \sqrt{\left(\frac{8R'^2}{11} - \frac{2R'^2}{11}\right)} = \frac{12R'^2\sqrt{3}}{11},$$

$$S = \frac{8R'^2\sqrt{3}}{11} + \frac{48R'^2\sqrt{3}}{11} = \frac{56R'^2\sqrt{3}}{11};$$

$$Z = \frac{8R'^3 . 5 . \sqrt{3}}{3 . 11\sqrt{33}} + \frac{48R'^3\sqrt{3}}{3 . 11\sqrt{33}} = \frac{184R'^3}{33\sqrt{11}}.$$

§ XLV.

Corpus nonum triangulis et octogonis finitum, in quo $m=3, n=8, p=1, q=2, M=8, N=6, \alpha'=135^\circ, k'=45^\circ$;
$\sin \frac{1}{2}\alpha' = \sin 67^\circ 30' = \cos 22^\circ 30' = \cos \frac{1}{2} k'$.
$\sin \frac{1}{2} k'$ dimidium lateris octogoni regularis circulo inscripti æquat, nimerum $\frac{\sqrt{(2+\sqrt{2})}}{2}$, ergo $\sin \frac{1}{2}\alpha' = \frac{\sqrt{(2+\sqrt{2})}}{2}$,
et obtinetur

$$\sin \tfrac{1}{2} A = 2 \sin \tfrac{1}{2} A' \cos \tfrac{1}{2} A';$$

$$\tfrac{1}{2} : \frac{\sqrt{(2+\sqrt{2})}}{2} :: 2 \cos \tfrac{1}{2} A' : 1,$$

unde

$$\cos \tfrac{1}{2} A' = \frac{1}{2\sqrt{(2+\sqrt{2})}} = \sqrt{\frac{2-\sqrt{2}}{8}},$$

consequenter

$$\sin \tfrac{1}{2} A' = \sqrt{\frac{6+\sqrt{2}}{8}},$$

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \frac{\sqrt{(2+\sqrt{2})}}{2} : \sqrt{\frac{6+\sqrt{2}}{8}} = \sqrt{\frac{4+2\sqrt{2}}{6+\sqrt{2}}}$$

$$= \sqrt{\frac{10+4\sqrt{2}}{17}},$$

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \sqrt{\frac{7-4\sqrt{2}}{17}},$$

$$x = 2R' \sqrt{\frac{7-4\sqrt{2}}{17}},$$

$$F = \frac{3.8 + 8.6}{2} = 36,$$

$$\sin \eta = \sqrt{\frac{7-4\sqrt{2}}{17}} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \sqrt{\frac{28-16\sqrt{2}}{51}},$$

$$\cos \eta = \sqrt{\frac{23+16\sqrt{2}}{51}},$$

$$\sin \eta' = \sqrt{\frac{7-4\sqrt{2}}{17}} : \frac{\sqrt{(2-\sqrt{2})}}{2} = \sqrt{\frac{24-4\sqrt{2}}{34}},$$

$$= \sqrt{\frac{12-2\sqrt{2}}{17}};$$

$$\cos\eta' = \sqrt{\frac{5+2\sqrt{2}}{17}};$$

$$r = R'\sqrt{\frac{28-16\sqrt{2}}{51}},$$

$$r' = R'\sqrt{\frac{12-2\sqrt{2}}{17}},$$

$$s = 3R\sqrt{\frac{7-4\sqrt{2}}{17}}\sqrt{\left(\frac{R'^2(28-16\sqrt{2})}{51}-\frac{R'^2(7-4\sqrt{2})}{17}\right)}$$

$$= R'^2\left(\frac{7-4\sqrt{2}}{17}\right)\sqrt{3};$$

$$s' = 8R'\sqrt{\frac{7-4\sqrt{2}}{17}}\sqrt{\left(\frac{R'^2(12-2\sqrt{2})}{17}-\frac{R'^2(7-4\sqrt{2})}{17}\right)}$$

$$= \frac{8R'^2}{17}\sqrt{(19-6\sqrt{2})};$$

$$S = 8\sqrt{3}R'^2\left(\frac{7-4\sqrt{2}}{17}\right)+\frac{48R'^2}{17}\sqrt{(19-6\sqrt{2})}$$

$$= \frac{8R'^2}{17}[(7-4\sqrt{2})\sqrt{3}+6R'^2\sqrt{(19-6\sqrt{2})}];$$

$$Z = \frac{8R'^3\sqrt{3}}{17.3}(7-4\sqrt{2})\sqrt{\frac{23+16\sqrt{2}}{51}}+\frac{48R'^3}{17.3}\sqrt{\frac{(19-6\sqrt{2})(5+2\sqrt{2})}{17}}$$

$$= \frac{8R'^3}{17\sqrt{17}}\left[\frac{(7-4\sqrt{2})}{3}\sqrt{(23+16\sqrt{2})}+2(3\sqrt{2}-1)\sqrt{(5+2\sqrt{2})}\right],$$

observando esse $\sqrt{19-6\sqrt{2}} = \sqrt{18-6\sqrt{2}+1} = 3\sqrt{2}-1$.

§. XLVI.

De corpore decimo triangulis et octogonis terminato, ubi

$m = 3$, $n = 10$, $M = 20$, $N = 12$, $p = 1$, $q = 2$,
$\alpha' = 144^\circ$, $k' = 36^\circ$, consequenter,

$$\sin \tfrac{1}{2}\alpha' = \sin 72^\circ = \tfrac{1}{4}\sqrt{(10 + 2\sqrt{5})};$$

nam

$$\sin \tfrac{1}{2} k' = \sin 18^\circ =$$

dimidio lateri decagoni regularis circulo inscripti, itaque $\sin \tfrac{1}{2} k' = \tfrac{1}{4}\sqrt{(6 - 2\sqrt{5})}$ cujus cosinus æqualis est $\sin \tfrac{1}{2}\alpha'$; ideoque

$$\sin \tfrac{1}{2} A = 2 \sin \tfrac{1}{2} A' \cos \tfrac{1}{2} A',$$

et

$$\tfrac{1}{2} : \tfrac{1}{4}\sqrt{(10 + 2\sqrt{5})} :: 2 \cos \tfrac{1}{2} A' : 1$$

unde elicitur

$$\sin \tfrac{1}{2} A' = \sqrt{\frac{35 + \sqrt{5}}{10}},$$

$$\cos \tfrac{1}{2} b = \tfrac{1}{4}\sqrt{(10 + 2\sqrt{5})} : \sqrt{\frac{35 + \sqrt{5}}{40}} = \sqrt{\frac{85 + 15\sqrt{5}}{122}};$$

$$\sin \tfrac{1}{2} b = \sqrt{\frac{37 - 15\sqrt{5}}{122}};$$

$$x = 2R'\sqrt{\frac{37 - 15\sqrt{5}}{122}};$$

$$F = \frac{3.20 + 12.10}{2} = 90;$$

$$\sin \eta = \sqrt{\frac{37 - 15\sqrt{5}}{122}} : \frac{\sqrt{3}}{2} = \sqrt{\frac{74 - 30\sqrt{5}}{183}};$$

$$\cos \eta = \sqrt{\frac{109 + 30\sqrt{5}}{183}};$$

$$\sin\eta' = \sqrt{\frac{37-15\sqrt{5}}{122}} : \tfrac{1}{4}\sqrt{(6-2\sqrt{5})} = 4\sqrt{\frac{37-15\sqrt{5}}{122(6-2\sqrt{5})}}$$
$$= \sqrt{\frac{36-8\sqrt{5}}{61}};$$

$$\cos\eta' = \sqrt{\frac{25+8\sqrt{5}}{61}};$$

$$r = R'\sqrt{\frac{74-30\sqrt{5}}{183}};$$

$$r' = R'\sqrt{\frac{36-8\sqrt{5}}{61}};$$

$$s = 3R'\sqrt{\frac{37-15\sqrt{5}}{122}}\cdot\sqrt{\left(R'^2\frac{(74-30\sqrt{5})}{183} - R'^2\frac{(37-15\sqrt{5})}{122}\right)}$$
$$= \frac{R'^2\sqrt{3}}{122}(37-15\sqrt{5});$$

$$s' = \frac{10R'}{\sqrt{122}}\cdot\sqrt{(37-15\sqrt{5})}.\sqrt{\left(R'^2\frac{(36-8\sqrt{5})}{61} - R'^2\frac{(37-15\sqrt{5})}{122}\right)}$$
$$= \frac{10R'^2}{122}\sqrt{[(37-15\sqrt{5})(35-\sqrt{5})]} = \frac{5R'^2}{61}\sqrt{(1370-562\sqrt{5})};$$

$$S = \frac{20R'^2\sqrt{3}}{122}(37-15\sqrt{5}) + \frac{60R'^2}{61}\sqrt{(1370-562\sqrt{5})}$$
$$= \frac{10R'^3}{61}[(37-15\sqrt{5})\sqrt{3} + 6\sqrt{(1370-562\sqrt{5})}];$$

$$Z = \frac{10R'^3\sqrt{3}}{3.61}(37-15\sqrt{5})\sqrt{\frac{109+30\sqrt{5}}{183}}$$
$$+ \frac{60R'^3}{3.61}\sqrt{\left((1370-562\sqrt{5})\ \frac{(25+8\sqrt{5})}{61}\right)}$$
$$= \frac{10R'^3}{183}\left[(37-15\sqrt{5})\sqrt{3}\sqrt{\frac{10+930\sqrt{5}}{183}} + 6\sqrt{\frac{(11770-3090\sqrt{5})}{61}}\right]$$
$$= \frac{10R'^3\sqrt{3}}{183\sqrt{183}}[(37-15\sqrt{5})\sqrt{(109+30\sqrt{5})} + 6\sqrt{11770-3090\sqrt{5}})]$$

§ XLVII.

De corpore undecimo quadratis et hexagonis incluso, ubi,

$$m=4,\ n=6,\ p=1,\ q=2,\ \mathrm{M}=6,\ \mathrm{N}=8,$$

$$\sin\tfrac{1}{2}\mathrm{A}=\sin\tfrac{1}{2}\mathrm{A}'\cos\tfrac{1}{2}\mathrm{A}';$$

unde quia uti jam vidimus $\sin\frac{1}{2}\alpha=\frac{1}{\sqrt{2}}$, $\sin\frac{1}{2}\alpha'=\frac{\sqrt{3}}{2}$, $\sin\frac{1}{2}k=\frac{1}{\sqrt{2}}$, $\sin\frac{1}{2}k'=\frac{1}{2}$, erit proportio

$$\frac{1}{\sqrt{2}}:\frac{\sqrt{3}}{2}::2\cos\tfrac{1}{2}\mathrm{A}':1,$$

e qua obtinetur

$$\cos\tfrac{1}{2}\mathrm{A}'=\frac{1}{\sqrt{6}};$$

itaque

$$\sin\tfrac{1}{2}\mathrm{A}'=\sqrt{\frac{5}{6}};$$

$$\cos\tfrac{1}{2}b=\frac{\sqrt{3}}{2}:\sqrt{\frac{5}{6}}=\sqrt{\frac{9}{10}};$$

$$\sin\tfrac{1}{2}b=\frac{1}{\sqrt{10}};$$

$$x=\frac{2\mathrm{R}'}{\sqrt{10}},$$

$$\mathrm{F}=\frac{6.4+8.6}{2}=36,$$

$$\sin\eta = \frac{1}{\sqrt{10}} : \frac{1}{\sqrt{2}} = \frac{1}{\sqrt{2}};$$

$$\cos\eta = \frac{2}{\sqrt{5}};$$

$$\sin\eta' = \frac{1}{\sqrt{10}} : \tfrac{1}{2} = \sqrt{\frac{2}{5}};$$

$$\cos\eta' = \sqrt{\frac{3}{5}};$$

$$r = \frac{R'}{\sqrt{5}},$$

$$r' = R'\sqrt{\frac{2}{5}} = \frac{2R'}{\sqrt{10}} = x,$$

$$s = \frac{2.2R'}{\sqrt{10}}\sqrt{\left(\frac{R'^2}{5} - \frac{R'^2}{10}\right)} = \frac{2R'^2}{5};$$

$$s' = \frac{3.2R'}{\sqrt{10}}\sqrt{\left(\frac{2R'^2}{5} - \frac{R'^2}{10}\right)} = \frac{3R'^2}{5}\sqrt{3};$$

$$S = \frac{12R'^2}{5} + \frac{24R'^2}{5}\sqrt{3} = \frac{12R'^2}{5}(1 + 2\sqrt{3});$$

$$Z = \frac{12R'^3}{15}\cdot\frac{2}{\sqrt{5}} + \frac{24R'^3\sqrt{3}}{15}\cdot\sqrt{\frac{3}{5}} = \frac{32R'^3}{5\sqrt{5}}.$$

§ XLVIII.

Pro corpore duodecimo et ultimo, pentagonis et hexagonis finito, est

$$m=5, n=6, p=1, q=2, M=12, N=20,$$
$$\sin\tfrac{1}{2}A = 2\sin\tfrac{1}{2}A'\cos\tfrac{1}{2}A'$$

et fit proportio

IV. 7

$$\frac{1+\sqrt{5}}{4} : \frac{\sqrt{3}}{2} :: 2\cos\tfrac{1}{2}A' : 1$$

unde

$$\cos\tfrac{1}{2}A' = \frac{1+\sqrt{5}}{4\sqrt{3}};$$

$$\sin\tfrac{1}{2}A' = \tfrac{1}{4}\sqrt{\frac{42-2\sqrt{5}}{3}};$$

$$\cos\tfrac{1}{2}b = \frac{\sqrt{3}}{3} : \tfrac{1}{4}\sqrt{\frac{42-2\sqrt{5}}{3}} = \frac{6}{\sqrt{(42-2\sqrt{5}}} = 6\sqrt{\frac{21+\sqrt{5}}{872}}$$

$$\sin\tfrac{1}{2}b = \sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}};$$

$$x = 2R'\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}};$$

$$F = \frac{12.5+20.6}{2} = 90.$$

$$\sin\eta = \sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}} : \frac{\sqrt{(10-2\sqrt{5})}}{4} = 4\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218(10-2\sqrt{5})}}$$

$$= 4\sqrt{\frac{200-35\sqrt{5}}{218.80}} = 2\sqrt{\frac{25-4\sqrt{5}}{545}};$$

$$\cos\eta = \sqrt{\frac{445+16\sqrt{5}}{545}};$$

$$\sin\eta' = \sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}} : \tfrac{1}{2} = 2\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}};$$

$$\cos\eta' = \sqrt{\frac{41+18\sqrt{5}}{109}};$$

$$r = 2R'\sqrt{\frac{25-4\sqrt{5}}{545}};$$

$$r' = 2R'\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}};$$

$$s = 5R'\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}}\cdot\sqrt{\left(\frac{4R'^2(25-4\sqrt{5})}{545}-\frac{R'^2(29-9\sqrt{5})}{218}\right)}$$

$$= 5R'^2\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}}\cdot\sqrt{\frac{55+13\sqrt{5}}{1090}}.$$

$$= \frac{R'^2\sqrt{5}}{218}\sqrt{(1010-118\sqrt{5})};$$

$$s' = 6R'\sqrt{\frac{29-9\sqrt{5}}{218}}\cdot\sqrt{\left(\frac{4R'^2(29-9\sqrt{5})}{218}-\frac{R'^2(29-9\sqrt{5})}{218}\right)}$$

$$= \frac{3R'^2\sqrt{3}}{109}(29-9\sqrt{5});$$

$$S = \frac{12R'^2\sqrt{5}}{218}\sqrt{(1010-118\sqrt{5})}+\frac{60R'^2\sqrt{3}}{109}(29-9\sqrt{5})$$

$$= \frac{6R'^2}{109}[\sqrt{5}.\sqrt{(1010-118\sqrt{5})}+10\sqrt{3}(29-9\sqrt{5})],$$

$$Z = \frac{2R'^3\sqrt{5}}{109\sqrt{454}}\sqrt{[(1010-118\sqrt{5})(445+16\sqrt{5})]}$$

$$+\frac{20R'^3\sqrt{3}}{109\sqrt{109}}(29-9\sqrt{5})\sqrt{(51+18\sqrt{5})}$$

$$= \frac{2R'^3}{109\sqrt{109}}[\sqrt{(440010-36350\sqrt{5})}+10\sqrt{3}(29-9\sqrt{5})\sqrt{(51+18\sqrt{5})}].$$

FINIS.

XIII.

JOSEPHI HENRICI REYPENS

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM PHYSICAM.

JOSEPHI HENRICI REYPENS,

LIERANI,

IN ACADEMIA LOVANIENSI MEDICINAE STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM PHYSICARUM ET MATHEMATICARUM

PROPOSITAM.

Quæritur 1° *Quænam sint corpora permanenter aëriformia sive quæ gaza dicuntur;* 2° *quænam sint singuli usus et proprietates;* 3° *in quibus generatim differant a vaporibus.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT VIII. IDUS OCTOBR. MDCCCXXI.

I.

Quodcumque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare: qui nisi contra
Corpora retribuat rebus recreetque fluentis
Omnia jam resoluta forent.

LUCRETIUS.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM PHYSICAM.

DE FLUIDIS ELASTICIS GRAVIBUS.

Antequam scopum meum tangam, aliquid de fluidorum elasticorum gravium proprietatibus generalibus disserere non superfluum fore duxi.

Sub nomine fluidorum elasticorum gravium intelligimus corpora quæ nisum continuum ut volumen suum augeant exercent: moleculæ eorum tam leviter inter se cohærent, ut minima pressione ab invicem separari queant et in majus volumen, si spatium eis conceditur, expandantur; nullam per se habent formam sed a vasis, quibus includuntur, hanc accipiunt; pressionem densitati suæ proportionatam in parietes vasorum quæ hæc includunt, exercent; quoniam in omnes sensus dilatantur, vasis inclusa nullam libellam servant; volumina omnium fluidorum elasticorum, pressione eadem manente, et, pro quibusdam, nulla accedente aqua, æqualiter crescunt ea ratione qua temperatura eorum augetur, et sic eorum moleculæ quasi actioni soli calorici obediunt; est dilatatio omnium a 0° ad 100°

therm. cent. = 0,375, et sic pro singulo gradu = 0,00375 ejusdem thermometri.

Fluida hæc elastica ob diversitates quas offerunt in tres classes dividantur oportet.

DE PRIMA CLASSE FLUIDORUM ELASTICORUM GRAVIUM.

Sub hac classe comprehenduntur hydrogenes, oxygenes, azotes, hydrogenes phosphoratus, phosphorus hydrogenatus, hydrogenes arseniatus, hydrogenes carbonatus, carbonium hydrogenatum, hydrogenes sulphuratus, oxidum carbonii, acidum carbonicum, aër atmosphericus, oxidum azotis, gazum nitrosum, oxidum selenicum.

Fluida hæc elastica, nec frigore, nec compressione, in ea exercitis, statum mutant, nec ab aqua absorbentur, sed potius pressione huic interponuntur; quæ fluidorum in aqua intromissio, nisi pressio maxima adhibeatur, non multo ipsius aquæ volumen superare valet. Si aqua talia contineat gaza, ablata pressione aut ad ebullitionis gradum aqua evecta, fluida hæc liberantur; ex hoc sequitur copiam fluidi quam aqua introsumere potest a temperatura et pressione dependere.

In aqua, temperatura æquali statuta, semper idem volumen gazi hujus classis haberi potest, quamvis idem gazum quoad densitatem differat, adeo ut si determinatam quantitatem gazi data aquæ copia continere queat, hæc quantitas ad dimidiam partem reducatur, duplex copia ejusdem gazi in aqua interponi potest; et e contra, si volumen duplicetur, aqua solummodo dimidium hujusce introsumere potest : ex his consequi possumus, si pars gazi aqua contenti extrahatur, idem volumen

hujus fluidi aquæ inesse permanet, sed densitas gazi minuitur ratione qua hoc evolvitur.

Si hoc gazum cum quantitate aquæ puræ ad gazum dissolvendum sub temperatura data, satis sufficiente in vase quodam agitetur, ab aqua omne absorbetur; sed non ita fit si gazum cum aqua, altero præsente hujus classis gazo, agitetur; multo tunc minor copia ab aqua dissolvitur, quæ diminutio est in ratione alterius gazi copiæ.

Si gazum cum aqua, gazum aliud continente, agitetur, pars fluidi in aqua contenti avolat; portio evoluta quantitati fluidi quocum in contactu stat ad volumen ipsius aquæ est in proportione; inde, si aëri libero aqua fluido aëriformi imbuta exponatur, omne hoc evanescit.

Si fluidum aëriforme hujus classis cum vapore misceatur, statum aëriformem non deperdit, sed eum sine ulla contractione aut dilatatione conservat; attamen exceptionem invenit Dalton, si acidum carbonicum cum vaporibus aquæ commisceatur. Vapores aquæ cum gazis hanc classem constituentibus, mixti, magis resistunt pressioni ut in guttas liquidas convertantur. Temperatura æquali statuta, quantitas vaporum aquæ quam gazum continere potest, æqualis est copiæ vaporis quæ in vacuo haberi potest.

Quoniam hæc fluida aqua insolubilia sint, dum obtinentur, super aquam excipi possunt.

Gaza hujus classis subdividi possunt in:
Combustibilia, comburentia et gaza, quæ proprie nec comburentia nec combustibilia sunt.

Combustibilia dividi possunt in ea quæ inodora et simplicia sunt; ut *hydrogenes.*

In ea quæ inodora et composita, ut *hydrogenes carbonatus, oxidum carbonii.*

Quæ odorifera et colores cœruleos in rubros non mutant, ut *carbonium hydrogenatum, hydrogenes phosphoratus, hydrogenes arseniatus, phosphorus hydrogenatus, oxidum selenis.*

Ea quæ odorifera, sed colores cœruleos rubescentia, ut *hydrogenes sulphuratus.*

Divisio *comburentium* ita institui potest :

Inodora simplicia, *oxygenes.*

Inodora composita, *aër atmosphericus, oxidum azotis.*

Odorifera simplicia colorata, *chlores*

Odorifera composita colorata; *euchlores, supereuchlores.*

Corpora, nec comburentia, nec combustibilia; proprie talia dividi possunt in :

Inodora simplicia, *azotes.*

Inodora composita et quæ colores cœruleos rubescunt; *acidum carbonicum.*

Composita colorem cœruleum non mutantia in rubrum; *gazum nitrosum.*

DE SECUNDA CLASSE.

Hanc classem constituunt ammoniaca, acidum hydrochloricum, gazum hydrogenes telluratus, acidum fluo-boricum, cyanium,

acidum hydriodicum, acidum nitrosum, acidum fluo-siliceum, acidum sulphurosum, acidum chloro-carbonicum, hydrogenes selenatus.

Gaza etiam audiunt hæc fluida elastica quæ, nec frigore, nec pressione ordinariis atmospheræ in alium vertuntur statum, sed ab aqua plus minusve avide absorbentur; volumine uno aquæ semper ad minimum duplex gazi volumen contineri potest: si talia fluida cum aquæ vaporibus misceantur, minuaturque temperatura, statum liquidum obtinent. Quoniam hæc gaza ab aqua absorbentur nunquam supra aquam excipi possunt.

Classis hæc dividi queit in gaza comburentia et in ea quæ, nec comburentis, nec combustibilis proprie indolis sunt.

Comburentia; acida colorata, colores cœruleos in rubros vertentia: *acidum nitrosum, euchlores, supereuchlores.*

Gaza, nec comburentia, nec combustibilia proprie dicta; dividuntur in ea quæ magna pressione non liquefiunt et in ea quæ, huic exposita, liquida fiunt. Priora subdividuntur in ea quæ acidæ indolis sunt et fumos spargunt: *acidum hydriodicum, acidum hydrochloricum, acidum borico-fluoricum, acidum siliceo-fluoricum, hydrogenes selenatus.*

Acida non fumantia: *acidum chloro-carbonicum, cyanium.*

Posteriora, in ea quæ acidæ naturæ sunt; *acidum sulphurosum.*

Alcalinæ indolis: *ammoniaca.*

DE TERTIA CLASSE.

Fluida e quibus hæc componitur classis, vapores vocantur, suntque corpora elastica quæ temperatura atmospheræ ordi-

naria aut pressione hunc statum amittere possunt. In hac classe occurrunt omnia corpora non unita quæ solo temperaturæ elevatioris gradu fluida elastica fieri possunt, aut sola pressionis ablatione.

Si integra vaporum quantitas quæ sub temperatura determinata naturaliter in spatio quodam haberi potest, ad minus reducatur volumen, vapores non majorem acquirunt vim elasticam, sed pars vaporum, diminutioni spatii proportionata, in liquidum vertitur statum.

Si idem numerus graduum a temperatura in qua vires expansivæ eædem sunt, aut augeatur, aut diminuatur, vires expansivæ diversorum vaporum æqualiter variant, v. g., vis expansiva mercurii vaporum ad 359 therm. centigr. æquat vim expansivam vaporum aquæ ad 110 ejusdem therm. quoniam mercurius ad 349, aqua, ad 100, ebulliant, et sic vis expansiva aquæ ad 100 = vi expansivæ vaporum mercurii ad 349. Exinde quo corpora majorem gradum temperaturæ ut ebulliant requirunt eo vis eorum elastica minor est.

DE GAZIS IN GENERE.

Fluida elastica primam et secundam classem constituentia sub nomine gazorum aut fluidorum permanentium veniunt. Gaz, vox qua primo Van Helmont usus est, fluidum illud sistit quod, nec pressione, nec temperatura ordinaria atmospheræ, condensatur ; inde fluida quæ temperatura valde demissa solummodo liquefiunt, ut ammoniaca, hydrogenes arseniatus et acidum sulphurosum, tamen gazorum nomine fruuntur. Nomenclatura gazorum aërem atmosphericum non nomine

gazi insignit, sed semper nomen primitivum retinet, quamvis composita ejus, dum non unita, gaza vocantur; sic gazum oxygenem, gazum azotem, gazum acidum carbonicum dicimus.

Gaza fluida sunt maxime elastica. Valde comprimi et rarefieri possunt, ita ut limites compressibilitatis alia quam status liquidus, aut rarefactionis, quam limites atmospheræ ipsis concipi possint. Sic minima pars fluidi spatio maximo contenta totum hoc occupat et adhuc in omnes partes vim densitati suæ proportionalem exercet. Gaza tamdiu in minus volumen coerceri possunt donec vis elastica æquat compressionem quæ in ea exercetur; unde volumen aëris et gazium, temperatura manente eadem, in ratione inversa est virium comprimentium; quod etiam de vaporibus est audiendum quousque vires comprimentes eorum liquefactioni impares sunt; liquefactione autem intercedente vis elastica a pressione non augetur. Cæterum, vapores easdem dilatationis leges, quas gaza, sequuntur.

Vis quam gaza exerunt, temperatura eadem manente, est in ratione inversa voluminum, adeo, si gaz ad 1/4 partem sui voluminis cogatur, vix expansiva sicut et densitas quater auctæ sunt, et vice versa.

Varia inter se coherentiæ vi gaza pollent, quod non inficit quominus ad eamdem temperaturam et pressionem æquali expansione donentur.

Vis qua gaza lumen refringunt maxime diversa est, et, pro eodem gazo, quo densius illud est, eo major; gaza propinquius ad combustibilitatem absolutam accedentia præstantius hac vi donantur; sic hydrogenes, qui combustibile absolutum est,

summa vi lumen refringit : insequitur ammoniaca, dein hydrogenes carbonatus, carbonium hydrogenatum, etc. usque ad aërem atmosphericum et gazum oxygenem quod ob qualitatem suam comburentis absoluti minima refringendi lumen vi præditum est. Vapor aqueus, quoniam ad 1/3 densior sit miscela hydrogenis et oxygenis, pro aqua proportionata, lumen magis refringit, et aqua liquida, magis suo vapore.

Quædam gaza et vapores colore providuntur; sic chlores oxidulum et oxidum chloris colorem habent flavoviridem; acidum nitrosum, aurantiacorubrum; vapor iodis, violaceum; vapor pigmenti indici, similem; vapor sulphuris, flavoaurantiacum.

Si gaza diversa misceantur, quin hæc compositionem aut decompositionem quamdam patiantur, post aliquod tempus in omni parte spatii eadem quantitas gazorum adhibitorum reperitur, et proinde in toto spatio ejusdem densitatis sunt gaza, ita ut, nec ad superiora gazum levius, nec ad inferiora gazum ponderosius inveniatur; nulla etiam contractio aut dilatatio voluminum gazorum observatur; vis elastica mixturæ æquat vires elasticas simul sumptas gazorum adhibitorum; v. g., dum pes cubicus gazi quod mercurium ad 27 poll. sustinet, cum pede cubico alterius gazi, cujus elasticitate mercurius in tubo Torricelli hæret ad 28 pollices, misceatur, et duo hæc gaza ad unicum pedem cubicum reducta fuerint, viribus eorum elasticis mercurius ad 55 pollices in eodem tubo ascenderet.

Gaza combustibilia vel quæ oxidi vices gerunt et sic a comburentibus connubio expelluntur, per se et independenter a calorico, statum gazeosum accipiunt; comburentia autem vel quæ acidi vices gerunt, accedente calorico, statum eumdem assumunt.

Uniones gazorum inter se semper ratione voluminum locum habent; et juxta leges datas et quidem simplicissimas condensationes, quæ sequentes sunt, perficiuntur.

Monendum primo est præter volumina proportionalia 2, 4 et 8, et tum pro gazis et vaporibus simplicibus, tum pro iisdem compositis, alia nulla haberi. Volumen = 2 solo oxygeni et oxido fluorico sicco, expansionem a corpore cui unitur non patienti, competit. Cætera gaza aut vapores disjuncta et plurima composita expansione = 4 donantur. Volumen = 8 nullo corpori simplici proprium est, sed compositis et supercompositis attinet; dum oxygenes cum combustibile, sive absoluto, sive relativo, ad rationes pares conjungitur, condensatio voluminis simplicis per volumen duplex perficitur; congredientibus autem rationibus duabus oxygenis cum ratione una similis combustibilis, et sic ad volumina paria, sin productum acidum sit, nulla intercedit condensatio, et volumen gazi vel vaporis exsurgentis = 8. Dum vero hydrogenes ad volumen duplex, et sic ad rationes duas, cum volumine simplici, et proin ad rationem unam, combustibilis relativi, sive disjuncti, sive jam cum pari volumine hydrogenis conjuncti, copulatur, volumen duplex a volumine simplici condensatur; inter volumina paria hydrogenis et combustibilis relativi ut et inter similem voluminum rationem duorum combustibilium coarctatio ad dimidium locum habet. Hæc autem ita composita cum pari volumine hydrogenis absque condensatione ulteriori congrediuntur, vel a duplici volumine ejusdem, juxta legem condensationis voluminis simplicis per volumen duplex, condensantur, ita ut volumen exsurgens = 8 sit; et par reductio voluminum inter duo combustibilia locum habet, dummodo hydrogenes non accedat et summa voluminum 20 attingat; bis itaque volumina

paria ad dimidium condensantur, et dein condensari desinunt, vel potius semel inter volumina, utrinque 4, condensatio ad 4 intercedit, et volumina hæc 4 a voluminibus 8 superstitibus condensantur, et sic lex quæ intercedit ad legem condensationis oxygenis per duplex volumen combustibilis denuo refertur. Inter volumina paria oxygenis et combustibilis, quorum productum acidum est, coarctatio ad dimidium, et quasi inter volumina paria duorum combustibilium quorum utrumque relativum, vel alterum relativum et alterum absolutum est, perficeretur, absolvitur. Volumen duplex oxygenis volumen simplex combustibilis relativi condensat; et coarctatio ad dimidium succedit inter volumina paria combustibilis relativi jam oxidati et comburentis relativi; inter comburens relativum et oxygenem coarctatio ad 1/3, id est, minoris voluminis per majus, obtinet; et coarctatio inter volumina paria comburentis, jam oxygene conjuncti, et oxygenis disjuncti, quasi inter indole similia perficeretur, succedit. Volumen simplex oxygenis volumen duplex combustibilis cum oxygene jam conjuncti condensat; unde lex condensationis voluminis majoris per volumen minus, quod inter combustibilia obtinet, hic inter comburentia quoque locum habet. Leges illæ et plurimæ aliæ ad rationes perpetuas mensuratas attinentes a Professore Van Mons fuerunt detectæ et elucidatæ.

DE HYDROGENE; AER INFLAMMABILIS.

Hydrogenes obvium telluris constituens est, oxygeni nempe adjunctus; inter fluida elastica levissimum sistit. Gazum est permanens, invisibile, perquam elasticum; dum purum, inodorum: gravitas specifica = 0,0688; ad oxygenis pondus = 1 : 15.

Vis refringens = 6,61436, et sic 6,5 potentius quam aër atmosphericus lumen refringit. 40 pollices cubici granum 1 ponrant. Ab aqua non introsumitur, nec combustionis alendæ, nec animalium vitæ sustentandæ hydrogenes aptus est.

Si ad orificium lagenæ in qua hydrogenes continetur flamma admoveatur accenditur et lumen albo-flavum, depressum, dum sincerus, emittit; si vero impurus, flamma, tum cœrulea, tum viridi, ardet.

Gazum hydrogenes proprietatibus electro-positivis absolutis pollet, etenim nunquam ad polum positivum defertur, et sic combustibile absolutum sistit. Hydrogenes pro mensurarum stœchiometricarum ponderatarum unitate assumitur, et itidem ad pondera gazorum comparanda.

Miscela e volumine unico oxygenis cum duobus voluminibus hydrogenis gazum efficit quod per fistulam Newmanianam ductum et accensum tam potenter corpora fundit et reducit: ast hodie carbonium hydrogenatum, ut hydrogenem condensatum continens et ideo intensius urens, hydrogeni simplici substituitur.

Cum hydrogene varia jocosa experimenta, sclopetum electricum, lampas electrica, lumen philosophicum, globus aërostaticus, harmonica chemica, vesiculæ tonitruantes, etc. instituuntur.

Gazum hydrogenes purus obtinetur si aqua per columnam galvanicam decomponatur: hydrogenes ad polum negativum fertur; si aquæ vapores trans tubum in quo ferrum candet, transmittuntur; etiam, supra limaturam ferri acidum sulphuricum vel

muraticum diluta infundendo: gazum evolutum super aqua excipitur; sed tum partim carbonio est infestum. Prævalet aqua acido sulphurico mixta zinci sublimati, dummodo arsenicum non contineat, intermedio evolvere et per potassam causticam liquidam trajicere. Etiam, si aqua potassii ope disjungatur: oxygenes ad potassium accedit et hydrogenes sui juris fit.

Si volumina duo hujus gazi et unum oxygenis misceantur nullum observatur phenomenon; si autem per hanc miscelam scintilla electrica transmittitur aut huic candela ardens admoveatur, sive corpus candens, introducatur, sive vivide miscela comprimatur, magna detonatio locum habet, et tota miscela in vapores aquæ candentes transmutata abit; etiam e miscela 5 voluminum aëris atmospherici cum 2 voluminibus hydrogenis detonatio eadem oritur.

Miscela illa absque detonatione conjungi potest ad subincandescentis vitri calorem; etiam huic filum platini subincandescens immergendo. Octodecies volumen naturale occupans, a scintilla electrica accendi desinit: *dilatatio perficienda aspiratione, non autem calore*, quoniam posteriori casu, corpore, non quidem ignito, admoto, jamjam deflagret.

Aquæ constituentia ponderata sunt 1 hydrogenis et 7, 5 oxygenis, mensurata, volumina 2 posterioris et volumina 4 prioris; ponderant enim pollices cubici 20 oxygenis 7, 5 grana, et pollices cubici 40 hydrogenis, granum 1. Expansio naturalis vaporis aquæ $=4$, et hydrogene oxygenem omnino condensante et legi condensationis voluminis simplicis comburentis per volumen duplex combustibilis obedienti, constat.

Aqua oxidum hydrogenis vocari queit, et quidem oxidum illius unicum est; magnam telluris partem occupat et sub vaporis forma per atmospheram diffunditur. Transparens est, sine colore, sine odore et sine sapore; vix calorem conducit et non nisi e contactu corporum calidorum vel miscela particularum sic calefactarum incalescit; electricitatem ad superficiem suam conducit et in massa suâ ut cohibens accipit. Lumen quoque, oblique incidens, ad superficiem reflectit et per massam suam huic iter præbet. Densitas aquæ pro variis temparaturis variat; hæc ad 4° therm. Reaum. maxima est, infra hunc et supra, densitas sensim minuitur; decimetrum cubicum ad 4° ejusdem therm. grana 18827,15 ponderat. Aqua mensurandis corporum densitatibus adhibetur et in comparatione ponderis specifici pro unitate assumitur. Aqua non nisi calorico decomponi videtur: in plantis, luminis et caloris adjumento, disjungitur, oxygenemque suppeditat, hydrogene cum carbonii oxido quod e carbonici acidi deacidificatione exsurgit congrediente. Corpora non ultra primum gradum oxidat, oxidata et acidificata plurima, sub caloris extricatione, hydratat, et eorum plurima, sub frigoris productione, dissolvit.

Aqua ad omnem gradum supra 0° liquida est; infra 0°, sub status solidi forma reperitur; dum sensim hanc assumit formam, crystallisatur; congelando dilatatur et, vase obturato contenta, hoc diffringit. Sub congelatione caloricum latens liberatur, et a corporibus alienis aqua separatur; gravitas specifica = 0,94, et sic minori pondere quam aqua gaudet; quo fit ut glacies aquam supernatet. Quo temperatura glaciei magis decrescit, eo durior evadit. Glacies infra gradum temperaturæ ad quam liquatur calorem optime conducit, quippe nix e temperatura 14° infra 0° ad temperaturam 2° infra 0° perducta illico posteriorem

accipit gradum. Supra hunc gradum calorem non conducit, vel potius non transmittit, quoniam omnem sibi, ut liquetur, adjungat. Sub concreta non minus quam liquida forma ab aëre atmospherico, stante tempestate serena, dissolvitur.

Aqua in aëre atmospherico ad calorem 80° R. sub ebullitione vaporisatur. Aquæ vapor 6,5 plus caloris quam liquida complectitur, quoniam 6,5 suum pondus aquæ ad ebullitionis temperaturam perducat.

Vapores aquæ elastici sunt, invisibiles; unum aquæ volumen in vapores reductum ad 1698 volumina expanditur; ergo vaporum densitas ad aquæ densitatem erit = 1 : 1698; vaporis aquei densitas ad densitatem oxygenis = 8,5 : 7,5, et ad hydrogenis densitatem, = 8,5 : 1.

Si aqua corpora contineat quæ eam avide appetunt et qualia sunt potassa, murias calcis, sales generatim deliquescentes etc. gradus caloris ad quem ebullit multo augetur, et gradus frigoris ad quem congelatur multo deprimitur.

Aqua plerisque corporum speciebus conjungitur: oxida, acida, sales, substantias organicas etc. simpliciter hydratat vel superhydratat. Gaza quæ ab aqua hydratantur hujus volumen augent, quæ non hydratantur, haud mutant et mere per interpositionem assumuntur; in aëre atmospherico, vapor aqueus oxygene et forsan azote conjungitur et sub forma aquæ solutæ, hygrometrice interpositæ, quinimo vaporis, in eodem continetur.

Aqua oxygenem sibi adjungere potest et tunc superoxidum hydrogenis et aqua oxigenisata vocatur. Hæc ratione pari oxygenis supersatura est et, defectu caloris, coactus est oxygenes sese aquæ unire. Aqua oxygenisata multiplici encheresi obtinetur

si oxygene barita superonusta in aquam transmittatur et in vacuo aqua vaporisatur donec hujus liquidi et oxygenis rationes pares supersint; et sic oxygenis et hydrogenis voluminibus æqualibus constat; gravitas ejus specifica = 1,452. Corpora organica dealbat, calore in constituentia proxima resolvitur; aqua, et tum sincera, tum oxida, acida et sales dissolvente, dilui potest, et acidis commixta tardius a calore decomponitur. Ab injectis plurimis corporibus solidis superoxigenes expellitur.

Hydrogenes cum chlore bifarie unitur; compositum ex chloris partibus 64 et hydrogenis parte 1 obtinetur ope luminis diffusi in miscelam, hydrogenis voluminibus 2 et chloris voluminibus 4 constantem, reagentis; liquidum est et pro miscela ex chlore cum acido muriatico fuit habitum; residuum reactionis luminis diffusi et plurimorum corporum terrestrium in chlorem liquidum efficit. Alterum connubium acidum hydrochloricum gazeosum audit, de quo infra.

Cum iode idem subacidum, vaporis iodis voluminibus 4 et hydrogenis voluminibus 2 constans, et acidum hydriodicum gazeosum, de quo suo loco, efficit.

Hydrogenes et fluor fictivus acidum fluoricum dictum, constituere putatur; acidum hoc absque colore est, ad aërem fumos densos emittit, valde corrodens est; pondus specificum, = 1,0609. Obtinetur acidum fluoricum fluatem calcis acido sulphurico disjungendo. Acidum fluoricum cum oxidis metallicis plurimis, alkalibus et terris alkalinis uniri queit; sales ejus fluates audiunt.

Acidum fluoricum anhydricum ad gradum 40 supra zero gazeosum est, hydricum vero, ad eumdem gradum liquidum, et ad gradum 14 sub zero, concrescibile.

Uti acida e comburentibus acidifiabilibus conflata ut hydrates persistentes quibus hydrogenes non vero oxygenes substrahi potest, sic acida e combustibilibus acidifiabilibus ut hydrates perpetui quibus oxygenes non autem hydrogenes auferri potest, haberi queunt; acidum fluoricum hydras est cui neutrum aquæ constituentium sublevari potest.

Gazum hydrogenes et gazum azotes substantiam aëriformem alkalinam, ammoniaca dictam, producunt, de quo postea.

Cum phosphoro quadruplici modo hydrogenes congreditur, hydrogenes phosphoratos, ponderosum et levem, et phosphorum hydrogenatum efficiens, de quibus propriis locis; dein phosphorum subhydrogenatum, quod concretum est, coloris kermesini et odoris alliaceophosphorei.

Hydrogenes et sulphur duo efformant composita; de hydrogene sulphurato postea agetur; sulphur hydrogenatum, acidum hydrothionicum dictum, ex 30 sulphuris partibus et 1 hydrogenis conflatur; liquidum est, e fusco-rubrum, calore in sulphur et hydrogenem sulphuratum convertitur; si hydrosupersulphuretum calcis in acidum muriaticum sensim infundatur, hæc unio obtinetur; oleiforme est, subpellucidum, tenax et flavide coloratum; cum oxidis connubia init.

Cum carbonio multifarie hydrogenes coit; composita hæc sunt carbonium hydrogenatum leve et ponderosum et hydrogenes carbonatus, de quibus postea; dein olea volatilia inorganica, citri, terebinthinæ, Naptha fossilis etc.

Cum radicali borussico facit acidum hydrogenatum liquidum de quo ad articulum radicalis borussici agetur.

Ex selenio et hydrogene exsurgit compositum, hydrogenes selenatus dictum, de quo infra.

Cum tellurio efficit hydrogenem telluratum, de quo latius, et tellurium hydrogenatum, concretum, coloris fusci, alkalibus causticis liquidis solubile, quod exsurgit excipiendo in tellurium, ad polum negativum columnæ galvanicæ positum, hydrogenem aquæ disjunctæ. Tellurii ratione integra cum hydrogenis ratione dimidia conflatur.

Cum arsenico gazum hydrogenem arseniatum et arsenicum hydrogenatum efficit, de quibus infra; item arsenicum subhydrogenatum, concretum, coloris fusci, quod, excluso aëre, fervefactum, in arsenicum hydrogenatum et arsenicum sui juris factum resolvitur, et ex arsenureto potassii madefacto et columnæ galvanicæ actioni commisso obtinetur.

DE OXIGENE; AER VITALIS, AER IGNIS, AER PURUS, AER DEPHLOGISTICATUS.

Oxygenes gazum est a Priestleyo et, eodem circiter tempore, a Scheelio detectum; Lavoisierius illius proprietates sedulo indagavit et combustionis eum causam declaravit.

Oxygenes liber in natura non invenitur, sed in aëre, aqua, oxidis et acidis native occurrit, et corporibus organicis cunctis sub forma mixta inest. Incolor est, insipidus et inodorus.

Gravitas ejus specifica est ad hydrogenis gravitatem ut 15 ad 1; aqua 740es levior; caloricum specificum æquale 0,9765. Inter corpora gazeosa minima fruitur lumen refringendi facul-

tate; est enim hæc ad eamdem facultatem hydrogenis = 1,17000: 6,61436. Corporibus quibuscumque per se vel igne indestructibilibus conjungitur et, pro eorum combustibilitatis vi vel intensitate, majori minorive calorici copia orbatur. Per se electricus non est, sed dum disjungitur proprietatibus electro-negativis absolutis gaudet.

Plurima corpora ut ferrum, carbo, quæ in aëre solummodo cum ignitione, in oxigene, vivido cum lumine, urunt. Dum in cylindro vitreo comprimitur, magna quantitas luminis extricatur, in metallico vero, caloris; quod nisi oxygeni et gazis, oxygenem libere continentibus, contingit.

In eo animalia diutius vivere possunt quam in aëre atmospherico, sed solus nimis excitat pulmones; sanguinem atrum, mero contactu, in vivide rubrum permutat.

In vegetabilibus hydrogeni et carbonio adjunctus existit; vires electricæ et solares oxygenem e connubio quod hic cum hydrogene iniit eliciunt; in animalibus iisdem corporibus ac in plantis, sed simul azoti, unitus est.

Ut purus censeatur, duplex hydrogenis volumen per combustionem in aquam vertere debet.

Numerus æquipollens vel stœchiometricus oxygenis 7,5 erit si ad hydrogenem deferatur et hujus numerus unitati æqualis statuatur; ratio autem mensurata 2; 20 enim pollices cubici oxygenis 7,5 grana ponderant; inter gazeoza vel gazifiabilia simplicia solus volumine proportionali tam infimo pollet, et ideo in determinandis corporum aëriformium voluminibus proportionalibus pro unitate assumitur.

Sincerus ex decompositione aquæ ope columnæ voltaicæ

obtinetur, sed fila quæ circulum complent ex auro aut platino facta sint oportet, ne cum illis sese uniat : si partes virides plantarum, præcipue succosarum, aqua submersæ, radiis solaribus exponantur, oxygenem suppeditant; præsertim ex superoxido manganesi, solo vel cum acido sulphurico mixto, oxido mercurii et aliis oxidis igne reductibilibus; sincerus etiam obtinetur ex muriatibus superoxygenato et hypersuperoxygenato potassæ, solis vel cum superoxido manganesi mixtis, nitro etc. ad ignem actis.

Oxygenem aquæ, ita ut 7,5 prioris, 8,5 posterioris partibus adnectantur, conjungi posse jam diximus.

Diximus quoque volumen unum oxygenis cum duobus voluminibus hydrogenis mixtum, miscelam sistere quæ, per tubum compressa, et inflammata, corporibus, apyris dictis, fundendis optime inservit.

De connubio oxygenis cum hydrogene jam actum fuit.

Cum azote sextuplici modo congreditur. 1°, aër atmosphericus; 2°, oxidum azotis; 3°, gaz nitrosum; 4°, acidum nitrosum, de quibus locis propriis; 5°, acidum hypo-nitricum; hoc per se liquidum est, et 30 partibus oxygenis cum 13,5 azotis, seu duobus voluminibus prioris et unico posterioris conflatur; gravitas specifica $= 1{,}401$; ad $28° + 0°$ volatilisatur; ad $8° - 0°$ colore orbatur; intensitas coloris crescit a $6 + 0°$ ad punctum volatilisationis; aquæ impatiens est et, si cum ea misceatur, decomponitur, nascentibus acido nitrico et gazo nitroso; 6°, acidum nitricum, cum pari rat. aquæ liquidum, et azotis 13, 5 ac oxygenis 37, 5 part. habens.

Quinque existunt composita sulphur inter et oxygenem; 1°, oxidulum sulphuris; sub forma pulveris albidi prodit: constat 7,5

oxygenis et 30 sulphuris partibus; fit dum supersulphureta aqua dissolvuntur et ab acido quodam disjunguntur; per se persistens est et subchlorureto sulphuris inest; 2°, sulphuris oxidum, quod liberum existere nequit; in sulphure chlore saturo, quod chlorureti sulphuris nomen fert, et in salibus hyposulphitibus ac in supersulphuretis aqua solutis, latitat; proportiones principiorum constituentium sunt 15 sulphuris et 7,5 oxygenis partes; acido sulphurico subhydrico, acidum vitriolicum fumans dicto, solubile est: acidum hyposulphurosum vocatur; 3°, acidum sulphurosum, de quo loco proprio; 4°, acidum hyposulphuricum, quod acido sulphuroso et acido sulphurico, seu 30 sulphuris cum 37,5 oxygenis partibus constat; saporis strenue acidi est, inodorum, et ad densitatem 1, 347, in vacuo Lesliano reducitur, et ad ignem in constituentia resolvitur; frigide, nec ab acido nitrico concentrato, nec a chlore liquido, ultro acidificatur. Acidum sulphurosum in eo contentum ad basium saturationem non confert; disjunctum, quoniam numerum imparem rationum oxygenis contineat, existere nequit; 5°, acidum sulphuricum, liquidum; immixtionis impatiens est, eadem qua præcedens causa; pro principiis constituentibus 22,5 oxygenis, 15 sulphuris et 8,5 aquæ partes habet: odore et colore expers, oleiforme, saporis acidi caustici; gravitas specifica = 1,842; ad 240° therm. Reaum. ebullit et volatilisatur; ad — 8° crystallisatur et tum 17 partibus aquæ unitum est, et usque ad 8° + 0° crystallisatum remanet. corpora organica pleraque destruit, organisationis aquam appetendo; aquæ vapores in aëre contentos absorbet et ideo ut hygrometrum physicum usurpatur; si aqua in acidum sulphuricum infundatur magna copia caloris extricatur. Plerisque cum oxidis metallorum congreditur, et variis processubus chemicis inservit; cum dimidia aquæ ratione unitum, ad mo-

dicum calorem, et quidem gradum 20m R.; volatilisatur, et in massam striatam opacam vel glacialem pellucidam, coalescit; ad gradum 12m funditur; ad aërem summe fumat; metalla debilia, qualia hydrargyrus et argentum, oxidat et dissolvit; acido sulphurico concentrato solubile est; hæc solutio, quæ colore fusco diluto induitur, ad 0° concrescit, crystallos pellucidas, oleum vitrioli glaciale dictas, efficiens; aquæ additione in acidum sulphuricum convertitur; oleum vitrioli fumans audit.

Tria composita oxygenes et carbonium efformant.

1° Oxidum carbonii, de quo suo loco.

2° Acidum carbonosum; vocatur et acidum oxalicum et acidum saccharinum: continet carbonii 11,5, oxygenis 22,5 et aquæ 8,5; sine aqua aut alio corpore existere nequit, quoniam numero impari rationum oxygenis constet; colores cœruleos plantarum rubros reddit; ad destruendas maculas atramentitias aptissimum; inservit corporibus plurimis, oxygenem continentibus, ut compositio eorum cognoscatur, disjungendis.

3° Acidum carbonicum, de quo postea.

Oxygenes cum phosphoro copulatur et quidem quadrifarie.

1° Acidum hypophosphorosum; colores cœruleos vegetabilium rubescit, sapore acido pollet, et sic improprie suboxidum phosphori audit; liquidum viscosum est, non crystallisabile; proportiones partium constituentium sunt 10,5 phosphori et 3,75 oxygenis; calore decomponitur et, ob aquam in eo hærentem, in phosphorum hydrogenatum, phosphorum et acidum phosphoricum convertitur. Cum aqua hydratem

crystallinum, et, cum oxidis, sales, qui hypophosphites dicuntur, efficit.

2° Acidum phosphorosum, quod forma pulveris albi, levis, volatilis, odoris alliacei, saporis acidi, pungentis, prodit; si aqua ei adjuncta sit abit in cristallos aqua solubiles. Principia constituentia sunt 10,5 partes phosphori et 7,5 oxygenis; cum oxidis sales, phosphites dictos, præbet.

3° Acidum hypophosphoricum; constat hoc conjunctis acidis phosphoroso et phosphorico, et sic partes habet componentes phosphori 10,5 et oxygenis 11,25.

4° Compositum quod ex 15 partibus oxygenis et 10,5 phosphori constat et acidum phosphoricum vocatur; concretum est, album, opacum, ad aërem liquescens; aquæ partibus 8,5, acidi phosphorici partes 34 adjunctæ, in vitrum abeunt quod colore expers est, saporis acerrimi, crystallisabile, alcohole solubile. Cum oxidis phosphates neutros ac sub-et-superphosphates efficit; pars ossium combustione non destructibilis subphosphatophosphatem calcis sistit et sic phosphuretum, calcii metalli partibus 20 et phosphori partibus 10,5 constans, quod oxygene *salificatum* est, efficit. Ratio salificans proportionalis acidorum phosphori ad 1/4 est augenda.

Cum chlore quatuor composita efficit, nempe duo oxida et totidem acida.

1° Euchlores, de quo postea.

2° Supereuchlores vel euchlores oxygenatus, de quo suo loco.

3° Acidum chloricum seu muriaticum superoxygenatum; chloris mensuris 4 et oxygenis mensuris 10 conflatur, seu 32 partibus ponderatis chloris et 37,5 oxygenis; sub forma liquida est, volatile, saporis acidi acerrimi, colore et odore privatum; semper aquam adjunctam habet; a lumine non disjungitur. Si leni igne concentretur consistentiam oleiformem acquirit. Cum oxidis muriates superoxigenatos efficit.

4° Acidum muriaticum hypersuperoxygenatum seu acidum chloricum oxygenatum; principia hujus constituentia sunt 52,5 oxygenis et 32 chloris seu posterioris volumina 4 cum prioris voluminibus 14; volatile est, incolor, saporis acidi grati. Nec a lumine, nec a calore disjungi potest; cum oxidis sales parce aqua solubiles efformat.

Si oxygenes cum iode congrediatur, exsurgit acidum quod acidum iodicum superoxygenatum et etiam iodicum audit et cujus principia constituentia sunt 120 iodis et 37,5 oxygenis; et sic vaporis prioris voluminibus 4 et posterioris, voluminibus 10 conflatur; concretum, subpellucidum, saporis constringentis, colores plantaram cœruleos rubescens, aëre liquescens, aqua persolubile; ad 160° th. reaum. calefactum, totum in oxygenem et iodem resolvitur; cum alkalibus et oxidis sales chloratibus similes efficit.

Acidum boracium e bore et oxygene conflatur; de hujus principiorum constituentium proportionibus experimentis non satis constat; attamen, de acido boricofluorico judicando, partes habet 19,5 boris et 15 oxygenis, et sic acidi carbonici præpterpropter compositionem et, dum aliis junctum, expansionem; anhydricum consistit quoniam numero pari rationum oxygenis

4.

confletur. Solidum est: si aqua careat, transparens, vitriforme; si ea conjunctum et crystallinum, splendens, tactu pingue; acidum boracicum odore expers et vix acido sapore præditum est; ad ignem fixum, sed vaporis aquæ intermedio volatile: alcohole valde solubile: solutio hæc in chartam curcuma tinctam uti alkali reagit.

Duplex existit unio inter selenem et oxygenem.

1° Oxidum gazeosum, de quo suo loco.

2° Acidum selenicum; 15 oxygenis partes et 37,5 selenis continet; concretum est, volatile, crystallisabile, sapore acido strenuo donatum, sine colore et sine odore: disjunctum persistit quoniam numero pari rationum oxygenis confletur; aqua solutum, cum hujus ratione pari eximias præbet crystallos; aquæ, ad ignem, antequam volatilisetur, vale dicit. Cum oxidis sales, seleniates dictos, efficit. Vapor acidi selenici colorem citrinum induit: a pluribus decomponitur corporibus uti hydrogene sulphurato, acido sulphuroso, ammoniaca, zinco etc.

Oxygenes cum metallis composita varie proportionata et tum suboxida, oxidula, oxida, oxidulooxida, superoxida et hypersuperoxida, et ea, sive non acida, sive acida sistentia, efficit; unde patet cum corporibus simplicibus ad unum omnibus et cum plurimis compositis oxygenem congredi.

Oxygenes juxta rationum perpetuarum leges corporibus sese adjungit, et in compositis secundariis cum pari propriæ suæ substantiæ mole, in alio corpore contentæ, proportionatur, et hydrogene excepto, corporibus cunctis aliis numerum æquipollentem tribuit.

DE AZOTE; NITROGENES, AER PHLOGISTICATUS, AER MEPHITICUS.

Combustibile est et quoque comburens, sed via indirecta; inodorum, sine sapore et colore; gravitas ejus specifica = 0,96913; vis qua lumen refringit ad vim refringentem aëris = 1,03408; caloricum specificum = 1,000; aqua insolubile et nisi ab 1/24 mensuram huic interponi potest. Animalia, ut nomen etiam indicat, oxygenis defectu necat. Combustio in eo fieri nequit. Rhuterfordius eum primus cognovit.

Azotes in animalibus cunctis, in vegetabilibus quibusdam ac in aliquot mineralibus occurit; sed fons præcipua hujus gazi in aëre atmospherico hæret, et ad 2 rationes pro 1 oxygenis, 27, nempe, et 7,5, vel ad mensuras 8 pro 2 mensuris oxygenis, et sic oxidulum efficiens, in hoc aëre continetur.

Potassii et sodii conservationi interdum azotes inservit.

Obtinetur phosphorum sub campanula aëre repleta urendo: oxygenes aëris phosphoro unitur et gazum azotes remanet. Fit et si chlores per ammoniacam liquidam transmittatur; si fibræ a materia animali acidum nitricum dilutum adfundatur et cum ea fervefiat; azotes prodit quoque si amalgama plumbi, hydrosulphureta, sit alkalinum vel martiale, in lagena aërem atmosphericum continente includantur et cum illo agitentur. Demum, hyponitritem ammoniacæ liquidum ebullire cogendo.

Vesica natatoria piscium eum sincerum includit.

Berzelius putat rationem azotis ratione una oxygenis et pari

combustibilis gazeosi indeterminatæ indolis constare; partibus ponderatis 7,5 prioris et 6 posterioris, et mensuratis, 2 cum 4, conflatus esse deberet.

Radicale combustibile acidi nitrici est, et compositionem ammonicæ, quæ gazeosam formam servat, ingreditur.

Cum oxygene azotes acidum nitricum efficit; fit scintillam electricam per miscelam oxygenis cum azote cogendo, sive azotem 14 hydrogenis mensuris commixtum cum oxigene sub campanula sensim urendo.

Existunt composita azotem inter et potassium sicut et inter sodium; hyposubazotureta horum metallorum sistunt, et fiunt si in gazo ammoniaca calefiant; ammoniacæ ratio par absorbetur, dein, aucto calore, ad 1/3 immutata expellitur: caloris progressu alia tertia, sed ea in partes resoluta, avolat, et ultima tertia hydrogenem duntaxat amittit et azotes cum metallo manet; unde azotureta azote cum triplici metalli ratione constare elucescit. Aqua hæc connubia in oxida et ammoniacam regeneratam convertit.

Duo habentur composita azotis cum carbonio.

1° Azoturetum carbonii, vulgo cyanogenes, quod rationibus paribus azotis et carbonii conflatur; de hoc postea.

2° Hyposubazoturetum; ratione una azotis seu 13,5 et rationibus tribus seu 34,5 carbonii partibus constat; nomine carbonis animalis insignitur; substantia atra, splendens et valde levis est; fit dum fibræ animales vasis clausis calcinantur: illud quod superstes est carbonem animalem sistit.

Ratio ponderata azotis 13,5 æquat; mensurata vero, numero 4 exprimitur, quoniam pollices 40 hujus cubici pondus habeant 13,5 granorum.

De oleo, sic dicto tonitruante, et de pulvere intactili, quæ incongrue azotis hypersuperchloruretum et hypersuperioduretum habentur, latius

DE CHLORE; ACIDUM MURIATICUM OXYGENATUM, ACIDUM MURIATICUM DEPHLOGISTICATUM, CHLORINA, HALOGENIUM.

Comburens acidifiabile est, a Scheelio inventum, quamquam jam dudum ex aqua regia evolveretur. Fluidum aeriforme permanens, coloris e flavo viridis, saporis, dum aqua interpositum, acris, valde ingrati, et odoris fortis, suffocantis; colores plantarum destruit: animalia in eo immersa morte obruuntur, vel saltem corisa, hæmopthtisi, suffocatione, corripiuntur; parcæ aquæ copiæ adjunctum ad paucos supra o gradus crystalliformiter concrescit. Combustionem promovet. Gravitas ejus specifica = 2,4700. Numerus æquipollens 32 æquat et mensura stœchiometrica 4 sonat; 40 enim pollices cubici chloris pondus habent 32 granorum.

Negativis gaudet proprietatibus electricis et nisi circa oxygenem electro-positivus esse potest.

Native liber non reperitur, sed cum sodio unitum et salem marinum efficiens, obvie occurit, et sub hac forma in maris aqua continetur, et fossilis, salem gemmæ efficiens, invenitur.

Gazum chloris aërem pravis odoribus liberando inservit: ad fila et telas dealbanda aptus, et multis in usibus chemicis venit.

Volumen simplex aquæ sub pressione et temperatura ordinariis volumen duplex chloris absorbet. Aqua chlore satura easdem proprietates ac gazum habet; aqua illa seu chlores liquidus ad 0° congelatur, et dum radiis solaribus exponitur oxygenem suppeditat, superstite acido muriatico suboxygenato, quod liquidum est, et statu concentrato ac fervefactum cum potassii oxido iterate oxygenem suppeditat. Quamvis chlores alkalibus sit conjunctus corpora non minus dealbat.

Quidam contendunt chlorem corpus simplex sistere, quoniam a calorico solo in partes alienas non resolvatur. Alii asserunt acido muriatico sicco et oxygene constare et sic salificationis siccæ cum metallis repristinatis elementa in se includere.

Si chloris ratio oxygenis rationem unam contineat, sequitur volumina 4 chloris voluminibus 2 oxygenis et totidem acidi muriatici sicci sine coarctatione conjunctis perfici, et etiam, sequente opinione cui Berzelius quodamodo arridet, voluminibus 4 oxygenis cum 2 voluminibus, dimidiam rationem efficientibus, combustibilis ignotæ indolis, quod juxta legem condensationis voluminum inferiorum per volumina superiora ab oxygene omnino suscipitur, quoniam chlores a volumine pari hydrogenis in volumen duplex acidi hydrochlorici vertatur.

Si acidum hydrochloricum in superoxidum manganesi agat, chlores evolvitur; etiam, si supra sale marino cum superoxido manganesi mixto acidum sulphuricum infundatur. Rationes 2 acidi sulphurici cum ratione una salis et superoxidi sunt conjungendæ.

De chloris cum oxigene et cum hydrogene connubiis jam facta sunt verba.

Cum iode composita profert duo, nempe, acidum iodicum superoxigenatum acido muriatico sicco superstructum; concretum est, volatile, coloris flavi, et ad modicum calorem, addita aqua, in acidum muriaticum et acidum iodicum, et addita potassa liquida, in sales binorum acidorum resolvitur; unde patet rationibus chloris 5 cum ratione 1 iodis conflari; ante aquæ, quam avide appetit, additionem, ad calorem evectiorem in chlorem et iodem dividitur. Secundum compositum constat ratione 1 iodis cum rationibus 3 chloris, et supereuiodem, acidi muriatici sicci ratione triplici superstructum, sistit; coloris rubri est, solidum et aquæ additione in acidum iodicum superoxigenatum, acidum muriaticum et iodem convertibile, et tunc sine disjunctione volatile est; addita autem potassa, in sales præfatorum acidorum et iodatem oxigenatum, qui dein in iodatem superoxygenatum et iodatem simplicem resolvitur, abit. Prius obtinetur, sicce iodem chlore saturando, posterius, subsaturando: calor ingens sub conjunctione extricatur. Hoc quoque exsurgit dum sicce euchlores cum iode copulatur, et copula, quæ concreta est, modico sublimationis igni committitur: euiodes acidi muriatici sicci quintuplici ratione nuptus sursum fertur, et acidum iodicum superoxygenatum superstat. Rationes duæ iodis cum euchloris rationibus quinque congrediuntur et caloris intermedio in iodis rationem unam cum 5 rationibus oxygenis, et aliam rationem, cum totidem rationibus chloris, et sic iterum acidum iodicum superoxygenatum acidi muriatici sicci quintuplici ratione superstructum sistit; chloriodes rationibus paribus constituentium conflatur; et euiodes acidi muriatici sicci ratione pari superstructus adhuc latet.

Cum phosphoro bifarie congreditur; composita sunt acidum phosphorosomuriaticum et acidum phosphoricomuriaticum, subchloruretum et chloruretum phosphori dicta: prius liquidum est, colore expers, limpidissimum, maxime volatile et sapore caustico præditum. Aqua in acidum hydrochloricum et acidum phosphorosum hydricum vertitur; constat 32 chloris et 10,5 phosphori partibus. Obtinetur vaporem phosphori supra muriatem hydragyri oxidatum in fistula porcellanea calefactum pellendo, et etiam chlorem phosphoro saturando. Poterius vero, statu solido gaudet, coloris albissimi est, ad ebullientis aquæ calorem et infra, volatile, post fusionem, quæ sub strenua pressione externa intercedit, volatile; aqua commixtum in acidum hydrochloricum et acidum phosphoricum resolvitur. Principia constituentia sunt 64 chloris et 10,5 phosphori partes. Fit combustione phosphori in excessu chloris et etiam, acidi phosphorosomuriatici cum chlore saturatione: binis acidæ proprietates competunt.

Chlores cum sulphure conjungitur duplici modo.

1° Acidum hyposulphurosomuriaticum seu chloruretum sulphuris, compositum Thompsonii dictum; *liquidum limpidum* et volatile est, coloris flavorubri, saporis acidi caustici, odoris penetrantissimi, plantarum maritimarum æmuli, ad aërem maxime fumans; ab aqua decomponitur et in acidum hydrochloricum, acidum sulphuricum et sulphur repristinatum resolvitur; gravitas specifica = 1,7. Continet 32 chloris et 15 sulphuris partes et sic utriusque rationes pares. Obtinetur facillime supra sulphur, grosse contusum et tubo vitreo inclinato inditum, chlores nunc nascens frigide propellendo; brevi dissolvetur sulphur et in phialam, ex industria adnectam, transibit. Sistit sulphur chlore saturum.

2° Compositum, ex 32 chloris et 30 sulphuris portionibus conflatum: subchloruretum sulphuris sistit: aqua in acidum hydrochloricum et sulphuris oxidulum, quod per se persistens est, convertitur: præcedenti quam simile; chlorem sulphure saturum præbet.

Chlores cum carbonio via directa non congreditur, indirecta vero et cum eo nascente, efficit composita tria quorum unum cum dimidia ratione carbonii sistit superchloruretum carbonii, quod limpidum est, colore orbum, volatile, electricitatem non conducens et, nec aqua, nec alkalibus liquidi ssolubile, æthere autem, alcohole et corporibus pinguibus dissolvitur; obtinetur sequens per destillationem iterate et donec chlorem emittere desinat ac liquidum maneat, evocando; oxido carbonii acidi muriatici sicci ratione duplici copulato respondet. Secundum exsurgit e ratione 1 chloris cum 1/3 ratione carbonii; efficit hypersuperchloruretum, quod concretum est, crystallinum, friabile, saccharo albo non dissimile, ad aërem volatile, per sublimationem crystallisabile, facile æthere et alcohole, non autem aqua, solubile; acidum oxalicum est cum triplici ratione acidi muriatici sicci. Tertium oritur e congressu chloris cum pari ratione carbonii; compositum efficit julianum, concretum, et volatile, quod, pro constituentibus, ad oxidulum carbonii, pari ratione acidi muratici sicci superstructum, est deferendum. Obtinetur chloruretum cyanii per fistulam vitream modice fervefactam, repetite et donec azotes sejunctus sit, propellendo.

Si chlores cum oxido carbonii congrediatur, oritur acidum muriaticocarbonicum, de quo infra.

Acidum chlorocyanicum pro principiis constituentibus 11

carbonii, 13,5 azotis, 32 chloris et 1 hydrogenis partes includit, seu volumine pari acidi borussici et chloris componitur, et sic volumen unicum cyanogenis cum duobus voluminibus acidi hydrochlorici ei inest; connubium hoc liquidum est, colore carens et odore valde irritante præditum; aqua facile solubile, et maxime volatile: colores cœruleos rubefacit, nitratem argenti non præcipitat; ab alkalibus in hydrochloruretum et cyanuretum vertitur: posterius, addito acido, in acidum carbonicum, acidum borrusicum et ammoniacam resolvitur.

Chlores cum carbonio hydrogenato duplex edit compositum, chloruretum, nempe, et subchloruretum; prius oritur dum volumina paria chloris et carbonii hydrogenati in mutuum amplexum ducuntur; melius hoc altero per partes addendo; intercedit condensatio perfecta et prodit liquidum oleiforme, ad infimum caloris gradum, nempe ad 60^m circiter gradum R., per ebullitionem volatile, odoris ætherici, saporis saccharini. Vapor proportionalis hujus liquidi spatium æquale 8 adimplet quoniam voluminibus quatuor comburentis et totidem combustibilis, sese non condensantium, confletur. Partes ponderatas habet 32 chloris et 13, 5 *carbonii hydrogenati*, et sic in eo chlores cum carbonio, non autem cum hydrogene, proportionatur: æther muriaticus ponderosus vulgo vocatur. Posterius compositum exsurgit e congrediente volumine duplici chloris cum volumine simplici carbonii hydrogenati, et quoque, ex hoc gazo sensim altero commixto; sistit liquidum e viride flavum, vapores acres, pulmonibus molestos, spargens, et saporem causticum, pseudometallicum, præ se ferens. Vaporis ejus expansio 8 æquare debet quoniam volumen simplex a duplici condensetur; partes constituentes 64 chloris et 13, 5 hydrogenis carbonati habet, et sic acidi muriatici rationibus

2 et oxidi carbonii ratione 1 constat; superchloruretum carbonii hydrogenati chemice vocatur.

Cum alcohole Lampadii, chlores, aqua regia contentus, effecit compositum sapore acri et acido præditum, crystalliforme, incolor, ad modicam incalescentiam fusibile, ad calorem parumper evectiorem indisjunctum sublime petens, et cujus constituentia proxima sunt acidi carbonici ratio dimidia, acidi sulphurosi ratio integra et acidi muriatici sicci ratio duplex, et remota, carbonii ratio dimidia, sulphuris ratio integra, oxygenis et chloris utriusque ratio duplex.

Bifariam cum selene chlores copulam init; congrediuntur enim, chlorem selene saturando, ratio 1 prioris cum rationibus 2 posterioris, et subchloruretum selenis efficitur. Hoc oleiforme est, pellucidum, e fusco-flave coloratum, aqua gravius, volatile et aquæ accessu in acidum muriaticum, oxidum selenis gazeosum et selenem repristinatum sensim se resolvens; selenem autem chlore saturando, exsurgit copula e prioris ratione 1 cum posterioris rationibus 2 conflata, quæ concreta est, alba et, vaporisata, flava; sublime veeta iterum in crystallos albas concrecit; ab aqua in acidum muriaticum et selenem convertitur; obtinentur ut chlorureta sulphuris.

Chlores cum ammoniaca aëriformi hydrochloratem ammoniacæ componit: una tertia pars ammoniacæ sejungitur, azotes hujus avolat, et hydrogenes chlori adjungitur et cum 2/3 residuæ ammoniacæ partibus congreditur. Conjungenda sunt 1 1/3 volumen proportionale ammoniacæ et 1 volumen proportionale chloris.

Chlores cunctis cum metallis composita, chlorureta dicta,

efformat, cum metallorum oxidis plurimis, chlorureta oxygenata.

DE ACIDO HYDROCHLORICO, ACIDUM MURIATICUM, SPIRITUS SALIS MARINI.

Acidum hydrochloricum native non occurrit immixtum, sed in sale marino aliisque invenitur.

Acidum hydrochloricum gazum est persistens, colore expers, sapore acido caustico præditum; colores cœruleos plantarum rubescit, in aëre fumos albos emittit quoniam aquæ avidissimum sit. Gravitas specifica = 1,2474. Flammam extinguit, antequam vero extincta sit, viride colorat: animalia in eo pereunt. Vis refringens = 1,1962.

Partes 32 chloris et 1 hydrogenis seu volumina paria absque coarctatione unita ei sunt : unde acidi numerus æquipollens 33 æquat; mensura ejus proportionalis 8 audit, quoniam 80 pollices hujus cubici 33 grana proderent. Dum miscela fit acidi hydrochlorici et aquæ, *multum caloris evolvitur*. Aquæ 57 partes, 42, 43 acidi hydrochlorici partes absorbere possunt; pondus specificum aquæ, acido hydrochlorico saturæ, 1,21.

Gazum acidum hydrochloricum effluvia ammoniacalia in aëre hærentia destruit; acidum hydrochloricum liquidum, sicut et gazeorum multis usibus chemicis inservit. Cum superoxido hydrogenis absque indolis mutatione conjungi potest; ad 28° R. infra zero in massam butyri formem concrescit.

Obtinetur supra salem marinum acidum sulphuricum fun-

dendo et quod avolat supra mercurium excipiendo; gazum tum acidum hydrochloricum sistit; pondera utriusque paria adhibeantur. Etiam volumina paria chloris et hydrogenis commiscendo, et in vitro incolore vel cœrulei tincto, lumini solari committendo, vel miscelam vividissime in anthlia condensando ut caloricum elaterio majori donetur et foras feratur; in lumine diffuso et in vitro rubre tincto medietas duntaxat hydrogenis cum chlore coit, et acidum subhydrogenatum efficitur.

Acidum muriaticum cum metallis strenuis chlorureta, avolante hydrogene, et cum oxidis, chlorureta vel hydrochlorureta componit; gazum a metallis strenuis in partes resolvi, hydrogene liberato, jamdudum docuit Van Mons.

Acidum hoc cum ammoniaca hydrochloruretum in chloruretum non convertibile efficit, quoniam sine aqua existere nequeat.

Ex unione carbonii hydrogenati et acidi hydrochlorici, vel potius ætheris cum acido muriatico sicco, oritur æther, qui liquidus aut vaporiformis est prout infra aut supra 9° reperiatur, et muriaticus dicitur; vaporiformis gravitas specifica = 2,219. 33 acidi hydrochlorici et 6, 75 carbonii hydrogenati partes possidet, et sic volumina paria constituentium, in æthere muriatico vaporiformi ad 1/2 coarctata, et rectius, ætheris ordinarii vaporisati volumina duo et acidi muriatici sicci volumen unum ad volumina duo condensata, includit. Cum acidi nitrici ratione dimidia commixtum acidum hydrochloricum liquidum, acidum subnitrosomuriaticum efficit; coloris e fusco rubri est, et aqua regia vocatur.

E connubio cum ferro gazum hydrochloricum levius flt, quoniam a gazo sincero aqua expellatur.

A columna galvanica ita disjungitur ut chlores ad polum positivum, hydrogenes autem, ad polum negativum, deferantur.

Sub conjunctione gazorum acidum hydrochloricum constituntium nulla intercedit voluminis coarctatio, ex eo quod, combustibile cum comburente ad volumina paria congrediente, volumen non mutetur; potest gazum hydrochloricum concipi constare voluminibus paribus oxygenis et hydrogenis cum dimidio volumine acidi muriatici sicci, et ita aquam efficere oxygenisatam, sub forma vaporis, hoc acidum cum condensatione dissolventem.

DE ACIDO HYDRIODICO; ACIDUM IODICUM.

Acidum hydriodicum fluidum elasticum est, sine colore, odore acri, acidi hydrochlorici simili, sapore valde acido, gaudens; tincturam crotonis tinctorii rubescit, aëre fumos albos emittit, corpora quæ ardent extinguit. Gravitas specifica=4, 443, et sic inter gaza ponderosissimum sistit. Partes constituentes ponderatæ sunt 120 iodis et 1 hydrogenis, et mensuratæ, 4 vaporis iodis et totidem hydrogenis, absque coarctatione unitæ. Habent enim 40 pollices cubici vaporis iodis pondus 120 granorum, et 40 pollices cubici hydrogenis, grani 1, et 80 pollices gazi acidi, 121 granorum. Expansione sic gazi acidi muriatici donatur, et numerus ejus æquipollens mensuratus=8.

Gazum acidum hydriodicum aquæ perquam avidum est

et cum ea acidum hydriodicum liquidum fumans constituit; ad gradum 38 Reaumur ebullit et vaporisatur; facile concentrari potest et gravitatem specificam 1, 700 acquirere. Aëris contactu sensim in acidum iodosum, acido iodico solutum, repristinatur.

A metallis strenuis instanter disjungitur, avolante hydrogene et iodureto seu iodate sicco metalli remanente. A chlore decomponitur : acidum hydrochloricum nascitur et iodes repristinatur. Gazis phosphoro hydrogenato et hydrogene phosphorato sese conjungens, sales crystallisatos, ad ignem facile fusibiles et volatiles, sistit; volumina octo acidi accipiunt volumina quatuor utriusque gazi et, per ammoniacæ volumina 8 disjunctis binis salibus, prior suppeditat volumina 4 phosphori hydrogenati, posterior, volumina 8 ejusdem superhydrogenati et absque coarctatione existentis.

Acidum hydriodicum qua minima saturationis capacitate præditum est.

Acidum hydriodicum obtinetur dum in dilutum aqua iodem acidum hydrosulphuricum introducitur vel acidum iodicum subhydrogenatum eo saturatur; accedit ad iodem vel subacidum hydrogenes una cum calorico, et sulphur præcipitatur; sed tum liquidum est. Si acidum phosphorosoiodicum, superphosphuretum iodis dictum, aquæ ratione duplici disjungatur, inde acidum phosphorosum, quod remanet, et acidum hydriodicum, quod volatilisatur, oriuntur. Processus ita perpetratur ut iodes et phosphorus, retortæ inditi, vitri pulvere madefacto tegantur, et calore gazum evocetur. Etiam, hydriodatem potassæ acidi tartarici ratione duplici disjungendo, acidum hydriodicum obtinetur.

Cum plurimis oxidis sales aqua solubiles, cum aliis, insolubiles, sistit. Priores aëris contactu et ab oxigene laxe ligato in superiodites convertuntur; et hoc quoque iodes adjunctus efficit; horum quidam aëris et ignis conjunctis viribus in iodem et metallum repristinatum vel metallum oxidatum resolvuntur.

Amylum chlore liquido commixtum reagens sistit acidi iodici ac hujus acidi salium: miscela e violaceo cœrulescit a renato iode, qui cum amylo congreditur.

DE CARBONIO HYDROGENATO; GAZUM OLEFACIENS.

Fluidum elasticum persistens; gravitas specifica=0,9784; vis qua lumen refringit=1,81860; corpora accensa extinguit, magno cum splendore urit; caloricum specificum=1,5530. Partes ponderatæ 11,5 carbonii et 2 hydrogenis, et mensuratæ, 4 prioris vaporisati et 8 posterioris, juxta legem condensationis semel repetitæ inter volumen simplex combustibilis acidifiabilis et duplex hydrogenis ad 4 volumina coarctata, in eo continentur. Aquæ adjunctum, alcoholem efficit, et sic constituens variorum ætherum. Cum chlore ætherem muriaticum ponderosum, de quo jam sermo fuit, efformat. Gazum carbonium hydrogenatum a calore lucido sicut et a scintilla electrica mox in carbonium et hydrogenem carbonatum et dein in carbonem et hydrogenem simplicem vertitur, duplicato, posteriori casu, volumine gazi. A sulphuris vapore in carbonium et hydrogenem sulphuratum resolvitur, duplicato iterum volumine.

Cum duplici volumine chloris commixtum et illico a flammante corpore accensum in aquam et acidum carbonicum

resolvitur; cum triplici volumine oxygenis in volumina duo acidi carbonici et aquam a scintilla electrica reducitur; hæc miscela cum horrida detonatione, dum accenditur, deflagrat.

Si parti unæ alcoholis 3 vel 4 partes acidi sulphurici infundantur et miscela destillationi committatur, gazum carbonium hydrogenatum prodit.

Maximam partem gazorum e carbonibus fossilibus et oleis quibuscumque igne destructis obtentorum efficit, quæ illuminationi inserviunt. Efformatur sub fermentatione vinosa e carbonio organisato; scilicet e rationibus tribus hujusmodi carbonii et rationibus sex aquæ, quæ ita disjunguntur ut oxygenes cum ratione una carbonii acidum carbonicum efficiat, et hydrogenes, cum duabus rationibus ejusdem carbonii, carbonium hydrogenatum, quod cum aqua superstite alcoholem absolutum sistit. Hoc cum pari ratione carbonii hydrogenati ætherem ordinarium, oxidicum dictum, profert.

DE HYDROGENE CARBONATO; GAZUM PALUDOSUM, AER INFLAMMABILIS GRAVIS.

Hydrogenes carbonatus ex 11,5 carbonii et 4 hydrogenis ponderatis partibus et, e mensuratis, voluminibus paribus præcedentis et hydrogenis simplicis, sine coarctatione adunatis, constat; gravitas specifica = 0,58825; vis refringens = 2,09270; flamma flavida depressa ardet. Miscelam gazorum ex anthracite, quæ in usu est ad illuminandum, ingreditur.

Hoc gazum etiam *paludosum* vocatur, quoniam tempore calido prope paludes et aquas stagnantes exhaletur; est quoque hoc gazum quod cum aëre commixtum in mineris anthracitis interdum explodit.

Cum duplici volumine oxygenis commixtus et inflammatus in volumen sibi simile acidi carbonici et aquam vertitur. Cum pari volumine oxygenis in sibi simile volumen oxidi carbonii et volumen duplex hydrogenis dividitur. Volumen unum hydrogenis carbonati et duo chloris, simul mixta, ope scintillæ electricæ in volumen quadruplum acidi hydrochlorici et carbonium sui juris factum resolvuntur.

Ex decompositione partium vegetabilium per destillationem siccam fit hydrogenes carbonatus; etiam ex destillatione acidi sulphurici cum anthracite; gazum evolvens per fistulam candentem est cogendum. Supra paludes agitatas inverso recipiente optime colligitur; et calce, aqua diluta, ab acido carbonico expurgatur.

Tertia habetur hydrogenis cum carbonio copula, scilicet, hydrogenes supercarbonatus, cujus constituentia sunt carbonium cum ratione duplici hydrogenis et sic compositio carbonii hydrogenati ipsi competit, sed coarctatio juxta leges omnino dissimiles perpetratur; condensantur enim in posteriori volumina 8 hydrogenis a voluminibus 4 vaporis carbonii, in priori vero, volumina 24 hydrogenis et 12 vaporis carbonii ad volumina 4 reducuntur, et quasi hydrogene carbonato, volumina 8 hydrogenis et 4 vaporis carbonii includenti, duplici rationi acidi hydrocarbonici, rationibus paribus constituentium conflati, adunato, conficeretur, et prioris volumen totum, ac posterioris volumen dimidium, evanesceret. Exstructio hæc deducitur a proportione oxygenis quam gazum, ut in aquam et acidum carbonicum abeat, petit; adjungenda enim sunt voluminibus 4 gazi, volumina 18 oxygenis, quorum 12 acidificationi carbonii inserviunt et 6 hydrogenem in aquam convertunt; 4 volumina carbonii hydrogenati simi-

lem in acidum carbonicum et aquam conversionem a 12 voluminibus oxygenis experiuntur.

DE PHOSPHORO HYDROGENATO; Hydrogenes superphosphoratus.

Principia constituentia ponderata phosphori hydrogenati sunt 1 pars hydrogenis et 10, 5 phosphori, et mensurata, volumina paria vaporis phosphori et hydrogenis ad dimidium condensata; ponderant enim 40 pollices cubici hujus gazi grana 11, 5; fluidum permanens, odoris alliacei, piscium putridorum æmuli; gravitas specifica = 0, 9022. Calore et scintilla electrica disjungitur: aëris contactu sponte inflammatur, splendidissime urit et leviter explodit.

Cum pari volumine oxygenis commixtum, placida combustione et quæ, compresso gazo, haud perficitur, rarefacto autem, cum explosione succedit, in hydratem acidi phosphorosi, cum sesqui vero volumine oxygenis, in acidi phosphorici hydratem transit; cum triplici volumine chloris, acidi muriatici volumen duplex et acidum muriaticophosphoricum efficit; cum duplici volumine chloris non facit acidum phosphorosomuriaticum quoniam acida numerum imparem rationum oxygenis complectentia immixta existere nequeant; sed phosphori 1/2 sui juris fit, et acidum posterius ex altera 1/2 efformatur. Potest in hoc casu, vasis strictis et frigidis inclusum, phosphorus solus ardere et hydrogenes remanere, acido nascente phosphorico anhydrico; aquæ impositum et illico lumini commissum, 1/2 phosphori deponit et in phosphorum superhydrogenatum, levem vel qui nullam hydrogenis condensationem expertus est, resolvitur. Ad ignitionis calorem et a repetitis scintillis electricis, in constituentia divellitur.

Si 5 volumina hujus gazi cum 13 voluminibus gazi nitrosi et 1 oxygenis misceantur, metuenda intercedit explosio. Si vero volumen 1 phosphori hydrogenati cum 3 voluminibus oxidi azotis commisceatur scintillaque electrica transmittatur, vivida habetur inflammatio detonatione magna et lumine vivido stipata.

Existit inter hoc gazum et sulphur unio quæ hydrogenes sulphuro- phosphoratus audit.

Cum acido hydriodico congreditur et salem crystallisatum, de quo supra egimus, edit.

Si in phosphuretum calcis aqua reagitur, phosphorus hydrogenatus obtinetur ; etiam si solutio potassæ aut sodæ causticarum vel lac calcis cum phosphoro calori submittantur.

Sequenti conjunctum sæpe prodit et tunc ejus in partes resolutio sesqui volumen hydrogenis suppeditat.

DE HYDROGENE PHOSPHORATO; HYDROGENES SUBPHOSPHORATUS, HYDROGENES PHOSPHORATUS PONDEROSUS.

Fluidum aëriforme odore minus ingrato quam odor phosphori hydrogenati : gravitas specifica = 0,9716. Ex 10,5 partibus ponderatis phosphori et 1 hydrogenis, et mensuratis, volumine simplici vaporis phosphori et duplici hydrogenis ad 1/3 coarctatis, conflatum est. Condensatio enim semel iterata intercedit inter volumina paria vaporis phosphori et hydrogenis, unde expansio residua e voluminibus 12 conjunctis ad 4 reducitur ; 40 scilicet pollices cubici hujus gazi pondus habent 12,5 granorum ; præcedenti cum pari hydrogenis volumine, coarctatione ad dimidium passo, constare concipi potest.

Duplici volumine oxygenis commixtus et scintilla electrica actus, hydrogenis adinstar explodit et superhydratem acidi phosphorici profert. Cum volumine quadruplici chloris in volumen octuplum acidi muriatici et acidum phosphoricum efformatur : inflammatio vivida intercedit; a sulphure fervefacto in volumen duplex hydrogenis sulphurati et phosphorosulphur resolvitur; a gazo ammoniacali iodate suo expulsus, in phosphorum superhydrogenatum levem convertitur, et ad volumen duplex expanditur.

Obtinetur hydratem acidi phosphorosi, ex acido phosphorosomuriatico, aquæ ope, elicitum, calore disjungendo: acidum phosphorosum in acidum phosphoricum et phosphorum repristinatum resolvitur, qui deinde aquæ elementa inter duas sui partes ita dividit, ut ratio oxygenis ad rationem dimidiam phosphori, et ratio hydrogenis, ad totidem ejusdem combustibilis accedant.

Ad contactum aëris mediante corpore accenso inflammatur. Per tubum porcellaneum calore rubefactum pulsus et a scintillis electricis gazum hydrogenes phosphoratus disjungitur et volumen duplicatur, phosphoro sui juris facto.

Octo volumina aquæ unum volumen hydrogenis phosphorati introsumere possunt.

Cum gazo acido hydriodico salem cristallisabilem efficit.

DE HYDROGENE SULPHURATO; ACIDUM HYDROSULPHURICUM, ACIDUM HYDROTHIONICUM, AER HEPATICUS.

Gazum permanens, odore fœtido, cum odore ovorum putridorum congruente. Colores plurimos plantarum destruit;

animalibus valde noxium; flammam extinguit; gravitas specifica = 1,1921. Proprietates acidæ chemicæ non autem physicæ, dum sincerus est, ei competunt; ab aqua vivide absorbetur et 3 volumina hydrogenis sulphurati ad temperaturam 8° in aquæ volumine unico dissolvi possunt; hæc solutio hydrogenem sulphuratum liquidum constituit.

Proportiones ponderatæ principiorum hujus gazi sunt 1 hydrogenis et 15 sulphuris partes, et mensuratæ, volumina paria vaporis sulphuris et hydrogenis, ad dimidium coarctata. Gazum hoc inflammatum flammam coloris rubroviridis emittit.

Acidum hydrosulphuricum multis usibus chemicis inservit, ut, v. g., cognoscendo metallo in quodam composito latitante, quoniam varia metalla variis sub coloribus præcipitet: hydrogenes cum metalli oxygene incomplete copulatur, unde oxidi ab acido separatio.

Gazum hydrogenes sulphuratus a scintilla electrica, ab iode et a chlore decomponitur. In aquis mineralibus, sulphureæ dictis, native existit.

Si sulphureto stibii vel ferri aut ferri hydrosulphureto acidum hydrochloricum affundatur, hoc gazum prodit.

DE HYDROGENE TELLURATO; ACIDUM HYDROTELLURICUM.

Fluidum aëriforme est quod colore caret. Odoris acidi hydrosulphurici odori quoadmodo similis; aqua solubile et illæ colorem dilute rubrum præbet; si solutio hæc aëri exponatur vel cum chlore liquido commisceatur, pulvis præcipitatur qui tellurium repristinatnm est. Alkalibus autem fixis adjunctum

ad aërem mox in tellurium hydrogenatum, quod acida ab iis secernere possunt, et forma pulveris e fusco purpurei tum prodit.

Si hydrogenes telluratus cum oxygene communicet et corpus inflammatum ei admoveatur, flamma cœrulescente ardet et in aquam et oxidum tellurii vertitur.

Cum alkalibus et multis aliis corporibus congreditur.

Si in miscelam (copulam) potassii et tellurii infundatur acidum hydrochloricum, gazum hydrogenes telluratus obtinetur.

Constituentia ponderata hydrogenis tellurati sunt 1 hydrogenis et 32 tellurii et, per analogiam judicata, constituentia mensurata, volumina paria hydrogenis et vaporis tellurii ad dimidium coarctata; et pollices cubici 40 hujus gazi pondus granorum 33 habere debent.

DE GAZO HYDROGENE ARSENIATO.

Hydrogenes arseniatus fluidum aëriforme sistit, odoris alliacei, nauseosi; gravitas specifica $= 0{,}5552$; accensum flammula viridi flagrat. Ab aqua fere non introsumitur. Cum oxidis non congreditur; ab oleo terebinthinæ magna copia absorbetur; frigidè ab aëre nullam mutationem experitur: gazum perquam lethale est.

Si mensura una hydrogenis arseniati cum mensuris duabus oxygenis misceatur, ac miscela inflammetur, explodit et aqua nec non subacidum arsenici generantur.

Hydrogenes arseniatus 32 partibus arsenici et 2 hydrogenis

constare videtur et componentia habere mensurata, volumina 4 vaporis arsenici et volumina 8 hydrogenis ad volumina 4 coarctata et sic oxido arsenici, subacidu m habito, correspondet et ex ratione una arsenici et duabus aquæ, intermedio quodam, una cum hoc oxido, exsurgere posset.

Si acidum hydrochloricum in copulam ex stanni vel zinci ratione integra et arsenici ratione dimidia conflatam agat, hydrogenes aquæ disjunctæ ad arsenicum accedit et sic gazum illud exoritur.

Alia ejusdem habetur gazi species, quæ exsurgit calide ope potassæ vel sodæ causticarum liquidarum in arsenicum repristinatum reagendo. Constituentium proportiones ponderatæ sunt ratio 1, seu partes 32, arsenici, et rationes 3, seu partes 3, hydrogenis, et mensuratæ, volumina 4 vaporis arsenici et 12 hydrogenis ad volumina 8 vel ad dimidium coarctata, respondens sic, pro compositione et expansione, gazo ammoniacali, et pro formatione, acido arsenico.

Frigori 32° infra o commissum in *liquidum* diaphanum et incolor condensatur. Priore vitæ magis infestum; inodorum enim est et ideo maxime metuendum.

DE HYDROGENE SELENATO; ACIDUM HYDROSELENICUM.

Gazum fœtidum, odoris ad hydrogenis sulphurati accedentis, acidis proprietatibus donatum; aqua facile dissolvitur, sed tum ab aëre decomponitur et in selenem repristinatum et aquam abit.

Si compositum potassii et selenis vel selenuretum metalli cu-

jusdam fortioris, ut ferri, etc, acidi muriatici aut sulphurici diluti intermedio disjungatur, hydrogenes selenatus obtinetur.

Gazum hoc vitæ animalium perquam noxium.

Hydrogenes selenatus omnes sales metallicos præcipitat, et quidem metallorum strenuorum, et in hydroselenureta convertit.

Cum alkalibus efficit sales rubre coloratos et aqua solubiles.

Constituentia hujus gazi sunt, quoad pondus, hydrogenis pars 1 et selenis partes 37,5 et, quoad mensuram, volumina paria utriusque ad dimidium coarctata.

DE AMMONIACA; ALKALI VOLATILE, OXIDUM AMMONIACI.

Ammoniaca fluidum elasticum permanens est, incolor, odoris fortis, caustici, pungentis. Vegetabilium colores cœruleos viridescit; indolis alkalini est, et ideo alkali volatile dicitur; ad 32° —o liquefit et ad gradum evectiorem frigoris concrescit. In natura statu sincero non reperitur, sed acido plerumque muriatico unita. In lotio continetur et decompositione sive spontanea, sive ignis adjuto effecta, generatur. Gravitas specifica = 0,596. Lumen refringit; est hæc vis = 2,16851. Oxidum metalli artificiale reputatur et ope columnæ galvanicæ in metallum, excipiente hoc hydrargyro, reduci opinatur. Per aperturam capillarem egrediens oxygene inflammari potest, et tunc cum flamma flava ardet.

Aqua gazum ammoniacale avide absorbet et 1/3 sui ponderis hujus facile introsumit; tunc tempore magna quantitas caloris evolvitur, et volumen aquæ valde augetur; estque hoc augmentum voluminis ut 6 : 10; solutio hæc ammoniaca li-

quida, alkali volatile fluor et etiam spiritus salis ammoniaci causticus vocatur; 32° — o exposita in crystallos vertitur; ad gradum 40, in gelatinam coloris cinerei coalescit et odorem deperdit; ad gradum 42 + o omnis avolat et aqua sincera evadit. Ex nive absorpta frigus gignitur, quoniam glaciei liquefactio plus calorici requirit quam ammoniaca ex aqua expellit.

Gazum ammoniacum 13,5 azotis et 3 hydrogenis partes, seu 3 volumina posterioris et 1 prioris, ad dimidium volumen coarctata, continet; condensantur enim vice repetita 4 volumina hydrogenis a 4 voluminibus azotis et volumina 4 residua cum composito nato absque condensatione ulteriori conjunguntur, vel etiam, 8 volumina hydrogenis a 4 voluminibus azotis mox condensantur et orta conjunctio cum 4 voluminibus superstitibus hydrogenis absque coarctatione copulantur, unde ratio mensurata ammoniacæ gazeosæ = 8; ponderant enim pollices 80 hujus gazi 16,5 grana.

Gazum ammoniacale scintilla electrica, et etiam contactu metalli igniti, quod ex eo fragile redditur, in elementa sua resolvitur: volumen gazi duplex fit. Cum 3/4 voluminis oxygenis per scintillam electricam actum in azotem et aquam disjungitur. Volumina 8 gazi ammoniacæ a voluminibus 3 vaporis nitrosi disjunguntur, nascentibus aqua et voluminibus 8 azotis.

Obtinetur gazum ammoniacale si miscela 29,5 calcis anhydricæ et 49,5 hydrochloratis ammoniacæ pulverisati igni exponatur, et gazum evolvens supra hydrargyrum excipiatur.

Cum chloris volumine sesqui commixtum flammam concipit et in azotem et acidum hydrochloricum abit.

Cum chlore humide congrediens efficit compositum, *oleum explodens* dictum, quod Van Mons primus præparavit atque descripsit; constat rationibus tribus chloris cum ratione una ammoniacæ: congrediuntur enim mox rationes 3 chloris cum rationibus 3 hydrogenis quæ rationi unæ ammoniacæ insunt, unde rationes 3 acidi muriatici efformantur et cum totidem rationibus ammoniacæ indisjunctæ copulantur; azotis ratio 1 ex eo liberatur. Singula ratio muriatis ammoniacæ orti rationes 3 chloris sibi adjungit, acidi rationem demittens et ammoniureti chloris speciem efformans. Hoc, admoto calore, in gazum acidum muriaticum et azotem resolvitur; ratio quippe olei rationem 1 ammoniacæ includens in volumina 24 prioris et volumina 4 posterioris resolvitur, vel 112,5 grana olei pollices cubicos 280 gazorum mixtorum suppeditant; potest sal ammoniacalis qualiscumque dilute aqua solutus ammoniacæ liquidæ substitui; liquidum tenue est quod oleum dicitur quoniam per breve tempus aquam supernatet; colorem habet citrinum, ad aërem volatile est et indisjunctum per destillationem transit; ad gradum infra 80 detonat et calorem lucentem, ex absoluta conjunctione hydrogenis cum chlore ortum, emittit. Dum chlores gaziformis in ammoniacam liquidam concentratam introducitur, ad quamquam ingredientem bullam inflammatio sub liquido intercedit et detonatio auditur.

Si iodes cum ammoniaca liquida misceatur, exoritur sal colore expers et brevi tempore in pulverem atrofuscum et in hydriodatem ammoniacæ sese decomponens: pulvis ille sub nomine pulveris intactilis cognitus est, quia minima pressione detonat; constitutio hujus pulveris redit ad rationem 1 ammoniacæ et rationes 3 iodis et sic ammoniuretum hujus comburentis sistit; volumina 8 gazi ammoniacalis cum voluminibus 12

vaporis iodis, sese pressione vel calore disjungentia, suppeditant volumina 4 azotis et volumina 24 gazi hydriodici.

Ammoniaca cum acidis efficit sales qui anhydrici existere nequeunt et aqua superstructi vel cum excessu, sive alkali, sive acidi, efformantur; possunt etiam sales ammoniacales sicci oxido vel acido alieno, imo sale alieno, aquæ loco superstrui. Oxida quædam metallica ammoniaca liquida dissolvit.

Cum oxidis metallicis igne reductibilibus ita conjungitur ut proportionatio intercedat inter hydrogenem alkali et oxygenem oxidi; ammoniureta et metalla, aurum, argentum, hydrargyrus, etc., fulminantia, vocantur et affrictu ut et calore explodunt: absolvitur enim conjunctio inter elementa aquæ cujus pro singula ammoniacæ ratione rationes tres et sic volumina 12 hujus vaporis, ad incandescentiam fervefacti, et simul 4 volumina azotis, liberantur.

Cum hydrogenis sulphurati mensura æquali efficit salem incolorem, squammosum, qui superhydrosulphas ammoniacæ est. Una cum sulphuris vapore per fistulam candefactam propulsa, partim disjungitur et partim cum sulphure hydrogenato hydrosulphitem efficit et potius hydrosulphatem neutrum acidi hydrosulphurici alterius rationis vel aquæ rationis paris loco superstructum; coloris flavi est et in crystallos insignes efformata prodit; subhydrosulphis ammoniacæ obtinetur ammoniacæ muriatem cum sulphure et calce destillationi committendo; liquidum est ab accessu muriatis aquæ, coloris flavi, ad aërem fumos spissos edens et colorem e fuscorubrum induens; *spiritus fumans Beguini* vocatur.

De gazi ammoniacalis cum acidis hydroselenico et hydrotellurico congressu, vix quidquam notum.

Volumina paria gazi ammoniacalis et acidi, sive hydrochlorici, sive hydriodici, simul mixta, in hydrochloratem et hydriodatem convertuntur; habent enim gaza illa expansionem proportionalem æqualem.

DE EUCHLORE; EUCHLORINES, OXIDULUM CHLORIS.

Euchlores est fluidum aëriforme, colore intense viridi-flavo, odore sibi proprio, qui tamen cum odore chloris et sacchari tosti congruit. Gravitas specifica = 2,407; ab aqua avide introsumitur ita ut hæc 8 volumina oxidi chloris continere queat; solutio, citrini coloris, optime corporibus dealbandis inservit.

Calefactus vel compressus sub luminis evolutione explodit: disjungitur in chlorem et oxygenem; cum duplici volumine hydrogenis in volumen hujus duplex gazi acidi muriatici et aquam resolvitur. Cum duplici volumine gazi acidi muriatici in huic par volumen chloris et aquam vertitur. Cum iode efficit chloriodem et acidum iodicum. Primo instante colores cœruleos rubescit, dein destruit.

Principia constituentia sunt 32 chloris et 7,5 oxygenis, seu 2 volumina chloris et 1 oxygenis ad 1 volumen reducta.

Si leni igne muriatis superoxygenati potassæ ratio una et acidi hydrochlorici diluti rationes 3 calefiant, gazum avolans, supra mercurium exceptum, euchlorem constituit.

Euchlores liquidus saturus sensim oxidum azotis absorbet et ipse in acidum nitromuriaticum, regalem aquam dictum, transmutatur.

DE EUCHLORE OXIDATO; OXIDUM CHLORIS, ACIDUM CHLOROSUM.

Gazum coloris citrini saturi, odoris sui generis, aromatici, colores cœruleos vegetabilium destruit; volumen unicum aquæ 8 ad 10 hujus gazi absorbet : solutio hæc intense citrina est et saporis constringentis. Gazum euchlores oxidatus a luce, tum radiante, tum diffusa decomponitur et sub voluminis expansione in chlorem et oxygenem resolvitur. Idem phænomenon observatur incalescendo hoc gazum, aut electricam scintillam per illud propellendo; vivide tum explodit lumenque intensum emittit : gazi volumen ad 4/10 augetur. Sex hujus gazi volumina cum 16 voluminibus hydrogenis commixta et scintilla electrica acta, sub detonatione in acidum muriaticum et aquam resolvuntur.

Constat euchlores oxidatus 32 chloris et 22,5 oxygenis partibus, seu voluminibus 4 prioris et 6 posterioris ad 6 volumina coarctatis.

Obtinetur muriatem superoxygenatum potassæ pulverisatum moderato caloris gradu cum 3/4 partibus acidi *sulphurici* calefaciendo: 3 rationes oxygenis ad 1 rationem chloris deferuntur et 2 rationes ab acidi muriatici superoxygenati, acidum chloricum dicti, ratione 1 excipiuntur, quod ita hypersuperoxygenatum efficitur. Gazum supra hydrargyrum est excipiendum.

In contactu sulphuris vel phosphori horride explodit; metalla repristinata parum afficit.

Cum oxidis alkalinis sales efficit qui mire conferunt ad dealbandam fibram organicam vegetabilium.

Solutio gazi euchloris oxydati fumans est et omni aciditate orba.

A lumine in chlorem et acidum chloricum; a solutione autem alkali fixi, in acidum chloricum alkali unitum dividitur.

Chlores in oxidis suis conficiendis ut ex hoc gazo et præcedenti patet, rationibus duntaxat imparibus oxygenis conjungitur, et hoc etiam de chloris acidis, quorum alterum rationes 5, alterum, rationes 7 oxygenis complectitur, obtinet.

DE AERE ATMOSPHERICO.

Sub nomine aëris atmospherici fluidum illud elasticum, permanens, expansibile et compressibile intelligimus, quod terram ad altitudinem circiter tredecim et duæ leucarum circumcingit; e terra visum, cœruleum adparet, e regionibus vero evectioribus, nigrum; pabulum vitæ et, tum plantarum, tum animalium, et fomentum combustionis efficit, et cujus singulus homo quaqua hora circiter 37,5 pedes cubicos condensat, parem mensuram acidi carbonici et azotis emittens. Aër atmosphericus, quamvis omnes proprietates gazorum possideat, attamen nunquam nomine gazi insignitur, sed primariam retinet denominationem. Specifica aëris ad aquæ gravitas est ut 1 : 770. Nec electricitatem, nec calorem, conducit; lumini iter præbet et per totam suam massam diffundi sinit; miscela sic particularum et non inter partes immotas caloris communicatione incalescit et frigescit.

Pro pondere specifico fluidorum elasticorum, pro vi qua hæc lumen refringunt, et pro calorico specifico = 1,000 statuitur.

Principia constituentia aëris atmospherici sunt 8 volumina azotis et 2 oxygenis, et, sub 100 partibus, pars 1 acidi carbonici absque condensatione unita, seu, quod idem est, 27 partes azotis, 7,5 oxygenis et 1/100 acidi carbonici; sed semper aqua in eo reperitur. Non inficit quominus compositum potius quam miscelam sistat hujus expansio servata, quippe azotis et carbonii oxida, acida muriaticum et iodicum, conjunctorum elementorum expansione donantur. Ea exceptio intercedit quod paribus voluminibus amborum non confletur; sed hoc interpretari potest considerando aërem atmosphericum suboxidum, cujus alterum sub forma gazeosa non reperitur, efficere; pollices cubici 100 aëris pondus habent circiter 34,5 granorum.

Ex crepusculis et statione barometri in diversa altitudine deductum est quod in altitudine 40000 hexapedarum (toises) aër atmosphericus tam rarefactus esse debet quam in vacuo antliæ pneumaticæ.

Densitas aëris ubique eadem esse nequit quoniam strata superiora, ob pondus et ob compressibilitatem stratorum inferiorum, hæc in minus volumen reducunt, proinde strata superiora, quoad inferiora sibi succedanea, semper magis densa fiunt : densitas ita minuitur ut si altitudines in progressione mathematica crescant, densitates in progressione geometrica decrescant : attamen ad telluris superficiem aër atmosphericus magis calidus invenitur, sic hæc proportio densitatis aëris non mathematice exacta esse potest.

Si aër solæ vi expansivæ obediret, in infinitum sese extenderet; attamen aër simul attractioni terræ subjicitur, quæ sic vi expansivæ limites ponit; ast ea vis in majori proportione decrescit quam gravitas molecularum aeris; etenim hæc de-

crescit sicut numerus quadratorum distantiarum major fit, sed vis expansiva decrescit sicuti volumina augentur, adeoque, ut cubi distantiarum crescunt; ergo distantia quædam a terra haberi debet in qua gravitas et vis expansiva sunt in æquilibrio et ultra quam atmosphericus aër altius sese extendere nequit.

Aërem pondere gaudere primo a Galileo detectum fuit : plurima experimenta, ut, v. g., globus vitreus cavus aut ex lamina cuprea factus, ex quo aër extractus est, in bilance positus, levior invenitur quam ante extractionem. Etiam barometrum antliæ aërem esse ponderosum probat.

Pondus seu pressio aëris ponderi mercurii in tubo Torricelli contenti æquetur oportet; ex quo sequitur quod pressio in superficiem datam æqualis est columnæ mercurii, cujus basis eamdem superficiem haberet, et altitudo hydrargyri in tubo contenti altitudini æquaret; unde patet quanta est pressio aëris quæ in nos exercetur, quam tamen non sentimus ob fluidorum in nos contentorum reactionem, etiam quoniam hæc pressio in omnes partes corporis æqualiter agat; multum etiam conferre potest diuturna illa sensatio quam a nativitate experti sumus. Pondus illud pro quoque pede quadrato superficiei telluris æqualis est 2216 libris.

Si pressio aëris atmospherici in tellurem ablata esset, magna pars aquæ quæ in superficie terræ reperitur mox evaporaretur et telluris atmospheram occuparet.

Corpora gravia quæ in aërem immerguntur de suo pondere deperdunt quantum aër sub volumine ejus ponderat. Corpus aëre specifice levius sursum propellitur, non ad superficiem

hujus fluidi, sicut in aqua locum habet, sed donec aër sub eodem volumine idem pondus habeat, vel donec gravitates specificæ corporis et aëris æquales sint : hac proprietate innititur theoria globorum aërostaticorum.

Quoniam aër continuo cum aqua et corporibus humidis communicet semper vapores in eo reperiuntur, quamvis tactui nostro siccus appareat; copia vero vaporum in aëre contentorum varias ob rationes variat, sic aër aquæ vaporibus saturus pro certa temperatura, vel minorem quantitatem aquæ continere, quod frequentius accidit, vel aër aqua supersaturus esse potest; ultimus hic casus locum habet si ventus e regione calida et humida in regionem frigidam proveniat: pro hac regione multum majorem aquæ copiam continere potest : aut etiam si aër subitam mutationem temperaturæ experiatur aut pressio illico augeatur.

Quantitas aquæ vaporum qui in aëre reperiuntur mensuratur per corpora quæ magnam cum aqua habent affinitatem; corpora hæc hygroscopica nuncupantur : sunt substantiæ organicæ ut fibra animalis et vegetabilis; hæ hygrometra sunt mecanice agentia. Hygrometra physice agentia sunt acidum sulphuricum, potassa caustica, murias calcis anhydricus. Hygrometra priora aquam illam solummodo absorbent quæ in aëre libere existit, posteriora, et eam quæ cum eo hygrometricam conjunctionem iniit.

Barometrum pressionem non densitatem aëris atmospherici indicat, quoniam aër, pressione manente eadem, diversa potest frui densitate, nam calor et frigus sub eadem pressione densitatem diversam ei tribuere possunt: densitas aëris per instrumentum, manometrum dictum et cujus indicationes maximi momenti sunt in explorandis meteorum causis, inquiritur.

Testante barometro pressio aëris multum variat, hæcque variatio in aëris affectiones magnum habet influxum.

Puritas aëris et, quod eodem redit, oxygenis qui in eo continetur ratio, ope eudiometrorum, quæ varie constructa sunt et plus minusve scopum hunc adimplent, perquiritur.

Aër qui ab aqua absorbetur plus continet oxygenis quam realiter in aëre atmospherico libro invenitur, sic aër aqua intromissus, ex duobus solummodo voluminibus azotis et uno oxygenis volumine constat, et ita constituentia oxidi azotis habet. Si aqua oxygene minus dives sit, pisces quidam qui in hac reperiuntur colore orbantur.

Jam diximus respirationem, vegetationem et combustionem fovere; corpora plurima oxidat vel acidificat et in eo meteora ignea, aërea, aquea peraguntur; vita propria gaudere videtur quoniam quæcumque volatilia a terra accipiat refectioni suæ et quasi alimento adaptet et quæ suæ nutritioni aliena sunt disjungat et dejiciat; vitæ fonctiones sub solis et planetarum, lunæ præcipue, influxu exerit, motus varios perficit et constitutionis mutationes experitur.

Per eum sonus propagatur; in tubis flatilibus ipse sonum producit. Ex eo actio sclopeti aërei. Per pressionem adjumenta varia præstat; sine ea nulla actio siphonum: hac pressione antliæ variæ. Quoniam lumen refringat mane et vesperi crepuscula habemus: aër atmosphericus vela navium inflat, etc.

DE ACIDO NITROSO; VAPOR NITROSUS.

Acidum nitrosum gazeosum est; constat ex voluminibus 4 azotis et 8 oxygenis, seu 8 gazi nitrosi et 4 oxygenis, a volumi-

nibus 12 ad 4 condensatis : est enim vapor ille gazeosus uti azotes bis volumen suum oxygenis condensans considerandus : legem condensationis inter combustibilia et quoque inter combustibile et comburens, exsurgente acido, sequitur; et sic partibus ponderatis 15 prioris et 28,5 posterioris, aut 13,5 azotis et 30 oxygenis constat. Coloris atrorubri est, odoris saccharini; corpora animalia flavide tingit. Phosphorus urens vividissime in hujus vapore deflagrat; a parca aquæ copia indisjunctum condensatur; a majori copia, in acidum nitricum, acidum hyponitrosum et azotem resolvitur; ad gradum 160 a baryta caustica, cum subita ignitione, indisjunctum absorbetur, nitrate et subnitrate nascentibus: frigide ab ea sensim introsumitur; potassa caustica liquida illud in eosdem sales et oxidum azotis sensim sine sensu convertit. Ad 0° liquefiens, colores varios juxta diversum frigoris gradum induens, ad 20° ebulliens. Colores cœruleos plantarum rubescit.

Cum acido sulphurico congreditur, compositum crystallinum efficiens, quod calore in gazum nitrosum et acidum sulphurico-nitricum decomponitur. Cum acido nitrico acidum rutilans, nitrosum dictum, efformat. Cum dimidio oxygenis volumine, intercedente aqua, in acidum nitricum hydricum componitur.

Obtinetur nitratem anhydricum plumbi disjunctionis calori committendo; producta, quæ acidum nitrosum et gazum oxygenes sunt, tum excipulo refrigerato colligendo, tum campanula excipiendo et dein ad gradum 16—0 refrigerando; etiam miscelam ex voluminibus 8 gazi nitrosi cum voluminibus 4 oxygenis eodem frigoris gradui submittendo.

DE OXIDO AZOTIS GAZEOSO; GAZUM HILARIANS, OXIDULUM AZOTIS.

Principia constituentia gazi oxidi azotis sunt 13,5 azotis et 7,5 oxygenis partes, seu 4 volumina prioris et 2 posterioris, juxta legem condensationis inter volumina imparia combustibilis et comburentis ad volumina 4 coarctata; 40 pollices cubici hujus gazi pondus habent 21 granorum. Fluidum hoc inodorum est, colore expers, saporis dulcis pergrati; gravitas specifica = 1,5204; combustionem alit et flammam candelæ vividiorem reddit. Aqua 0,7 sui voluminis hujus gazi dissolvit; gazum hoc etiam sub nomine gazi hilariantis cognoscitur, quia, inspiratum, risum et hilaritatem apud quosdam producit; sanguini colorem atro-cœruleum consiliat: sincerum sit oportet; per inspirationem ad 1/5 condensatur. A phosphoro hydrogenato, accedente aëre, inflammatur: volumina 4 hujus gazi cum voluminibus 12 oxidi azotis conjungenda sunt ut hydrogenes aqua fiat et phosphorus acidificetur: volumina 12 azotis mancipio exuuntur.

Si nitras ammoniacæ in retorta calefiat, gazum oxidum azotis obtinetur: ex acido hujus salis rationes 3 oxygenis ad rationes 3 hydrogenis ammoniacæ accedunt et aquam efformant, dum ratio quarta oxygenis ad rationem azotis posterioris transit, et quinta cum acidi azotis ratione manet; unde ex salis ratione 1 oxidi rationes 2 exsurgere palam fit: libra 1 salis pedes cubicos 4 gazi suppeditat. Hoc quoque largitur acidum nitricum dilutissimum in zincum, modico adjuvante calore, reagens; dein, si amalgama plumbi aut bismuthi cum gazo nitroso in contactu ponatur et agitetur; tandem si plantæ lactescentes contusæ, hydrosulfureta, sulfites, etc. cum gazo nitroso concutiuntur; murias stanni oxidulati idem facit.

Si per miscelam voluminum parium hujus gazi et hydrogenis scintilla electrica transmittatur vel miscela tubum porcelaneum rubentem pervadere cogatur, detonatio intercedit et aqua, ac azotes, cujus volumen volumini oxidi par, prodeunt.

Carbo ignitus et ferrum candefactum in eo non minori splendore quam in gazo oxygene deflagrant : in utroque casu azotes liberatur et, in priori, voluminis 1/2 acidi carbonici producitur. Vis comburationis major in hoc oxidulo quam in sequenti, etiamsi oxygene magis onusta sit, ab oxygenis in eo condensatione est deducenda.

Elementa hujus gazi in aquis fontaneis continentur. Cum alkalibus fixis sales crystallisabiles efformat qui ab acido carbonico disjunguntur.

DE GAZO NITROSO; OXIDUM AZOTIS.

Gazum permanens, per se incolor; pondus specificum = 1,0388; animalia quæ hunc inspirant morte corripiuntur. Comburentis et combustibilis vices alternatim gerit.

Ad aëris vel oxygenis contactum fumos rubros, vapor rutilans dictos, edit, qui a formatione vaporis nitrosi proveniunt.

Gazum nitrosum 15 partes oxygenis et 13,5 azotis seu volumina paria binorum constituentium sine contractione voluminum continet; 80 pollices hujus cubici pondus habent granorum 28,5. Analysi aëris ut substantia eudiometrica, oxygenis in eo proportionem indagans, inservit; a pari volumine hydrogenis, ope caloris intense rubentis, in volumen dimidium azotis et aquam resolvitur.

Si cuprum, bismuthum aut alia metalla, in acido nitrico diluto dissolvantur, magna quantitas oxidi azotis largitur; quoque obtinetur acidum nitrosum aqua diluendo; et acidorum debilium ope, e miscela nitratis potassæ et muriatis sodæ ad ignem fusa et candefacta.

Gazum nitrosum a salibus martialibus oxidulatis, aqua solutis, absorbetur et eorum solutiones ex aureo nigrescit.

A pari volumine hydrogenis sulphurati, et sic a ratione duplici, sponte et post aliquot horas, in sulphuretum hydrogenatum ammonicæ, aquam et oxidulum azotis verti dicitur.

Carbo candens sicut et phosphorus urens in eo flamma æque vivida ac in oxygene deflagrant: a priori in volumina paria azotis et acidi carbonici resolvitur.

Cum acido nitrico, a quo absorbetur, acidum rutilans, nitrosum dictum, efficit, et sensim acidum cunctum, in vaporem nitrosum versum, avolat, et aqua præterpropter sincera remanet. Cum alkalibus et terris alkalinis sales efformat crystallisabiles, qui ab acidis disjunguntur, et obtinentur, nitrates, donec nullus ultra prodeat oxygenes, igne urgendo.

DE OXIDO CARBONII.

Fluidum permanens est quod flamma cœrulea ardet; pondus specificum = 0,9569 habet et, nec respirationi, nec combustioni aptum est.

Constat 15 oxygenis et 11,5 carbonii partibus; oxygenes volumen duplum acquirit, et sic voluminibus paribus vaporis carbonii et oxygenis conflatur. Pondus pollicum cubicorum 80

hujus gazi 26,5 granis æquant. Cum chlore compositum efficit quod gazum chlorocarbonicum audit et de quo suo loco agetur. Cum 1/2 voluminis oxygenis mixtum ope scintillæ electricæ inflammatur, et in sibi par volumen acidi carbonici mutatur.

Obtinetur oxidum carbonii si rationes duæ oxiduli ferri vel cupri, aut oxidi zinci vel plumbi, cum ratione una carbonis vel graphitis ad repristinationis ignem urgeantur; quoque, super carbones in fistula ferrea candenfactos, acidum carbonicum propellendo: volumeu hujus acidi duplicatur, quoniam e rationibus 2 acidi rationes 4 oxidi exsurgant. Insuper, subcarbonates alkalinos vel alkalino-terreos cum pari ratione carbonis vel graphitis incandescentiæ calori committendo: acidum carbonicum quod efformatur vel evolvitur conquassatione cum calcis lacte separatur. Sub combustione vegetabilium et præcipue partis lignosæ generatur et ex flamma cœrulea dignoscitur.

DE OXIDO GAZEOSO SELENIS.

Fluidum sistit aëriforme, persistens, incolor, odore raphanino penetrante ita donatum ut vel 1/50 granum selenis urentis hoc odore conclave spatiosum inficiat; aqua vix absorbetur et nec ab oxidis nec ab acidis appetitur. Partes constituentes ponderatæ sunt 37,5 selenis et 7,5 oxygenis, ac mensuratæ, 4 volumina prioris cum voluminibus 2 posterioris ad volumina 4 condensata; grana enim 45 hujus gazi spatium 40 pollicum cubicorum occupant. Cum dimidia mensura oxygenis commixtum et in cylindro fervido strenua compressione actum, in acidum selenicum concretum, fusum, permutatur.

Oxidum selenis exurgit selenosulphur acidi nitrici ope disjungendo et quoque, selenem in gazo oxygene ad fusionis gradum sine flamma ardere cogendo.

DE ACIDO CARBONICO; AER FIXUS, ACIDUM AEREUM, GAZ SYLVESTRE.

Principia constituentia ponderata acidi carbonici sunt oxygenis partes 30 et carbonii 11,5, mensurata, 8 volumina oxygenis et 4 vaporis carbonii ad 8 volumina coarctata; unde expansionem rationum 4 oxygenis e quo conflatur induere elucescit; 80 enim pollices cubici hujus gazi grana 41,5 ponderant; voluminibus 8 oxidi carbonii, volumina 4 oxygenis condensantibus, conflari pariter audiendum.

Acidum carbonicum native et liberum in aëre atmospherico, et ligatum ac terris, aquæ et aliis unitum, reperitur; fluidum aëriforme sistit odore pungenti, sapore debile acido præditum; respirationi infestum est, combustionem impedit, aëre ponderosius est et sic aquæ adinstar vase effundi potest; gravitas specifica = 1,5196; lumen refringit: vis ejus refringens = 1,00476; tincturam heliotropii in rubram vertit, sed color ad aërem evanescit, quia, acido gazifacto, tinctura colorem cœruleum recuperat : absque temperaturæ depressione et nulla vi comprimente, aquæ volumen par absorbet; pressione autem valida et frigore intenso adjuvantibus, septies suum volumen hujus gazi aqua absorbere potest; acidum tum carbonicum liquidum, quod sapore grate acidulo pollet et aëre, vacuo, ebullitione et congelatione acido orbatur, efficit; addito quidpiam sodæ vel potassæ, vigesies et ultra volumen gazi introsumit.

Acidum carbonicum a calore, et quidem intensissimo, non disjungitur; repetitæ autem per hoc scintillæ electricæ explosiones in carbonii oxidum et oxigenem partim resolvunt; accedente hydrogenis volumine pari, et cooperante electricitate vel incandescentiæ calore, integre in constituentia resolvitur,

nascentibus oxido carbonii et aqua; hanc quoque in partes resolutionem experitur a ferro candente et aliis metallis strenuis. Potassium et sodium illud omnino decomponunt. Jam diximus in subcarbonatibus ligatum, a carbonio, cum iis candefacto, in oxidum carbonii converti, oxygene ablato cum carbonio idem oxidum efformante.

Cum aliquot corporibus, et carbonates, et subcarbonates, cum aliis subcarbonates solummodo, efformat: priorum subcarbonates aqua sunt solubiles, posteriorum eodem vehiculo non solvuntur, et sic inter alia distinguendis alkalibus a terris alkalinis inservit. Acidum carbonicum aquarum mineralium artificialium præparationi adhibetur; in potibus spumescentibus, vino, cerevisia, etc. continetur.

Si marmori pulverisato acidum hydrochloricum aut sulphuricum dilutum infundatur, gaz acidum carbonicum obtinetur; acidum hoc sub fermentatione vinosa evolvitur, etiam, per expirationem, animalium pulmonibus ejicitur, et, stante nocte, a plantarum foliis emittitur; continue sub combustione corporum organicorum nascitur, et oxidi carbonii voluminum duorum cum oxygenis volumine uno deflagrantis productum sistit.

Stante die, a plantis absorbetur, et ad foliorum superficiem decomponitur, plantarum nutrimento inserviturum; perficitur hæc disjunctio non directe sed adjuvante aqua, cujus disjunctæ oxygenes gazificatur et hydrogenes cum duabus oxygenis acidi rationibus aquam iterum efformat et cum oxido carbonii residuo ad duplicem rationem sese jungit, unde e quatuor rationibus aquæ disjunctæ, totidem rationes oxygenis a luce gazificantur; aquæ rationes duæ regeneratæ ac ratio una carbonii organisati, carbonii ratione una et aquæ rationibus duabus

constantis, oriuntur; potest etiam poni acidi carbonici oxygenem ad rationes duas gazificari, dum aquæ disjunctæ hydrogenes, ad rationes, pariter duas, cum oxido carbonii oriundo copulari conatur; in utroque casu, rationes quatuor oxygenis liberantur pro ratione unica carbonii organisati quæ efficitur; nil obstat quin idem a quinque vel tribus rationibus aquæ perficiatur et tum efformetur carbonium suborganisatum et hydrogenatum, quale sistunt plantarum colores.

DE ACIDO FLUOBORICO; ACIDUM PHTOROBORICUM, ACIDUM FLUORICOBORICUM, BORII FLUORETUM.

Acidum hoc aëriforme permanens, elasticum, odoris pungentis, acidi siliceofluorici odori similis, suffocantis; tincturam heliotropii rubram reddit. Aëris contactu fumos densissimos spargit; aqua perquam solubile est et partes animales ac vegetabiles deorganisando nigrescit; flammam extinguit, vitrum non afficit; gravitas specifica = 2,371.

Volumen unicum aquæ 700 volumina acidi fluoborici sub caloris strenui evolutione dissolvit; tunc acidum fluoboricum liquidum sistit, quod saporis acidi caustici est, e quo fervefacto 1/5 gazi expelli potest, relicto acido quod olei spissitudinem præ se fert; ad 80° ebullit et indisjunctum destillari se sinit; cum alcohole ætherem fluoboricum efficit; calore non decomponitur. Substantiæ organicæ ab eo uti a gazo carbonisantur. Constituentia ejus ponderata sunt 10,5 partes acidi fluorici sicci et 49,5 partes acidi boracici, vel partes 18 fluoris et partes 42 subacidi boracici, et mensurata, volumina duo acidi fluorici sicci a voluminibus octo acidi boracici condensata; vel volumina quatuor fluoris cum volumine pari subacidi boracici oxygenis rationes

3 includentis, nulla coarctatione intercedente. Hæc interpretatio anteriori est posthabenda quoniam acida numero impari rationum oxygenis conflata, disjuncta non persistant et tamen acidum boracicum per se persistens sit.

Si in phiala 1 pars acidi boracici anhydrici et 2 partes fluatis calcis pulverisati introducantur et phiala igni exponatur, acidum fluoricum avolat; etiam e miscela eadem cum acidi sulphurici concentrati partibus duodecim.

Cum gazo ammoniacali triplici modo congreditur: primo, ad volumina paria ammoniacæ et acidi fluoboracici; hæc unio concreta est et fluatem neutrum ratione pari acidi boracici aquæ loco superstructum efficit; secundo, in hoc duplex ammoniacæ volumen continetur; liquidum est et fluate neutro, borate neutro copulato, constat; tertio, triplex volumen ammoniacæ acidum fluoboracicum sibi adjungit; productum quoque liquidum est et fluatem, subborate, aquæ defectu, provisum, præbet.

DE ACIDO SILICEOFLUORICO; ACIDUM FLUOSILICEUM, ACIDUM PHTOROSILICEUM, PHTORURETUM SILICEI.

Acidum fluosiliceum gazeosum est, odoris acidi hydrochlorici odori similis, sapore acido, forsan ab accedente humore, donatum; aëre fumos albos emittit, colores cœruleos plantarum madefactos in rubros vertit; gravitas specifica = 3,537. Calore non decomponitur; ab aquæ volumine uno 263 volumina hujus gazi absorbentur, sed tum tempore decomponitur, nascentibus superhydrofluate siliceæ, qui aqua solvitur, et subhydrofluate, insolubile persistente.

Constat acidum siliceofluoricum 10,5 acidi fluorici sicci et

15,5 siliceæ partibus; expansionem habet oxygenis et sic acido fluorico sicco siliceam non expandente conflatur; minime concipi potest pro constituentibus habere radicalis combustibilis siliceæ volumina quatuor et totidem fluoris, sive radicalis comburentis acidi hydrofluorici, quippe tum quadruplici expansione donaretur, et 80, non 20, pollices hujus cubici sub pondere granorum 26 prodirent.

Si supra sex fluatis calcis et duabus vitri partibus, in ampulla contentis, acidum sulphuricum infundatur donec miscela consistentiam mellis acquisiverit, et modice fervefiat, gazum fluosiliceum obtinetur.

Cum alkalibus et terris alkalinis siliceofluates efficit. Cum duplici volumine ammoniacæ salem album volatilem format, qui fluas ammoniacæ cum subfluate siliceæ est; cum quadruplici volumine, fluatem neutrum simplicem, silicea, aquæ loco, superstructum efficeret. Addita aqua, in fluatem ammoniacæ superfluati siliceæ connexum, sistit. Silicea acidi fluorici dotes acidas non extinguere videtur. Cum acido borico acidum fluboricum liquidum profert.

DE ACIDO CARBONICOMURIATICO; ACIDUM CHLOROXICARBONICUM, GAZUM CARBONICOMURIATICUM, GAZUM PHOSGENES, CHLORURETUM OXIDI CARBONII.

Acidum carbonicomuriaticum aëriforme est, odore valde ingrato præditum; oculos moleste afficit, tincturam crotonis tinctorii rubro colore inducit; pondus specificum = 3,472. Combustionem extinguit; aqua in acidum hydrochloricum et acidum carbonicum vertitur. Ab alcohole 12 volumina contineri possunt.

Rationibus paribus oxidi carbonii et chloris, nempe partibus ponderatis 26,5 prioris et 64 posterioris, et voluminibus 8 chloris et totidem oxidi carbonii ad dimidium coarctatis constat; habet sic expansionem acidi carbonici e quo et acido muriatico sicco conflatur et cujus volumen dimidium ab acido carbonico condensatur; pollices cubici 80 hujus gazi grana 90,5 ponderant; condensatio inter volumina paria combustibilis et comburentis intercedit quoniam acidum oriatur et chloris oxygenes ad oxidum carbonii deferatur; euchloris rationum duarum et carbonii rationis unius elementa includit.

Si volumina paria chloris et oxidi carbonii in lagena radiis solaribus exponantur, gazum hoc prodit.

Volumina 8 hujus gazi cum voluminibus 8 hydrogenis et 4 voluminibus oxygenis commixta et scintilla electrica ad deflagrationem coacta, in rationem unam acidi carbonici et rationes duas acidi muriatici resolvuntur, volumine ad 1/3 adaucto; et similis ab addita aqua disjunctio intercedit. A metallis strenuis fervefactis decomponitur: metalli murias siccus formatur et carbonii oxidum sui juris fit; zinci oxidum gazum præfatum ita decomponit ut idem murias nascatur et acidum carbonicum, volumine gazi non mutato, liberetur.

Ammoniacæ volumini quadruplici unitum salem volatilem, deliquescentem, perquam in aqua solubilem, et qui rationibus duabus muriatis sicci cum ratione una subcarbonatis constat, efficit.

DE CYANOGENE; RADICALE BORUSSICUM, CYANUM, AZOTES CARBONATUS.

Fluidum elasticum est, permanens, odore sibi proprio, penetranti, præditum; gravitas specifica=1,8064.

Calore solo cyanogenes non decomponitur, sed scintilla electrica diu actus in azotem et carbonium repristinatum resolvitur, immutato volumine; intermedio autem candelæ accensæ, flamma cœruleo-purpurea ardet, et consumitur. Cum duplici volumine oxygenis mixtus, a scintilla electrica sub strepitosissima detonatione inflammatur et expansionem triplicem assumit, acido carbonico nato et azote sui juris facto. Ab oxido cupri candefacto in eadem constituentia resolvitur.

Aqua 4,5 voluminis sui hujus gazi absorbet; alcohole magis solubile est, et ad volumina 23 ab hujus volumine unico absorbetur; dissolvitur, et in æthere sulphurico, et in oleo terebinthinæ. Parva quantitate solutionis aquosæ saturæ aëri exposita, pars gazi avolat et pars residua per absorptionem calorici, quem portio evanescens sibi adjungit, concrescit : ad gradum 12—0 congelatur.

Proportiones constituentium cyanogenis ponderatæ sunt 11,5 carbonii et 13,5 azotis, mensuratæ autem, volumina paria vaporis carbonii et azotis ad dimidium coarctata.

Cyanogenes obtinetur a decompositione sicca et ignis ope hydrocyanatis hydrargyri : oxygenes metalli cum hydrogene acidi hydrocyanici conjungitur, aquam efficiens, et hydrargyrus sicut et cyanogenes liberantur, componit.

Cyanogenes cum chlore acidum de quo jam mentio facta est et quod constituentia remota habet azotis, vaporis carbonii et chloris singulorum volumina paria, componit.

Hydrogeni via indirecta adjunctum acidum efficit quod hydrocyanicum, hydrogenes borussatus et acidum borussicum nuncupatur; liquidum est, colore carens, odoris fortis, florum

persicorum odoris æmuli; acidum hoc in pruno pado, lauro-ceraso, amydalis amaris, floribus persicorum etc. reperitur; gravitas specifica = 0,6969; ad 21° + 0 therm. Reaum. ebullit, ad 12° = 0 congelatur; a columna galvanica decomponitur.

Constat acidum hydrocyanicum 13,5 azotis, 11,5 carbonii et 1 hydrogenis, seu voluminibus paribus cyanogenis et hydrogenis sine coarctatione adunatis et etiam, voluminibus paribus azotis, vaporis carbonii et hydrogenis ad 1/3 condensatis.

Cum potassio cyanogenes cyanuretum repristinatum efformat, quod ab aqua in hydrocyanatem et ab acidis in acidum hydrocyanicum et salem acidi convertitur.

Cyanogenes acidum carbonicum subcarbonatibus *expellit*. Alkalibus siccis adjunctus et cyanuretum oxidatum efficiens, aquæ accessu in acidum hydrocyanicum, acidum carbonicum et ammoniacam disjungitur, et, addito acido, in volumina paria et sic rationes pares horum productorum decomponitur. Ab alkalibus sulphure saturis via, tum humida, tum sicca, absorbetur, sulphocyanureta simplicia et hydrogenata efficiens.

Cum oxidis solubilibus hydrocyanates *solubiles* efficit; cum plerisque aliis oxidis hydrocyanureta *insolubilia*, *quæ ab* acidis non disjunguntur.

Cum 1,5 volumine hydrogenis sulphurati materiem flavam, crystallisabilem efficit, quæ, nec sales plumbeos, nec sales ferreos dejicit, aqua solubilis est et hydrosulphureto cyanii superhydrosulphureto ejusdem copulato constat.

Cyanogenes cum acido muriatico efformat acidum duplex, quod alkalibus conjungi potest, et ab his acidi ope in acidum chloro-carbonicum, acidum hydrocyanicum et ammoniacam

resolvitur; acidum hoc duplex voluminibus duobus acidi hydrochlorici et unico volumine cyanogenis constat; seu, quod idem est, voluminibus paribus chloris et acidi hydrocyanici.

Sulphur, cyanogenes et hydrogenes unita, acidum sulphuro-cyanicum, alias acidum chyazicum sulphurosum, constituunt. 15 sulphuris, 25 cyanogenis et 1/2 hydrogenis portiones continere, et sic rationibus paribus azotis, carbonii et sulphuris cum 1/2 ratione hydrogenis constare a quibusdam putatur, dum alii contendunt illud constituentia habere cyanii hydrogenati rationem unam cum rationibus quatuor hydrogenis sulphurati.

Acidum sulpho-cyanicum liquidum est, transparens, sine colore; pondus specificum = 1,022; ad 80° ebullit, infra 8° concrescit et crystallisatur. Salibus ferreis oxidulo-oxidatis colorem atro-rubrum conciliat. Cum alkalibus sales crystallisabiles efficit; composita illa sulpho-cyanates aut chyazates sulphurosæ dicuntur.

Obtinetur salem triplicem borussicum pari pondere sulphuris leni igne ad liquationem urgendo, productum potassa saturando et sic a ferro liberando; dein hujus alkali hydro-sulpho-cyanatem acido phosphorico disjungendo, et acidum expulsum per destillationem colligendo; et quoque, eumdem salem duplici ratione acidi tartarici potassa orbando : sulphur in hoc acido ferri vices gerit.

DE ACIDO SULPHUROSO; ACIDUM VITRIOLICUM PHLOGISTICATUM.

Acidum hoc gaziforme est, odoris suffocantis, sulphuris urentis, saporis ejusdem, modice acidi; gravitas specifica = 2,247;

colores vegetabiles cœruleos mox rubescit, dein destruit; corporibus dealbandis, præcipue animalibus, adhibetur. Acidum hoc aquæ et nivis appetens est; ab aqua 45 volumina hujus absorbentur, quæ tum 4/100 partes ponderatas acidi sulphurosi continet; ebullitione, et perfectius congelatione, aqua expellitur ; ab aëris accessu acidum sulphurosum liquidum in acidum sulphuricum convertitur ; ab alcohole ad 115 volumina recipitur; a subborate sodæ condensatur; in contactu aquæ a volumine pari hydrogenis sulphurati disjungitur, nascente aqua et ex utroque gazo sulphure exeunte.

Acidum sulphurosum ad temperaturam 26 graduum—o liquidum fit. Constat hoc ex partibus ponderatis æqualibus, nempe 15 et 15, oxygenis et sulphuris, et mensuratis, utriusque voluminibus 4 ad dimidium condensatis, juxta legem condensationis intra volumina paria combustibilis et comburentis cum et sine ortu acidi.

Cum oxidis metallicis, præcipue alkalinis et terreoalkalinis, sales, sulphites dictos, efficit; et ex his ab omnibus acidis, carbonico et borussico exceptis, extraditur; cum dimidio gazi ammoniacalis volumine, accedente ratione pari aquæ, in sulphitem ammoniacæ convertitur; cum volumine pari et absque aqua, in supersulphitem, in quo altera ratio acidi aquæ locum tenet; 4 hujus acidi volumina cum 3 voluminibus vaporis nitrosi commixta, ab accedente ratione pari aquæ condensantur in massam crystallinam albam, modico calore liquescentem, et altera ratione aquæ, in acidi sulphurici hydrici rationes duas et gazi nitrosi rationem unam se resolventem, convertuntur.

Obtinetur gazum acidum sulphurosum e combustione sulphuris in oxygene aut aëre atmospherico, etiam miscelam acidi

sulphurici et hydrargyri aut cupri ebullire cogendo; supra hydrargyrum est excipiendum.

DIFFERENTIÆ INTER VAPORES ET GAZA.

Varia inveniuntur discrimina gaza inter et vapores.

Primo. Gaza quoad compositionem intimam a vaporibus in eo differe concipi possunt, quod mutua calorici et basis eorum solutio habeatur ; in vaporibus vero caloricum basi adhæret sub forma calorici latentis et sic, temperatura decrescente, in caloricum liberatum et in liquidum vel solidum statum iterum resolvuntur.

Secundo. Gaza, nec temperatura atmospheræ, nec pressione ordinariis statum amittunt, sed solummodo per solutiones aut per uniones chemicas : vapores vero sola diminutione temperaturæ aut pressione ordinaria vel unione chemica in liquidas aut solidas vertuntur formas et sic secundum arbitrium liquiditatem aut soliditatem tribuere possumus : ex hoc sequitur uti in spatio dato haberi nequeat nisi determinata vaporum quantitas temperaturæ proportionalis, si hoc maximum contineat vaporum sub certa temperatura et spatium diminuatur vapores vim suam elasticam aut densitatem non augent, sed ea ratione qua spatium minus redditur liquida aut solida evadunt; idem locum habet si temperatura decrescat. Eamdem legem sequuntur si in aëre aut gazis quibusdam contineatur, v. g., copia vaporum aquæ quæ in aëre reperiri potest ad 18,75 therm. centigr. et aëris pressio columnam 14 millimetr. mercurii sustinet, columna parum augente aut temperatura paululum diminuente, pars vaporum liquida fieret. Si gaza in minus redigantur, densitas sicut et vis elastica sub eadem temperatura proportiona-

liter augentur, et per demissiorem temperaturam in proportione vis eorum elastica decrescit: attamen hac regula excipi debent ammoniaca, acidum sulphurosum, acidum hyponitrosum, acidum nitrosum, ac verosimiliter omnia gaza quæ magna cum aqua gaudent affinitate, quoniam hæc ad temperaturam valde demissam aut pressione magna liquida fiant.

Plurima corpora ad infimum caloris gradum gazeosa sunt. Sic acidum hydrocyanicum ad 21^{m} gradum R. in aëre vaporisatur, cyanogenes ad eamdem temperaturam ebullit, æther muriaticus ad gradum 16^{m} vaporisatur et sic porro, unde patet denominationes quibus gaza a vaporibus distinguntur esse perquam relativæ.

Quidam contendunt vaporis nomen competere vapori jam subcondensato et in aëre adhuc hærente, et nomen gazi, cuicumque vapori elastico per se invisibilis vel caloris ope invisibilis reddito; sed tum gazis coloratis vaporis nomen esset tribuendum. Videntur præprima condensari posse liquida quæ sub statu vaporoso calorem latentem et sic decremento temperaturæ obedientem comprehendunt, et gazi nomen fluidis elasticis persistentibus quæ eo carent esse deferendum.

Tertio. Gaza sub omni temperatura, nulla habita caloris ratione, statum hunc accipere possunt, si a corporibus quibus unita sunt separentur, nec obtinentur sine decompositione quadam aut ex solutione gazorum quacumque. Vaporis vero quantitas quæ formatur multum a calore dependet; sola pressionis ablatione quædam corpora in vapores transmutari queunt, sic vacuo liquidum quoddam expositum, successive per plana maxime tenuia superficiem liquidi constituentia in vapores convertitur, sed liquida quæ citius ebulliunt, ocius vapori-

formia evadunt et etiam vapores eorum magis densi atque elastici sunt, excepto carbureto sulphuris. Sic vapores mercurii ratione ætheris, alcoholis, aquæ, elasticitatem non magnam possident, quoniam ad 349° therm. cent. solummodo mercurius ebulliat; sic vapores mercurii qui in parte superiori barometri formantur vim elasticam notabilem exercere nequeunt.

Ex his sequitur quod celeritas evaporationis liquidi in aëre libero et tranquillo proportionalis sit vi elasticæ vaporum formatorum.

Quarto. Vapores majorem vim elasticam augmento caloris acquirunt, sed diversum est augmentum prout vapores cum eodem liquido non communicent; tunc elasticitas eorum augetur sicut gazorum elastica vis, et est a 0° ad 80° therm. Reaum. 8 : 11, uti jam vidimus. Si vero in contactu cum liquido sint, ita ut, temperatura augente, nova copia fluidi in vapores transmutari possit, tunc dilatatio est a 0° ad 80° therm. Reaum. = 1 : 150.

Vapor aquæ spontaneus vel in vacuo exsurgens expansionem habet hydrogenis ex quo conflatur, et sic pollices hujus cubici 40 pondus habent 8,5 granorum; legem enim sequitur condensationis minorum voluminum per majora quæ intercedit inter combustibile et comburens; unde 40 pollices hydrogenis 20 pollices oxygenis condensant.

Temperatura manente eadem, vapores, prout compressione coarctantur, liquefiunt; exprimitur enim caloricum interpositum, quod a calorico latente sedulo est distinguendum et ad expansionem vaporis non autem ad hujus formationem confert; quare vapor aqueus, qualecumque sit temperaturæ incremen-

tum quod experitur, sub condensatione, eamdem caloris quantitatem demittit, et hujus pondus datum ad omnem temperaturam supra 80° R. ad hanc temperaturam sexties cum dimidio idem pondus aquæ conducit. Aqua in vacuo posita multo tardius quam in aëre libero vel in vase quod ea impletur concrescit, et multo ocius ad aliquot gradus infra quam supra zero vaporisatur, quoniam citius iterum condensetur..

FINIS.

XIV.

PETRI JOSEPHI HENSMANS

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM BOTANICO-CHEMICAM.

PETRI JOSEPHI HENSMANS

LOVANIENSIS,

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET
PHYSICARUM STUDIOSI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM
MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM:

Petitur *Historia Naturalis, Technica et Chemica Opii ejusque succedaneorum.*

QUAE PRAEMIO ORNATA EST VIII. IDUS OCTOBR.
MDCCCXXI.

Sed quæ (papaveris) species est alba, crepanti concolor argento, gasa resplendet agresti.

Rapini Hortorum Lib. I.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM BOTANICO-CHEMICAM.

HISTORIA NATURALIS, TECHNICA ET CHEMICA OPII.

OPIUM, Arabis *Amfion* nuncupatum, Græcis ὄπιον ab ὀπὸς quod idem sonat ac Succus, et his quoque *Meconium* a μήκων idem ac Papaver, nomen altero aptius (quamquam fere obsoletum), succus est papaveris somniferi, plantæ polyandriæ monogyniæ Linn.

Papaver hortense semine albo, sativum. Diosc; album Plinii; Tournefort 237 et C. B. Pin. 170.

Papaver album. J. B. 3, 290 et Dodon. 736.

Italis audit Papavero, Gallis, Pavot; Anglis, Poppy; Bohemis, Mak; Polonis, Mako, Maczek; Hungaris, Mak; Germanis, Magsamen, Magen, Mohn; Belgis, Maan, Witten Heul, Mankop. Hispani eamdem plantam dixerunt Dormidera et Cascak; Arabi, secundum Avicennam, Cascas et Casbas, et alii Thoxthax; Sveci, Wallmo; Dani, Valmuc.

Plantæ hujus characteres sunt sequentes :

Radix alba, ramosa, descendens.

Caulis erectus, teres, minutim angulatus, glaber, rore glauco obductus, ramosus, subbipedalis, Sveciæ e Bergio; 3 ad 5 pedum Germaniæ, e Dietrich; 40 pedum, Persiæ e Chardin, quod falsum compilatores plurimi fideliter narrarunt; adeo nullus perspexit quanto suggestu opus esset ut e capsula, quæ papaveri est terminalis, tantæ plantæ colligi posset opium.

Rami alterni, erecti, teretes, vix angulati.

Folia alterna, sessilia, amplexicaulia, spithamæa, ovato-oblonga, obtusa, glabra, supra virescentia, subtus glabra.

Pedunculi terminales, subsolitarii, erecti, hispidi, nudi, uniflori.

Calyx : perianthium diphyllum, phyllis oppositis, ovatis, hispidis, concavis, glabris, caducis.

Corolla tetrapetala, sæpius plena, petalis obovatis, apice rotundatis, subsessilibus, patentibus; sæpe incarnatis, spontaneæ plantæ cinereo aut argenteo griseis, basi macula violacea.

Stamina : filamenta plurima, longitudine fere pistilli, thalamo incerta (Hypogyna).

Pistillum: germen unicum, magnum, globosum, vividescens, glabrum; stylus nullus, stigma maximum, latitudine germinis, peltatum, planum, cartilagineum, margine insciso, supra radiis decem, elevatis, villosis, laciniis stigmatis respondentibus.

Capsula (caput officinis dicta), globosa, glabra, rore glauco, coronata stigmate persistente, subdecemlocularis, apice hians, sub stigmate in Svecia magnitudine fere pruni fructus, in Germania et Patria nostra major, in Persia interdum ad 35 uncias aquæ capiens; pugni magnitudine ex oriente allatas capsulas vidit Linnæus. (Amæn. acad. VIII, 292).

Semina millena, alba aut cæruleo-grisea (hæc trita nigra), subrotundo-reniformia, utrinque convexa, rugosa, perispermio carnoso, embryone recto, lobis cylindricis; odoris nullius, saporis dulcescentis, mucilaginei.

Odor narcoticus, opio congruens; gradu increscit in foliis, ramis, pedunculis, capsulis.

Lac fundunt album pedunculorum apices et capsulæ juniores, cremori lactis simillimum, caulis et folia dilutius.

Planta annua; in Europa floret junio, julio; in India Orientali, februario.

Hæc planta nobis indigena quippe cum in nostra patria, ut jam magnus Dodonæus notaverat, in locis incultis sponte crescat, et idem observatur in Gallia. Obvie colitur in quam, plurimis regionibus, sed hujus culturæ scopus varius est. In Persia et in Asia minori, ut inde eliciatur opium, in nostra patria, ut et in reliqua Europa, ut colligantur semina e quibus exprimitur oleum, quod lingua gallica *huile d'œillet*. audit, et idem sonat ac parvum oleum vel oleum minoris pretii (*huilet*).

vel ut in usum medicum veniant capita ante perfectam maturitatem resecta.

Oleum e semine papaveris collectum colore subflavo ac aspectu pulchro est et sapore satis grato. Hoc oleum dum recens est saporem nucis avellanæ æmulatur, et cibis tum coctis tum crudis condiendis, accommodatissimum, et si, ab olivi flore desciveris, procul dubio optimum est eorum quæ in usum domesticum veniunt et longe gratissimum in gratiam culinæ et dapum. Quem autem saporem dulcem ut acquirat et ne cito rancidulum fiat, necesse est frigide eliciatur, ut recte quidem animadvertit Vandensande (Mémoire qui a remporté l'accessit du prix proposé par l'Académie impériale et royale des sciences et belles-lettres de Bruxelles, année 1788). Idem autem asserit se 16 uncias olei e libris 2 seminum frigide obtinuisse.

Galenus nos certiores facit eo quo vivebat tempore jam in usu esse et oleum et semina papaveris. In plurimis placentis conficiendis ea adhibebant Romani, cupedia ex melle, farina et semine papaveris struebant. In Italia et præsertim Genuæ ex iisdem seminibus, durato saccharo, parva circumlita, quæ plurimum edunt mulieres, apparantur. In omnibus his regionibus in quibus papaver obvie colitur, cum olei magmate vaccæ et porci aluntur.

Hæc planta nunc temporis Insulis colitur, præsertim scopo ut cum ejus oleo adulterentur oliva quæ ad nos advehuntur. Usus hujus olei alimenti forma in Gallia fuit prohibitus anno 1754, quoniam in animum regni præfectorum induxerant gnari hoc oleum virtute narcotica præditum esse uti planta unde eliciebatur. Illud autem huic præjudicatæ opinioni ansam dare potuit quod persæpe hoc oleo solo sive olivo admixto lactuca

conditur, tum autem unice a lactuca effectus narcoticus pendebat. Anno 1773, Rozier hujus causæ notitiam regni Rectoribus aperuit et interdictum fuit exemptum.

Cæteroquin nonne hoc oleum quotidiani usus est in nostra patria et præsertim in Germania? an non homines qui eo vescuntur sunt optima corporis habitudine et an minus diu vivunt?

Præcipuus autem hujus olei usus, et quo maximi semper momenti habebitur, is est quod vehiculum præbeat pigmentis exquisitis, quæ immutata servat.

Hæc planta adeo bene crescit in patria nostra ut Debeunie in Commentario suo, palma donato, pag. 52, dixerit nos inexcusabiles esse ex eo extractum non elicere, quod, dupla dosi, optimum opium sive Amphion Natoliæ supplet. Hoc magis nostri corporis habitudini conveniens est et multo minus constaret, et præsertim harum periculosarum adulterationum expers esset, quibus nos committit pharmaci orientalis ingravescens pretium. Plurimi auctores celeberrimi magna ope atque opera civibus suis suaserunt ut e papaveribus indigenis opium colligerent. Præter eos quos in commentario suo retulit Debeunie plurimi quoque adsunt auctores qui eodem patriæ studio intensi fuere, præcipue Quercetan et Schrœder (1), qui tradunt, nomine Opii Germanici, præparationem quam liquoris vinosi ope instituunt. Interpres Medicinæ domesticæ Buchan, duce Lieutaud, hujus usum commendat et compositionem sistit (2).

---

(1) J. Schrœderi Pharm. medico-chemic. Pars 4., pag. 116.

(2) Buchan, Méd. domestique. Tom. 5., pag. 381.

Nulla substantia æque celebratur ac opium in Historia medicinæ; tum usus prisca vetustate, tum præcellentibus virtutibus, tum demum innumeris scriptis quæ de hac materia egerunt. Libri et vetustissimi et recentissimi opium ejusque usus usque repetunt. Fabulæ revelant Cererem primam opii virtutes Græcis explicuisse. Homerus in Iliade, Lib. VIII, opium laudat, et doctissimi viri quam plurimi contendunt Nepenthem Homeri, quo mortalium curas solvi summus hic poëta affirmat (Odyss. lib. IV) opium adesse. Plinius in scriptis suis opium memorat dum dicit plantam, unde extricatur, in Italia, ævo suo, excultam esse; et sententia Bontii nullum movetur dubium quin virtutes adeo magnifice prædicatæ Mithridatii, Theriacæ ac Philonii ab opio dependeant.

Inter innumeros scriptores qui de hac materia disseruere, eminent Plinius, Galenus, Cartheuser, Sylvius Deloboë, cognomine Doctor opiatus, Schrœder, Sydenham, etc. Dein Baumé plurimam operam in hac re posuit; et recentioribus hisce temporibus notantur Derosne, Seguin, Robiquet, Vauquelin, Serturner, etc.

Plurimis vero modis opium e papavere obtinetur; exinde tot diversæ opii species et diversa nomina quibus in commercio insignitur.

In Persia, ineunte æstate, opium colligitur; quapropter capsulæ ante perfectam maturitatem et caules ad viciniam apicis inciduntur; etenim quo inferius ducuntur incisiones eo minus succus abundant. Quæ autem incisiones peraguntur ope cultelli quinquecuspidati, ut uno ictu quinque aperturæ longæ et parallelæ scribantur. Crastina die succus albus stillavit, qui spissescit, concrescit et lacrymas coloris primum pallide flavi deinde subfusci efformat, quæ studiose colliguntur, et hoc verum est opium stillatitium. Prima lacryma *Gobaar* dicitur,

et in genere opium, sic dictum stillatitium, in perside *Affion* nomine venit. Hoc orientis divites in usum suum sibi vindicant, quippe cum minus ingratum sit et mitiores effectus exerat. In Europa incognitum est, quare Lemery (Dictionnaire universel des Drogues simples) autumat opium stillatitium verum, quod e papavere incisione manat, non existere. Verum autem dubia moveri hac de re licere non existimo, quum Olivier referat se in Asia minori iter facientem hoc modo vidisse colligi. Cæterum scimus papaver somniferum, æstate urente, in Europa, incisionis ope, opii lacrymas stillare.

Dein ab altera parte capitis similes instituuntur incisiones ut eodem modo succus effluat. Adsunt quidem qui has incisiones tertia vice repetunt; tum autem succus vilior, jam fere nigricans, obtinetur.

Processus usitatissimus conficiendi opium in eo consistit ut papavera viridia et succo plena colligantur, contundantur, et expressione succus eliciatur, elicitusque igne vel sole ad consistentiam extracti coarctetur. Hoc modo paratur opium quod nobis in usu est et quod vocatur Meconium.

Tertia autem opii species, quæ minoris fit et vocatur *Poust*, decoctione papaverum recentium aut siccorum in aqua et ad consistentiam extracti adducta derivatur.

Quamquam papaveris somniferi partes omnes opium concedant, tamen certo capsulæ majori quantitate illud porrigunt. In quibusdam regionibus tantummodo ex hac parte vegetabilis extrahi videtur, dum e contra in aliis e succo, qui e parte sublimi caulis, capsulis excisis, stillat, conficitur.

Sententia Scheele in India contunduntur caules ut inde suc-

cus exprimatur, deinde fæces aqua coquuntur; succus huic decoctioni additur et evaporatur ad extracti consistentiam.

Uti refert Olivier, præcipue in Asia minori, ad urbem Turcis, *Asiom-Cara-Hissar*, dictam, gallice *Château noir de l'Opium*, opium maxima copia percipitur; ex hujus celebrati viatoris sententia, seritur papaver autumno, vere rursus terræ inseritur, et ineunte Julio læta opii messis provenit, quæ incisionum ope quoque percipitur et tota æstate durat.

Opium e Natolia, ÆEgypto et India ad nos advehitur; ægyptium quondam celebratissimum erat; ad Thebas colligebatur, unde *Opii Thebaici* nomen, quod adhuc perstat, sed quo nonnisi opium selectissimum significamus. Hodie parvam hujus quantitatem hæc regio suppeditat.

Opium quod nobis in usu est advehitur frustis rotundatis vel complanatis pondere libræ unius vel sesqui. Extus subrubrum est et vegetabilium ruderibus circumductum, ut foliis papaveris, sed præsertim rumicis cujusdam speciei. Opium maxime æstimatum et sane optimum submolle est et digitis cedens, fœtidum et narcoticum spargens odorem, virosum dictum. Sed in genere frusta opii venalis intus colorem nigrum splendentem exhibent et substantiam densam in qua quidam pori et corpora extranea observantur; sapor amarus est, scribit in charta lineas flavas, cinnamomeas, dilute fuscas et interruptas. Flammæ admotum facile accenditur, flamma ardens vivida, odore non narcotico, extinctumque odorem usti servat; sæpius fragile et maxime ponderosum.

Opium sæpissime diversis substantiis ut et extractis aliarum plantarum adulteratur, e. g., lactucæ sativæ, capsularum et

foliorum Papaveris Rhœados etc.. Dioscorides suo tempore Glaucii succum adjunctum narrat. Tandem cum terra, arena, parvis silicibus etc. commiscetur.

Quibusdam abhinc annis plurimum in præparando opio indigeno versatum est. Inter illos qui in Europa ope incisionis capsularum submaturarum et spontanea in aëre densatione opium pararunt, primus venit Dillenius, dein Haller (Hist. stirpium Helvetiæ N.° 1065. Arzneimittellehre. p. 270), Bertram Simon (Trommsdorff, Journ. XVI., 1., p. 71.), et Schiller Pharmacopeus. Tunc maximi momenti laborem perfecit Bernensis medicus Kerh, qui decem annis continuis e papavere somnifero opium elicuit, quodque optimæ notæ dixit. Walberg demonstravit in Jugero 1600 orgiarum quadratarum plus quam 16 libras opii produci posse. Nec minus huic rei operam impenderunt, in Gallia, Charras, Loiseleur des Longschamps, in Anglia, John Ball, in Scotia, exactus observator Alston, in America septentrionali, Rickets (Salzburg. m. ch. Zeit., 1799. I, p. 379). Ex illis quidam occidentale opium orientali par, alii vero duplo et quidem quadruplo ignavius æstimaverunt.

Pleræque substantiæ vegetabiles tantam in constituentibus diversitatem exhibent, harum principiorum proximorum characteres tam parum patent, hæc principia sic mutuæ combinationi ac permixtioni inclinant, vel tam infimis affinitatibus adhærent, ut summe arduum sit hæc ipsa sejungere et modo valde accurato ad proxima elementa revocare. Sic persæpe, novo materiæ vegetabilis periculo instituto, principia elucescunt quæ chemicos antea hisce in rebus perquirendis occupatos latuerant, unde deduci posse videtur hæc principia potius producta esse habenda.

Ex omnibus substantiis e regno vegetabili ortis sane opium in analysi variare summe proclive est, tum innumeris adulterationibus suis, tum methodo parum studiosa qua apparatur hoc pharmacum. Cæterum, hæc substantia, tam composita, ut observavi, multum variare debet pro anni tempestate, anni epocha et colligendi modo.

Anno 1786, chemia vegetabilis nonnisi in diversis plantarum productis proximis extrahendis iisque purificandis versabatur, in dissolventibus eorum relativis determinandis, in mediis eorum exacte sejungendorum perscrutandis, in præcipuis characteribus qui unumquodque distinguunt, cognoscendis, potius eo animo ut usibus nostris inserviant, quam consilio vel etiam spe eorum exacte naturam intimam indigitandi. Præterea chemicis qui ante hoc tempus de opio pericula instituerunt tantummodo producta pharmaceutica elicere in animo fuit. Quod nullam accuratam de hujus substantiæ constituentibus notionem suppeditare poterat.

Sic veteres hi chemici, cum opium extractum gummi-resinosum sistere agnovissent, quoniam opium venale partim aqua esset insolubile, hanc ipsam *partem virosam habuerunt* et opio nocuas qualitates inducentem, eo præcipuo scopo de hac substantia pericula faciebant ut ipsi odor virosus, vel auferretur, vel saltem effectus noxii minuerentur. Quidam cum opio diversa aromata commiscuere, alii opium torrefecere, tandem Langelot ejus cum succo Cydoniorum fermentationem in medium attulit.

Tamen Neumann, Wedelius, Hoffmann et Tralles salem ex opio bene cristallisatum elicuerunt, et hic quidem contendit hunc salem qualitatibus acidis præditum esse quod cum carbonatibus alcalinis efferveret; quæ effervescentia hac de causa

contingit quia carbonates alcalini morphii meconatem decomponendo hoc præceps ferunt quin acidum carbonicum, quod tum sui juris fit, resumere queat. Iidem auctores memorant speciem adipis aut sebi in opio repertam, quamque adulterationis gratia in hoc adesse sunt suspicati. Anno 1745, hanc materiam attigit Zencker; Rumpel, 1773; et, 1776, Josse. Postea Bucquet, Harrisson; et Baumé, 1784. Hic titulo præparationis extracti sui opii per longam digestionem, sermone protracto, diversa principia opii tractavit. In opio adesse agnovit substantiam gummosam, resinam copiosam, salem essentialem terreum, nunc cristallis aculeatis, tunc splendentibus ut sal sedativus Hombergii, dejectum, oleum et fæculam. Mirum sane videri debet Baumé analysim tam perfectam opii consecutum esse processu suo qui omnia ejus principia permiscere et eorum naturam immutare deberet. Sed quid sagacitatem Pharmacopæi perspicacis et unice artis suæ gloriæ anxii eludere valet!

Tandem Proust, quibusdam in opio periculis institutis, acidum Tralles et oleum Baumé elicuit.

Constat in opio dari principium volatile narcoticum, sed ejus existentia in aliorum principiorum sejunctione nunc temporis adhuc dubia est. Plurimi auctores sese ex opio obtinuisse dicunt, destillationis ope, aquam odore et sapore opii præditam et quæ præterea oleum capiebat, quod Leigh se per tartratem solubilem sejunxisse asserit. Affusis in uncia una opii decem unciis aquæ, mediam ejus partem destillationis via extricavi; hæc aqua destillata, e qua ne minimam quidem olei portiunculam separare potui, incolor, saporis expers, et odore, papaveris capitum recentium contusorum æmulanti, prædita erat.

Extractivi opio inesse fere 36 centesimæ, contendit Buc-

holz; hæc materia coloris e fusco flavi est et ex opio eliminatur extractione aquosa. Infusis in quatuor unciis opii, per segmina minutissima secti, decem unciis aquæ et ad digestionem immotam per tres dies adductis, liquidum decapulavi et in consistentiam extracti evaporavi, quin minima resinæ porticuncula separaretur ; et sic obtinui unciam et dragmas duas extracti, saporis amarissimi sed omnino odoris opii expertis. Defusa in residuum eadem aquæ quantitate, post tres digestionis dies, adhuc percepi drachmas duas cum semisse extracti penitus primo similis. Residuum deinde aquæ ebullienti subjeci, dum hæc non amplius colorem duceret; hæ colaturæ conjunctæ, ac per chartam emporeticam trajectæ, drachmas duas et semis extracti amarissimi, ut superius, sed odorem opii venalis spargentis, largitæ sunt, e quibus resina eliminari nequiit quæ usque præceps ivit.

Adhuc in opio aliud modificatum extractivum, nempe oxydatum, inesse observatum est, alcohole non solubile, quod Serturner arctissimum extractivi cum acido meconico esse connubium agnovit. Nil certi patet de natura oxygenata hujus substantiæ, quæ nos penitus fugit. Quam plurimis habetur hæc substantia extractivum cui oxygenes fuit adjunctus. An non potius dicendum est extractivum adesse, dummodo extractivum sit, cui oxygenes hydrogenem abstulit, oxygene sese in omnibus casibus potius conjungente cum hydrogene quam cum carbonio, et hinc hanc substantiam, quæ satis foret subhydrogenata ut aqua insolubilis evadat, adhuc multo minus alcohole solubilem fore, cum compertum sit corpora quæ alcohol exclusive dissolvit ea esse quæ nimium hydrogenis capiunt ut adhuc aqua sint solubilia? Si in residuum opii, quod minime coloratur cum aqua et calide et frigide, infundatur alcohol, hic co-

lorem fuscum saturum ducit, inferri igitur possit principium hujus coloris extractum sistere aqua insolubile, alcohole autem, solubile, quod tamen ens rationis foret.

Ut certior fierem utrum in extracto frigide peracto et absque ullo motu, dissoluta inveniretur quædam pars gummi, cujus ope resina suspensa hæreret, affudi in quantitatem satis insignem extracti, octuplam partem alcoholis 38°, sed nullomodo gummi præceps ivit; quod probat extractum, mea methodo confectum, simul gummi et resina et præterea effluvio narcotico, quod opii extractum calide paratum igne non exuit quo in extractum adducitur, orbum esse. Et hic effectus alcoholem notat reagentem in extractum gummi et resina expers.

Bucholz sese obtinuisse profatur ex extracto, pariter frigide parato, sed quod agitando confici debuit, dissolutione gummi et resinæ sic adjuta, gummi triginta centesimas: hoc eductorum discrimen maximum pretium adducit methodo quam prosecutus sum in conficiendo opii extracto sincero.

In extracto opii inquisitionem salis morphii aggressus sum; quapropter in animo fuit solutionem alcoholicam extracti, cujus quantitatem gummi perquisieram, præcipitare, instillando in hac solutione ammoniacam causticam, sed nihil dejectum fuit. Hoc phœnomenon mihi sane stupendum visum est, etenim inde deducendum mihi erat in extracto meo frigide parato meconatem morphii non adesse, aut morphium præcipitatum alcohole frigide, statu, ut aiunt, nascente, resumi. Sed affusa deinde solutioni aquosæ extracti mei frigide confecti ammoniaca substantiam copiosam præcipitem egit, tamen addito alcohole præcipitatum omnino fuit redissolutum. Solutio

aquosa extracti decoctionis ope valde copiosum suppeditavit præcipitatum, addita ammoniaca, quod alcohole fuit redissolutum.

Solutio aquosa ejusdem extracti, cui, ante additionem ammoniacæ additur alcohol, nihil præceps agit, sed nova alcoholis adjuncta quantitate, hæc solutio, sejuncto gummi, obturbatur; quod, ut vidimus, solutione alcoholica extracti mei frigide parati non obtinuit.

Addita ammoniaca solutioni aquosæ extracti opii, quod expressione papaverum confeci, præcipitatum, instillato in solutione aquosa alcohole ante ammoniacæ accessionem, hic alcohol præcipitatum multo copiosius quam cum solutione aquosa suppeditavit.

Bucholz cum affudisset opio, antea multa aqua macerato, alcoholem, inspissationis ope ex hac tinctura alcoholica sese elicuisse asserit 9/100 resinæ partes ægre alcohole redissolubiles. Hæc igitur vera resina haberi nequibat, verum affinis substantiæ modificatio, quæ jam *solutione in alcohole* mutationem in constituentibus experta erat. Contendit hoc medio resinam omnino sejungere non licere, quod pars cum glutine cohæreat, et altera pars, ut dicit Derosne, extractivo inspissato solubilis esse queat; non intelligo, quum, ut Derosne ipse notat, resina evaporatione præceps agatur, quomodo hæc resina extracto inspissato solubilis esse queat; necesse igitur erit ut potius ex extractivo inspissato separetur quam eo dissolvatur: quod cum primis meis periculis omnino consentaneum est, cum, ut dixi, ab extracto meo calide confecto, resinam, quæ ad finem usque dejici non desiit, eliminare mihi non licuerit.

Censeo igitur hancce resinam productum potius quam eductum esse habendam, quippe cum inter evaporationem non natura immutetur gummi, nec spiritus ejectetur, et cæterum in substantiis vegetabilibus, hæc combinationis commutatio vulgo contingat et sub diversis caloris gradibus nulla substantia vegetabilis eadem maneat.

Inter principia opii constituentia numeratur gluten, quod ejus 11/100 efficit et ex opio, alcoholis bullientis ope, extricatur, e quo (opio) gluten resinæ conjunctum refrigerio sejungeretur: imputanda igitur resinæ cui gluten adhæret, hujus in alcohole solubilitas, quum sincerum hoc liquido insolubile persistat.

Opio aqua et alcohole digesto, infundatur in residuum æther, et digestione et filtratione peractis, addatur alcohol et exinde plurima aqua sejungatur caoutchouc, quod ejus 5/100, æquare videtur.

Quidam ex opio oleum pingue, alii, resinam, alii denique balsamum sese elicuisse profantur : mea autem sententia, qui oleum ut et resinam obtinuerunt, balsamum in oleum et resinam divisere, et sic in opio species balsami occurrit, dummodo non sit artis productum. Hoc balsamum ex opinione inventorum ejus 3/100 partes sistit.

Cineres residui opii combusti nil conspicui exhibent, et variæ substantiæ quæ ex his prodeunt vix ab iis differunt quæ ex aliarum substantiarum vegetabilium cineribus obtinentur.

Supersunt nunc examinanda sal essentialis opii vel sal Derosne, ultimis hisce temporibus *opiana* dictus, *narcotina*, principium narcoticum, *morphium* et acidum meconicum.

3.

Sal Derosne vel Opiana.

Derosne detexit notamque fecit, anno 1804, materiam cristallinam, ex opio a se elicitam et ad illud tempus vix adhuc indicatam, cui salis essentialis opii nomen indidit. Hunc, evaporata solutione aquosa opii ad consistentiam syrupi spissi, diluto hoc extracto in quadruplo aquæ pondere, collecta substantia præcipite formata, et alcohole bullienti soluta, e quo sal refrigerio separatur sub forma cristallorum resina coloratarum, in lucem edidit. Omnino sincerus obtinetur iteratis alcohole dissolutionibus et cristallisationibus.

Sequentes ipsi proprietates comprobatas assignavit Derosne: sal opii purificatus albus est, in prismata recta basi rhomboïdali, sæpius in apices conjuncta, corporatus, insipidus et inodor, aqua frigida insolubilis, in 400 autem aquæ bullientis partibus solubilis et inde refrigerio sui juris fit; nullomodo in tincturam heliotropii reagit.

Sal iste in 24 alcoholis bullientis partibus et 100 frigidi hujusce liquidi partibus solubilis evadit.

Facile et quidem frigide in omnibus acidis liquidis, et mineralibus et vegetabilibus, solvitur; solutionibus autem hisce alcali quodam saturatis, sal pulverulenta sub forma præceps it.

Sal hic calide æthere et oleis volatilibus solubilis est, verum refrigerio hinc sub forma olei liquidi sejungitur, et non multo post sal ad imam horum liquidorum partem cristallisatur.

Supra prunas candentes projectus eodem modo flagrat ac materia vegetabilis valde combustibilis.

E retorta destillationi subjectus, liquefit, paulo post tumescit.

Retorta vaporibus albis qui ad collum in materiam oleosam et flavescentem concrescunt, oppletur. Eodem simul tempore parca phlegmatis quantitas, carbonate ammoniacæ imbuta, transit. Sub finem evolvuntur acidum carbonicum, ammoniaca et hydrogenes carbonatus. Copiosus remanet carbo, levis, spongiosus; materia oleosa collo retortæ tenacissima est, odore peculiari excitatissimo et sapore acuto et acerrimo prædita.

Serturner salem Derosne vel opianam adunationem morphii acido meconico considerat; ex cujus sententia opium venale meconate morphii leviter acido constaret, qui aqua frigida in submeconatem morphii parum solubilem et morphii meconatem acidum, aqua summe solubilem, distribueretur. Extractivum pariter in duas partes dilaberetur, quarum una, libera, aqua frigida dissolvitur, altera, magis oxidata, in residuo cum submeconate morphii perstat, et digestione cum alcohole morphii supermeconatem et adunationem morphii liberi cum extractivo, aqua vix, acidis autem maxime, solubilem constituit.

Verum Robiquet salem Derosne et meconatem morphii in opio modo penitus ab invicem disjuncto, medio eos seorsim eliciendi indicato, existere demonstrat.

Si, pro opii in aqua dissolutione, ait Robiquet, prius æthere solvatur et quocumque in hoc vehiculo solubile orbetur, tincturæ coloris flavi plus minusve saturati prodeunt, quæ, cum opio dum versantur, obturbatæ diu post decantationem perstant; sensim sensimque pulvis aqua alcohole et æthere insolubilis sejungitur, qui destillatus ammoniacæ quantitatem sat insignem largitur. Tincturæ æthereæ, ab hoc pulvere flavescente disjunctæ, cristallos evaporatione suppeditant oleo viscoso imbutas, cujus in medio massulæ firmiores innatant quæ caoutchouc sistunt, et tubi ope eliminari queunt. Decantatur oleum

ut sejungantur cristalli quæ dein alcohole bulliente solvuntur. Sic refrigerio elicitur sal Derosne pauca caoutchouc quantitate imbutus et nova dissolutione eo omnino exuendus. Opium istud, sic æthere exhaustum et aqua redissolutum, dissolutiones æque acidas ac ante exhibet, quæ in magnesiam eodem agunt modo ac si opium prius non fuisset æthere solutum, id est, eadem fere morphii quantitas parique cum facilitate extricatur.

Serturner, ut jam ex dictis elucescit, salem Derosne meconatem morphii habet, quod autem recte non confirmat, et verosimilibus potius quam periculis innititur; ostendit meconatem disjunctu facillimum, quippe tincturis opii aquosis dissolutus, ad baseos disjunctionem aliquot ammoniacæ guttulæ instillatæ sufficiant. Ex hac assertione mirandum sane est Serturner ea adunatione, quæ magna satis quantitate et sincera elicitur, usum non esse ut acidum meconicum extricaret, cujus sua methodo tam exiguam quantitatem percepit.

Serturner cum vidisset acidum meconicum proprietate colore rubro inficiendi et præcipites agendi dissolutiones ferri, esse insignitum, Robiquet, ut certior fieret utrum sal Derosne acidum meconicum caperet, quamdam hujus salis quantitatem in solutione potassæ causticæ concentrata fervefecit; hæc potassa, dein acido nitrico satura, nullo reagente dejiciebatur; et ferri dissolutiones ne levissimum quidem rubri coloris vestigium induxere. Partes dein fere æquales salis Derosne et muriatis barytæ in alcohole liquavit, diu infervefecit et nihil omnino sejungere valuit, sale sese dejiciente prout alcohol avolabat, sed absque ulla immutatione.

Sal Derosne aut narcotina, acido nitrico solutus, acidum oxalicum et paucam principii amari copiam suppeditat.

Morphium.

Morphium cujus nomen a Morphæo, somni numine, deducitur, substantia est singularibus proprietatibus conspicua, quæ eo insignior est quod suæ inventionis tempore, nulla ipsi affinis toto regno vegetabili nosceretur.

Derosne, quamvis revera oxydum alcalinum opii detexerit, tamen naturam ejus intimam ignoravit, quippe præsentiæ portionis alcali cum quo in salem suum reagerat, quodque omnino sejungi posse non credebat, reactionem hujus physicam in colores vegetabiles adscripserit.

Verum hæc substantia, quam primus Serturner ut novum alcali insigniit, et tale revera chemici habent, potius terrarum alcalinarum in numero esset collocanda, quum vel debilissimo gradu alcalium proprietatibus fruatur, uti solvi posse in aqua; et terrarum alcalinarum adinstar solummodo subcarbonatem efformat. Utrumque autem oxydum compositum, cujus in metallum prædicata reductio valde dubia est, constituit.

Morphium quod sub statu meconatis aciduli in opio occurrit, primum, addita ammoniacæ redundantia, Serturner sejunxit; præcipitatum, aqua, sæpe iteranda, ablutum et siccatum, acido sulphurico diluto fuit saturatum et rursus ammoniaca dejectum, quod in pulverem subtilissimum redactum pauca alcoholis quantitate, qui ejus omnino colorem inducebat, iterum et sæpius fuit dissolutum et hoc pacto fere incolor suscepit morphium.

Magis sibi placens periculum describit Robiquet; in eo continetur ut opii solutionem sat spissam pauca cum magnesiæ

quantitate per horæ quadrantem fervefaciat. Crassamentum, cinereo proximum, demittitur copiosum, percolatur, aqua frigida abluitur, et in præcipitatum siccum, quod ad caloris levis gradum maceratur, reagit alcohol dilutus: minima sic morphii quantitas, plurima vero materiæ colorantis, educitur, Colatur et pauca alcoholis frigidi quantitate abluitur, præcipitatum alcohole infervefit, liquor ebulliens colatur et refrigerio morphium bene cristallisatum et vix coloratum elicitur. Ter quaterve eadem in præcipitati portione reliqua, instituitur operatio, et morphium successivis filtrationibus magis magisque incolor evadit.

Sed optimam alkaloides (alcali organicum) extrahendi methodum sistit Brandes, quæ in eo sita est ut ad siccitatem evaporetur infusio aquosa, extractum istud siccum cum alcohole digeratur, ab iis quæ haud dissoluta manent decapuletur tinctura alcoholica et alcoholis eliminandi gratia destilletur; residuum aqua dissolvitur et solutioni huic donec nihil amplius dejiciatur, subacetas plumbi superinfunditur. Præcipitatum liquido liberatur et in hoc tamdiu quam solutio colore nigro inducitur, ut plumbi residuum extricetur, hydrogenes sulphuratus evolvitur,

Liquidum præcipitato liberum (quod hydrosulphuretum plumbi sistit) solutum tenet alkaloidis acetatem, qui, addito alcali quodam, sui juris fit; dissolvendo alcohole ebulliente, præcipitatum tandem in cristallos corporatur, idem repurgatur.

Morphium, quocumque modo obtineatur, omnino incolor est et inodor; in parallelipipeda bene disposita faciebus obliquis dejicitur. Aqua frigida non solvitur, minima autem quantitate aqua bullienti, e qua refrigerio sub forma cristallina secedit,

alcohole frigido solubile est, sed majori quantitate hoc menstruo calido. Secundum Choulant, 42 alcoholis frigidi partes, et calidi, 36 requiruntur; æther quoque majorem calide quam frigide quantitatem dissolvit. Dissolutiones hæ aquosæ et alcoholicæ amarissimo sapore sunt præditæ et morphium refrigerio sub forma cristallina in quam prius indicimus seponitur. Hæ dissolutiones chartam rhei validius quam curcumæ fusco, syrupum violarum, viridi, colore inficiunt, et ad cœruleum reducunt chartam heliothropii acidis rubre tinctam.

Morphium plurimos sales plumbeos, ferreos, cupreos et mercuriales decomponit.

Morphium leni calore funditur et tum ad sulphur fusum accedit, et refrigerio in massam cristallinam concrescit. Supra prunas candentes injectum flagrat. E retorta destillatum carbonatem ammoniacæ, oleum et producta alia quæ ex disjunctis substantiis animalibus oriuntur, suppeditat; carbo subniger odoris peculiaris remanet.

Ex analysibus et periculis summorum auctorum nullo pacto morphii capacitas saturationis determinari valet et ideo quoque ejus numerus. Mensura igitur stœchiometrica Dœbereineri est accipienda; ex alcaloïdis ipsius analysi constat: 10 carbonii proportionibus, oxygenis et hydrogenis 8, et 1 azotis.

$$10 \times 11,5 + 8 \times 7,5 + 8 + 13,5 = 196,5.$$

Procul dubio alkaloïdis partem disjunxere qui numeros inferiores sunt assecuti.

Si accurata est morphii mensura stœchiometrica, in subsalem saturare debet acidi carbonici 21 partes = 217, 5 sub-

carbonatis morphii, qui in prismata brevia, summe solubilia, dejicitur. Morphium carbonatem neutrum efformare nequit, quippe Derosne acido dissoluto morphio et carbonatis alcalini ope bene saturati sejuncto, tantum præcipitatum obtinuit quod viridi colore usque syrupum violarum inducebat: cæterum, qui fieri posset ut morphium oxydum sistens tam insolubile, carbonatem neutrum constituere possit, dum baryta, jam adeo solubilis, solummodo subcarbonatem suppeditat.

Morphium quoque in sales neutros vertit acida plurima sic:

196, 5 morphium +.

48, 2 acidi acetici partes = 244, 7 acetatis morphii, salis valde solubilis, in radios parvos corporati.

37, 5 acidi sulphurici = 234 sulphatis morphii; in ramulos dejicitur, aquæ partibus 2 solubilis.

33 acidi muriatici = 229, 5 muriatis morphii; forma pinnæ in cristallos cogitur, aquæ 10 1/2 part. solubilis. Solutione salis hujusce, nimium evaporata, refrigerio in massam splendentem, coloris albi argentei, concrescit.

51 acidi nitrici = 247, 5 nitratis morphii; corporatur sub forma stellarum, 1 1/2 partes aquæ solubilis.

78, 5 acidi tartarici = 275 tartratis morphii; in prismata dejicitur, 3 aquæ partibus solubilis.

Omnes hi sales, additis alcali vel magnesia, quæ morphium eliminant, disjunguntur.

Acidum meconicum, opiomicum, papavericum.

Acidum opiomicum vel meconicum, quod detexit Serturner, in opio occurrit, morphio adunatum in meconatis acidi statu,

et secundum hunc auctorem, opii solutioni aquosæ, e qua extricatum fuit morphium, muriatem barytæ addendo obtinetur; præceps agitur materia, opiomatem barytæ sistens, quæ cum acido sulphurico diluto in digestione relinquitur; hoc barytam arripiens, acidum opiomicum liberat, liquidi evaporatione dejiciendum ; hoc acidum colore tum indutum sublimationi subjicitur.

Robiquet, acidi opiomici eliciendi causa, sequentem proponit methodum : solutionem opii cum magnesia infervefacit, præcipitatum, subopiomatem magnesiæ sistens, sejungit, alcohole abluit auferendi causa morphii adhærentis, et in hoc acido sulphurico diluto reagit ; dein hanc dissolutionem muriatis barytæ ope disjungit, qui præcipitatum roseum opiomatis et sulphatis barytæ, acido sulphurico debili dejungendum mediante longa digestione calida, constituit. Solutio filtrata et evaporata, refrigerio cristallos acidi opiomici, sublimatione depurandas, suppeditat.

Sed methodum simplicissimam et nobis anteponendam exposuit professor John: in segmina minuta dissecatur opium, in digestione cum acido acetico ponitur, solutio filtratur et ammoniaca decomponitur : morphium sese præceps agit; tum, ut evolvetur ammoniaca redundans, solutio calefit et acetas barytæ, donec nihil amplius sese deficiat, instillatur; præcipitatum colligitur, edulcoratur, siccatur, et in digestione cum alcohole ponitur, ut quidquid aqua non abstulerit, extrahatur; denuo siccatur, et tunc prodit opiomas barytæ sincerus. Hic sal disjungitur digestione cum acido sulphurico, acidum opiomicum liberatur sub forma cristallorum coloris rutili, qui iterum solvuntur, cum carbone fervefiunt, filtrantur et in cristallos dejiciuntur.

4.

Acidum opiomicum sincerum, cristallisatione in prismata tenuia et sæpe in lamellas, sublimatione in acies longas, vel laminas quadratas, concrescit. Valide reagit in colores cœruleos vegetabiles. Sapore mox acido et dein amaro præditum est; ad temperaturam 120° ad 125° th. cent., funditur, fusum sublime absque it decompositione, modo prudenter administretur ignis.

Hoc acidum aqua, alcohole et æthere optime solvitur. Ejus solutio colore rubro purpureo muriatem ferri oxydati inficit. Vogel ostendit colorem hunc evanescere posse, additis acido strenuo, solutione alcali et quidem terræ alcalinæ, aqua calcis etc.; quin tamen pereat, nam neutra evadunt, per acida addita alcalibus, alcalia acidis, et color renascitur, quin aliquid de splendore remiserit.

Ex periculis a Professore Van Mons institutis (Annales générales des Sciences physiques. Tom. 3 pag. 88) consequitur in solutionem acidi meconici salis ferri oxidati ope reagendo, elucescere colorem ceraso-rubrum, qui oxydo ferri adscribitur. Autumat colorem istum materiæ peculiari opii, oxygene coloratæ et acidis alcalibusque ~~antequam~~ colorem induerit solubili, esse debitum, oxydo ferri hunc procul dubio secunda oxygenis proportione colore inficiente et solubilitatem sic cohibente.

Morphii residua, tum via directa cum magnesia, tum via indirecta cum acido acetico et ammoniaca præparati, priori suppeditavere meconatem magnesiæ, et posteriori, acetatem et meconatem ammoniacæ quæ valde pellucida et vix colorata fuere, commixta et caloris ope evaporata; materia cinereo-subnigra copiosa subsedit, in quam, acido sulphurico diluto reagente, in hoc omnino fuit dissoluta, et quæ, ne redundante quidem addita ammoniaca, præceps ivit. Aliquot hujusce liquidi

guttulæ in mensa et charta bibula infusæ, crastina luce maculas coloris minii exhibuere, et liquor ipse ad latera vasis præcipitatum ejusdem coloris constituit, prout evaporatione secedebat; tandem quoque liquor hunc colorem induit.

Sulphas ammoniacæ quem capiebat liquor, verum omnino incolor præceps ivit.

Vittæ, chartæ et telæ liquore imbutæ vix colore infectæ educebantur, sed colorem intensivum aëri expositione sunt adeptæ.

Alcalia, acida, murias ferri oxydati liquido colorato immixta, colorem nec auxere, nec minuere. Ex hoc periculo concludendum colorem rubrum deberi materiæ acido meconico natura dissolutæ, forsan una cum hoc acido vel morphio efformatæ et quæ ab hoc acido vel aliis, in quibus dissolvi valet, quin concrescat, sejungi potest, et ideo insolubilitatem et colorem ab aëre vel secunda oxygenis ratione oxydi ferri pendere debere.

Ut certior fieret utrum ferro in opio contento, vel tempore quo instituebatur periculum, admixto, coloris procreatio esset adscribenda, liquori acidum gallaceum sincerum, prussiatem triplicem album primo solum, dein paucæ acidi quantitati intermixtum superinfudit; quod nullum præcipitatum nigrum aut cinereum suppeditavit.

Acidum opiomicum nitratem argenti in floccos luteos, et acetatem plumbi, in magma album spongiosum dejicit. Colorem immutat sulphas cupri addito acido opiomico et smaragdinum assumit; nihil primum præceps agitur, sed temporis diuturnitate pulvis flavus subsidit; solutio sublimati corrosivi quoque longinquo tempore acido opiomico obturbatur.

Cum basibus salifiabilibus conjungitur acidum opiomicum salesque constituit, quorum alii aqua solvuntur, alii non, quique igne omnino disjunguntur, quin addatur acidum minerale.

Opiomas ammoniacæ in prismata minima, 1/2 aquæ partes solubilia, dejicitur.

Opiomas autem potassæ in laminas quadratas, aquæ partibus 2 solubiles.

Opiomas sodæ in radios tenues, aquæ partibus 3 solubiles, corporatur.

Opiomas barytæ non solvitur.

Ille autem calcis in prismata compressa aquæ partibus 8 solubilia concrescit

Opiomas vero plumbi insolubilis perstat.

Acidum opiomicum ferro adunatur et quidem frigide, unde dissolutio ex atro fusca prodit quæ crustas salinas ejusdem coloris præcipites agit.

Opiomas cupri, ut ex ante dictis patet, colore induitur smaragdino; aqua non solvitur,

---

De Opii succedaneis.

Discrimen principium virosum inter et principium narcoticum sane notandum intercedit, plurimæ enim substantiæ virosæ tanquam opii succedaneæ fuerunt laudatæ. Inter plantas quæ ut principio narcotico vere præditæ considerari possunt,

nobis in animo tantum est dicere de Lactuca, Belladonna, Hyoscyamo, Cicuta et Stramonio.

De Lactuca.

Lactuca nomen est generis plantarum in systemate linnæano ad syngenesiam polygamiam æqualem pertinentium, cujus characteres sunt sequentes.

Recept. nudum, cal. imbricatus, cylindricus, margine membranaceo; pappus simplex, stipitatus; sem. lævia. Ex affinitate succi earum albidi cum lacte nomen ducunt.

Plurimæ occurrunt lactucarum species, inter quas duas tantum, quæ in usum medicum venerunt propter virtutem narcoticam, memorare volumus; prior Lactuca sativa, posterior, Lactuca virosa nuncupatur.

De Lactuca sativa.

Lactuca sativa, fol. rotundatis, caulinis cordatis, caule corymboso. Linn.; Belgis audit Lattouwe, Salaet; Germanis, Lattich; Anglis Lettuce; Gallis, Laitue cultivée; Hispanis, Lechuga, Lettuga, Alface; Italis, Lattuca.

Omnibus noscitur hæcplanta et ubique a tempore remotissimo colitur. In omnibus hortis crescit et inter olera semper conspicuum obtinuit locum. Antiqui jam plurimas numerosarum varietatum quæ in hortis occurrunt et quarum numerus indies crescit pernoscebant. Typus harum varietatum secundum Lamarck, Lactuca quercina est, quæ in Germania crescit; ve-

rum hæc perennis est et quas colimus sunt annuæ. Ex sententia Rozier, quæ in agris crescit Lactuca scariola est Linn., alii auctores Lactucam sativam ex Asia oriundam prædicant.

Lactuca sativa potius tanquam alimentum quam pharmacum in usum venit. Romani, persuasum habentes hanc ebrietatem discutere et somnum inducere, hujus ferculo oblectabantur. Primum ad finem cœnæ mensæ, dein ad initium apposuere, unde Martialis ait:

> Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
> Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes.

Alio in loco idem dicit:

> Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
> Utilis.

Sequens Columellii locus facultates antiquis huic plantæ adscriptas palam facit:

> Jamque salutari properet lactuca sapore
> Tristia quæ relevet longi fastidia morbi.

Lactuca sativa, ut cichoraceæ omnes, amaritie quadam et virtute leviter adstringente prædita est; principiumque præterea narcoticum capit, quod in succo ejus lacteo continetur. Verum hæc qualitas, quæ minori obtinet gradu in lactuca sativa quam in speciebus spontaneis, antiquis erat pernota. Galenus laborum pondere defatigatus et somnum capere non amplius valens, contendit sese ex consuetudine quam, vespere lactucam comedendi iniit, noctes placidiores duxisse, quamque herbam sapientum nuncupavit.

Lactuca sativa insignem in antiquorum materia medica locum erat adepta. Ex hac conficiebant juscula et enemata refri-

gerantia. Destillationis ope aqua extrahitur quæ, ut virtute narcotica insignatur, semel et iterum in novis plantis eadem institui debet operatio. Succus inde elicitur qui ad dosim 2 ad 4 unciarum porrigitur. Folia Lactucæ cocta quandoque cataplasmatibus conficiendis inserviunt. Ejus seminum, ex quibus antiquitus emulsio parabatur, usus nunc abolevit.

Angli in usum medicum præparationem, *Lactucarium* dictam, invehere, quod e Lactuca sativa eruitur.

Hoc doctor Duncan, medicinæ professor in universitate Edinburgensi, in pharmacologia primus recensuit. Hic, quatuor abhinc annis, observationem in Societate sub nomine *Caledonian horticultural Society* cognita, aperuit de modo parandi hujusce remedii sedantis et somniferi cum succo inspissato lactucæ. Ejus methodus in eo continetur ut succus lacteus qui ex hac planta exsudat, colligatur, recisis aut foliis aut caule, calore levi siccetur, vel tantummodo aëris contactu in pulverem redigatur, spiritu vini dissolvatur et evaporatione in extractum vertatur; huic dein extracto lactucarii nomen venit.

J. Young, chirurgus ejusdem urbis, meliorem methodum excogitavit, ut sibi pharmacum istud compararet, quæ in eo constat ut vicissim et per segmina horizontalia secentur caules lactucarum, xilini ope, vel, quod præstat, spongiolæ tenuis, percipitur succus qui in vasculo exponitur. Qui succus sic coactus, brevi colorem fuscum saturatum inducit, color opii, quod e papavere somnifero elicitur, affinem, hujusque, ut hic chirurgus asseverat, qualitatibus cæteris conspicuis insignitur.

Odor quem spargit succus lacteus recens sic satis fortis est, odori opii proximus, tamen lactucæ adhuc retinet, et quidem

post protractam desiccationen. Lactucarium, ut refert Duncan, dolorem mitigat et somnum inducit.

De Lactuca Virosa.

Lactuca virosa, fol. horizontalibus, carina aculeatis. Linn. Belgis audit wilde Lattouwe; Germanis, wilder Lattich; Gallis, Laitue vireuse; Hispanis, Lechuga salvage; Italis, Lattuca salvatica; Græcis, Θρίδαξ ἄγρια.

Hæc planta, quæ annua est, in locis incultis sponte crescit, in ruderibus et juxta arva; omnes ejus partes succo lacteo visoso, amaro scatent, odoris ingrati et magis narcotico quam succus lactucæ sativæ et qui sic naturam magis affinem papaverum naturæ habent, cujus tamen virtus narcotica opii longe debilior est. (William Lewis. exper. History of the Materia medica, pag. 374.) Similitudo succi lactei hujus lactucæ cum succo papaveris ipsi nomen lactucæ meconidis indidit : quo nomine venit apud Plinium et Galænum, qui hanc venenatam habuerunt.

Vicat profatur vaporem qui coctionis tempore avolat e lactuca virosa inebrietatis speciem inducere posse, dum e contra alii auctores impune satis magnam hujusce plantæ recentis comedi posse affirmant.

Lactucarum succum, ut supra diximus, opio analogum jam novit antiquitas, « Lactucis omnibus succus est candidus, vi» ribus quoque papaveri similis : carpitur per messes inciso » caule, conditur in fictili novo, ad multa præclarus. » verba sunt Plinii. 20 C. 7 seu 26.

E caule et foliis hujus plantæ, jamjam semina protrudentis, ope incisionum transversalium circularium dicit medicus Coxe, Philadelphiæ, se opium obtinuisse, quod in nosocomiis hujus urbis tentatum actuosius exstitit præ orientali, alter tamen hujus plantæ succus est medullaris, qui expressus permixtusque minus efficax exhibuit illi opium. (Vid. Americ. Transactions, T. IV. Voigt's Magazin, III, P. 275.)

Theophrastus in Historia plantarum, 7. C. 6., notat lactucæ sylvestri (quæ virosa Linn. ex Sprengel. I. 83) foliis aculeatis esse succum acrem et medicatum.

Eadem planta, quæ Tridax agria Dioscoridis est, II C. 130. P. 198. gustus amari est, et viribus aliquantum papaveri similis, unde lacteum ejus succum aliqui meconio permiscuerunt, et qui minori dosi aquam purgat, summa somnum allicit, doloris levamentum præstat, menses trahit. Plinius addit: « Lactucæ atræ distinctio est etiammum alia quæ meconis vocatur, » a copia lactis soporiferi, quamquam omnes somnum parare » creduntur. » (ad similitudinem scilicet papaveris seu meconis succi) I. 9. C. 8. S. 20 et 20, C. 7.

Lactucæ virosæ succum, narcoticum notarunt Alston et Durande; post hos Schlesinger et Wolf (in Hufeland's Journal) et Gumbrecht (in N. Sammlung fur practische aertze; II. pag 82).

Haller notat succum lactucæ virosæ densatum analogum esse opio papaverino, quo adulteretur, eumdemque siccatum ad flammam similiter ardere. (Arzneimittellehre P. 220 seq.)

Unice ex hac planta præparatur extractum quod duplici conficitur modo. Priori succus plantæ exprimitur qui quiete clarificatur et dein ad debitam consistentiam evaporatur; posteriori decoquitur planta, et ad consistentiam extracti colatura subsidendo clarificata evaporatur.

5.

Horum extractorum prius, quod ut extractum fæculam capiens considerari potest, quodque longe magis activa gaudet virtute quam decoctione paratum, quod fere iners est, cum successu sese adhibuisse affirmat doctor Collin.

Extractum lactucæ virosæ ad norman pharmaci sedantis et somniferi ad dosim multo majorem quam opium porrigendum est ut hos effectus exerat. Extractum enim istud longe minus præsentaneum est quam opium ut asserit Vicat.

De Belladonna.

Atropa Belladonna, caule herbaceo, fol. ovatis integris, planta Pentandriæ Monogyniæ, Linn.; Belgis audit groote Nascaye; Germanis, Tollkirschen Kraut; Italis, Bella donna; quia ex hac pigmenti species ad matronarum usum conficiebatur.

Belladonna planta perennis indigena, in omnibus ejus partibus colorem splendentem exhibet, quo suspecta merito est habenda. Radices, caules et folia, odore nauseoso, sapore primum fatuo, leviter dein faucibus acri prædita, ubique idem capiunt venenum, sed quod, remittente *paululum odore viroso*, dessicatione plantæ multum attenuatur. Baccæ quæ pueris appetuntur propter colorem subnigrum et saporem subdulcem, dum maturæ non minus sunt cavendæ.

Primus Belladonnam ad prima elementa revocasse videtur Melander (Annales de Chimie, T. xv. 201. John's chemische Tabellen der Pflanzen Analysen, 54.). Hæc analysis prodidit:

Superoxalatem magnesiæ,
oxalatem calcis,
muriatem potassæ,

resinam mollem viridescentem,
materiam extractivo-animalem,
partes mucosas.
extractivum oxigenatum.

Diligentes Vauquelin inquisitiones de Belladonna præcellens lumen in hujusce plantæ constituentibus prætulerunt quæ periculo suppeditavit:

Substantiam albuminosam,
nitratem et muriatem potassæ,
acidum aceticum liberum et acetatem potassæ,
vestigia salis ammoniaci,
materiam extractivo-viscosam, unde penderet effectus narcoticus,
phosphatem calcis,
sulphatem potassæ et calcis,
oxidum ferri,
siliciam,
superoxalatem calcis.
residuum insigne.

(Annales de Chimie, LXXII. 1809. 276.; Trommsdorff's Journal, XIX. 2. S. §. 119; Annales de Chimie. l. c. 53.)

Hæc pericula instituit Vauquelin ut certior fieret, utrum plantæ quæ tabaco affines sunt principium acre (Nicotianinum), caperent quod in tabaco detexit auctor.

Succus Belladonnæ expressus et per filtrum trajectus, calore et infusione gallarum concrescit.

Extractum Belladonnæ aquosum partim alcohole bullienti solvitur; refrigerio cristalli nitratis et muriatis potassæ dejiciuntur. Si diluatur solutio alcoholica, suspensa perstat materies exfus-

co-flava, saporis amari ingrati, colore rubro tincturam heliotropii inficiens, quæ, addita infusione gallarum, præceps fertur, adjecta potassa caustica odorem ex hac solutione ingratum evolvit, vapores inde ammoniacales avolant. Sulphas ferri solutionem obturbat. Hæc substantia intumescit supra prunas candentes projecta, vapores acerrimi avolant, quæ autem ammoniacæ odorem haud præ se ferunt. Liquidum ammoniacale flavum, dein oleum fætidum destillatione sicca hæc substantia suppeditat; copiosus remanet carbo, largam acidi borussici quantitatem capiens. Prævalere videtur carbo in hac substantia et solum istum carbonem principium narcoticum amplecti apparebat, sicque sese habere poterat quippe alkaloïdes ipsi erat adunatus.

Pars extracti Belladonnæ alcohole insolubilis, qua solvitur, hujus superficies spumescit. Dejicitur solutio gallarum tinctura et colorem rubrum chartæ cum heliotropio tinctæ inducit. Murias calcis et nitras barytæ materiam præcipitem partim acido nitrico solubilem ferunt, quam Vauquelin habet adunationem materiæ animalis, sulphatis potassæ, superoxalatis et muriatis potassæ.

Cineres Belladonnæ e qua extractum aquosum fuit confectum quantitatem insignem calcis, phosphatis calcis, ferri et siliciæ complectuntur.

Brandes analysi sua, quæ recentior est, ostendit 200 partes agentium chemicorum reactione concedere.

I. Acida et sales.

Supermalatis atropii.	30, 25
Malatis potassæ et muriatis calcis. . . . . }	5, 50
Nitratis et muriatis potassæ. . . . . }	

Oxalatis potassæ	12, 00
Malatis magnesiæ	104, 75
Malatis calcis	12, 00
Nitratis calcis	6, 00
Muriatis calcis	4, 00
Sulphatis potassæ	5, 00
Salium ammoniacalium, acidi malici, acidi acetici,	vestigia.

II. Partes constituentes.

Azotatæ vel in quibus azotes prævalet :

Pseudotoxiæ cum salibus variis	321, 00
Phyteumocollæ	138, 00
Albuminis	94, 00
Albuminis indurati	120, 00
Atropii (?)	vestigium.

III. Partes constituentes.

Hydrogenatæ vel in quibus abundat hydrogenes :

Chlorophylæ (resinæ viridis)	116, 75
Ceræ	14, 00

IV. Partes constituentes.

Carbonatæ, vel in quibus dominatur carbo :

Gummi	166, 50
Amyli	25, 00
Materiæ fibrosæ	274, 00
Aquæ	510, 00
	1958, 75

Brandes Pseudotoxiam nuncupat materiam cui Vauquelin facultatem plantæ narcoticam adscribit. Cum hæc facultas materiæ istius a salibus atropii pendere videtur, principii extractivi narcotici, inquit, nomine venire non potest. Phyteumocollam vocat materiam vegeto-animalem, quæ sales ex ferro viridi colore induit et acido gallaceo dejicitur.

De Atropio.

Brandes, qui primus atropium detexit, dicit, magnesia in infusionem Belladonnæ reagente, alcali extricari, quod in infuso acido malico est adunatum; hoc alcohole bulliente solvitur et refrigerio secedit. Ejus solutio sensim sensimque chartam heliotropii acidis rubro colore infectam in cœruleum vertit.

Chemicus ille foliorum siccorum Belladonnæ libras duas aqua infervefecit, in decoctionem eo animo acido sulphurico reagit ut substantias concrescibiles eliminaret, et hanc facilius percolaret. Liquidum sic saccatum, potassa dein caustica supersaturum, præcipitatum concessit quod ablutum et siccatum granorum 85 pondus æquabat. Ut alcali sincerum contum sequeretur, hoc præcipitatum acido sulphurico dissolvit, denuo colavit et potassa caustica dejecit.

Ut in cristallos bene dispositas corporetur atropium, sæpe iterando acido muriatico dissolvitur et ammoniaca præceps fertur. In præcipitatum reagit alcohol bulliens et lente solutio refrigeratur; alcali sub forma pulchrarum acuum pellucidarum et splendentium concrescit. Atropium coloris est albi oculos perstringentis, omnino insipidum, calore disjungitur, odorem olei empyreumatici spargit et carbo remanet.

Atropium siccum vix aqua solvitur; recens dejectum, et ideo adhuc humidum, pauca quantitate dissolvitur. Dissolubilitas ejus augetur prout crescit gradus temperaturæ aquæ.

Alcohole, uti diximus, calide tantum dissolvitur et refrigerio penitus sui juris fit. Nullam in ipsum æther et oleum terebinthinæ bullientia actionem exercent.

Dum acidum sulphuricum dilutum atropio saturatur, solutio evaporationi spontaneæ subjecta, hujus sulphatis, qui in 4 ad 5 partibus aquæ frigidæ dissolvitur quique effloreseit et aquam cristallisationis ad lenem temperaturam amittit, pulcherrimas cristallos suppeditat.

Brandes primum atropio saturitatis capacitatem assignaverat, quæ ex 1/9 parte potassæ capacitatem superabat; quum analysi sulphatis et muriatis hujus alkaloïdis invenisset priorem conflatum esse alkali 39, acidi 36 et aquæ 25 partibus, = 100; posteriorem constare ex 39, 19 alkali, 25,40 acidi sicci, aquæ vero 35,41 = 100. Verum hic chemicus, postquam animadvertisset varia atropii salia valide tanquam acida reagere, hæc tanquam supersalia considerat, unde ad dimidiam partem alkali capacitas minueretur et ejus numerus a 39, 5 ad 79 prodiret.

Murias atropii optime in cristallos corporatur; albus est, splendens et alcohole solubilis.

Acida oxalicum, nitricum et aceticum cum atropio salia constituunt cristallisabilia et alcohole solubilia; ultima duo aëris humiditatem appetunt.

In usum medicum venit hujus plantæ extractum cum fæcula. Gesner syrupum e baccis belladonnæ confectum adhibebat et qui, ut ait, eosdem ut opii syrupus effectus exerit.

De Hyosciamo.

Hyosciamus niger, fol. amplexicaulibus sinuatis, floribus sessilibus, planta pentandriæ-monogyniæ, Linn. Belgis audit swart Bilsen Kruyd; Gallis, Jusquiame noire; Germanis, Bilsenkraut; Anglis, black Heubane; Hispanis, Belenno negro.

Hæc planta, quæ in tota Europa frequens est, nobis ad vias et agros, in locis incultis et inter rudera crescit. Junio et julio floret.

Præcipue Hyosciamus niger in medicina adhibetur; omnes hujus plantæ partes, tum radices et folia, tum semina in usu sunt; sed venenum narcoticum summe pertimescendum sistit.

Brandes et Meisner ex Hyosciamo nigro alcaloidem, quem Hyosciamium nuncupavere, elicuerunt; alcali istud ad temperaturam satis elevatam *immutari valet*, *cristallos elongatas* suppeditat et cum acidis nitrico et sulphurico salia constituit cristallisabilia, qualitatibus peculiaribus omnino prædita.

Tanquam opii succedaneum hujusce plantæ extractum in usum venit: extractum istud fæculam capere debet, et cum planta florente conficiendum est.

Hæc planta siccata minus efficax evadit.

De Cicuta.

Conium maculatum, seminibus striatis inermibus, caule ramosissimo, maculato, glabro. Planta Pentandriæ digyniæ Belgis audit Scheerlinck; Gallis, Cigue; Germanis, Schierling; Anglis, Common Hemlock; Hispanis, Conia Manchado.

Conium maculatum planta est bisannua, quæ in toto fere antiquo continenti et præsertim in Europa occurrit. Vulgo in locis opacis et quidem quandoque siccis juxta sepes parietinas et locos cultos reperitur. Ad investigationem levem confundi valet cum plantis sequentibus: 1°. Cum Cicuta virosa, quæ ab eo distinguitur odore narcotico et quod ipsi involucrum commune deficiat ac involucro suo speciali, quod quadriphyllum est, acutum, filiforme, et simul eo quod Cicuta virosa in locis aquaticis crescat. 2°. Cum AEthusa Cynapio; hæc planta foliis suis proxime ad conium maculatum accedit, verum ab eo differt quod ipsi desit involucrum commune; involucrum autem ejus speciale constat tribus foliis longis et recurvis et folia coloris viridis sunt magis intensi, atque facies eorum inferior lucidior est. 3°. Cum Chereophyllo bulboso. Hæc planta brevi instructa est radice, crassa, pyriformi, caulis æque ac conium maculatum inficitur maculis. Verum tres articulationes inferiores scabræ sunt et hispidæ; scabri quoque sunt petioli et spatha striata et margine coriaceo munita oriuntur. 4°. Cum Chereophyllo sylvestri; istud semina habet lævia, lanceolata et non striata et ejus caulis inferius leviter asper dum superius glaber est. Hæ indicationes errores, qui crebro locum habuere quandoque in contemtum adduxerunt Conium maculatum, eludere valebunt.

6.

Quamquam plurimi in analysi cicutæ peragenda occupati fuerint, tamen nullam adhuc cognitionem valde accuratam de compositione chemica hujus plantæ habemus; compertum solummodo est succum Cicutæ capere 1°. Extractivum. 2°. Gummiresinam, quæ ex periculis Erhart, non venenata est, etenim postquam hanc mediante alcohole elicuisset scrupulum propinavit quin ullum incommodum persentierit. 3.° Mucilaginem. 4°. Oleum volatile, gravem spargens odorem, quod destillationis ope elicitur et in quo præcipue qualitas virosa contineri videtur; summe dilatari valet istud principium, nam Erhart, cum in lagena duplici vesica occlusa Cicutæ succum immisisset, adeo post aliquot minuta fuit distensa ut lagenam aperire coactus fuerit; et officina quam primum odore acerrimo Cicutæ adimpleta fuit, quamvis tamen nullum fermentationis initium in liquore appareret. Principium hoc volatile colore cæruleo inficit dissolutiones cupreas et nullomodo colores cæruleos vegetabiles immutat. Præter hæc quatuor principia proxima, cicuta satis insignem salium alcalinorum et præsertim nitratis potassæ quantitatem includit, secundum Erhart et De Machy; verum Baumé nihil ex his in analysibus suis sese invenisse asserit, quod diverso plantæ proprio solo adscribit.

Secundum Schrader conium maculatum caperet 27,3 extractivi, 35,2 extractivi gummosi, 2,8 fæculæ viridis, 1,5 resinæ, 3,1 albuminis partes. In cineribus, inquit, occurrunt phosphates, sulphates et muriates.

Prout refert Brandes, Cicuta alkaloidem complectitur qui vix ab alkalibus quæ e cæteris plantis narcoticis eliciuntur, differt.

Præcipue in medicum usum venit hujusce plantæ extractum cum fæcula; quod remedium adeo celebratum doctoris Viennensis Stoerck sistebat.

De Stramonio.

Datura Stramonium, pericarpiis spinosis, erectis, ovatis, angulatis, glabris. Linn. planta pentandriæ monogyniæ. Belgis audit doorn-Appel; Gallis, Pomme épineuse; Germanis, Stechapfel; Anglis, common Thornapple.

Datura Stramonium obvie occurrit in tota Europa; crescit ad vias et in locis cultis; pariter in America, in Oriente et Barbaria invenitur.

Cunctæ Daturæ Stramonii partes sapore amaro et ingrato sunt præditæ. Hucusque nondum ulla analysis accurata prodit hujus plantæ quæ venenum narcotico-acre sistit æque ac Hyosciamus formidandum; Bergius in extracto quod ex hac elicuerat nitratem potassæ invenit; Swilgué, oleum volatile et extractivum ibi agnovit.

Brandes nuperrime palam fecit alkaloidem in semine Daturæ Stramonii præsentem, cui *Daturii* nomen indidit. Alkaloides iste in semine hujus plantæ cum acido malico conjunctus reperitur et mediis quæ jam indicavimus ab hoc sejungi valet.

Daturium vix solvitur aqua et alcohole frigido; alcohole autem bullienti copiose solubile fit et refrigeratione floccorum forma, qui nullomodo cristalliniformiter subsident, sui juris evadit. Verum Brandes Daturii sulphatem quum disjunxisset

et alcali sejunctum in alcohole bullienti dissolvisset, post plures hebdomadas vidit floccos tenues dejectos qui in cristallos lancearum formam referrentes corporati erant. E simili alia solutione verum parum satura per plures quoque hebdomadas quieti mandata Brandes plurima rectangula-quadrilatera fasciculatim conglomerata et diversimodo sita radiorum forma sese dirigentia obtinuit, quæ multum ad Morphii cristallos accedebant.

Daturium acida perfecte saturat; attamen ejus capacitas valde est debilis, etenim, ait Brandes, insignis ejus quantitas requiritur ut hæc saturitas attingatur.

Cum acido sulphurico salem constituit qui prismatum forma dejicitur; hic aqua facile solvitur, aëris humiditatem non attrahit vel potius efflorescit, et pelluciditatem amittit; alcalia exin daturium dejiciunt et barytæ murias præsens acidum sulphuricum denotat.

Cum acido muriatico Daturium salem efformat in tabulas quadrilateras, incolores, quæ fere sunt cubicæ, et ut sulphas aqua solvuntur.

Acidum nitricum facile Daturium dissolvit et salem sericæ lenitatis efformat.

Ægerrime in cristallos corporatur acetas Daturii, quippe quum facillime aqua solvatur et aëris humiditatem valide appetat.

Dum Daturio aqua diluto adjungitur iodes, ait Brandes, et effervet permixtio, primum iodis color flavescit, dein penitus

evanescit et tunc Daturii pars dissolvitur. Coharctata hæc solutio Daturii hydriodatem suppeditat nulla arte in cristallos vertendum, qui valide aëris humiditatem attrahit.

In usum medicum adhibetur extractum hujus plantæ, quod e foliis recentibus ante florescentiam collectis comparatur; fæculam autem capiat oportet. Pariter in usum venit extractum e capitibus recentibus et paulo ante maturitatem resectis confectum.

Doctor Marcet extractum proposuit e semine maturo et sicco, aqua decoquendo apparandum.

FINIS.

LOVANII,

IN ÆDIBUS ACADEMICIS, APUD C. J. DE MAT.

M. DCCC. XXII.

evanescit, aut flatorii pars dissolvitur. Cohaerentia hac solutio [illegible] hydriodatem suppeditat nulla arte in crystallos vertendum, qui valide aëris humiditatem attrahit.

In usum medicum adhibetur extractum hujus plantae, quod e foliis recentibus ante florescentiam collectis comparatur; faeculam autem capiat oportet. Pariter in usum venit extractum e capitibus recentibus et paulo ante maturitatem [illegible] confectum.

Doctor Marcet extractum proposuit e semine maturo et sicco, aqua decoquendo apparandum.



















